BIBLIOTHÈQUE

DE L'ÉCOLE

DES HAUTES ÉTUDES

PUBLIÉE SOUS LES AUSPICES

DU MINISTÈRE DE L'INSTRUCTION PUBLIQUE

SCIENCES PHILOLOGIQUES ET HISTORIQUES

QUARANTE-TROISIÈME FASCICULE

DE SATURNIO LATINORUM VERSU

SCRIPSIT L. HAVET



PARIS

F. VIEWEG, LIBRAIRE-ÉDITEUR

67, RUE DE RICHELIEU, 67

—

1880

DE SATURNIO
LATINORUM VERSU

SCRIPSIT

Ludovicus HAVET

INEST RELIQUIARUM QUOTQUOT SUPERSUNT SYLLOGE

Obliti sunt Romae loquier lingua latina
Cn. Naevius poeta.



PARISIIS

APUD F. VIEWEG, BIBLIOPOLAM

67, RUE DE RICHELIEU, 67

1880

PATRI

ERNESTO

QUI ME IN LITTERIS ERUDIVIT

REBUSQUE CAUSAS QUAERERE DOCUIT

D. D. D.

PRAEFATIO

Cum in hoc opere componendo plurimas quaestiones necesse nobis esset tractare et difficillimas et inter viros doctos maxime controversas, non satis habuimus quid de unaquaque earum nos sentiremus significare et placita nostra argumentis comprobare, verum id quoque nobis efficiendum esse rati sumus, ut si quando legentes aut aliter ac nos sensissent aut dubitavissent, omnia praesto in nostro volumine haberent, quae sibi ad informandum judicium usui possent esse. Itaque nolito, qui haec leges, mirari quod nos multa paulo longius tractaverimus, quam tibi forsitan par fuisse videatur; quod plurima congesserimus, ubi pauca tantum volueris delecta; quod (exempli gratia) tabulas versuum, quae singulis Partis nostrae Prioris paragraphis subjunguntur, ita nos confecerimus, ut in iis non ea tantum exempla, quibus singulae leges a nobis constitutae certius comprobarentur, verum et omnes versus, qui ad eas leges efficti aut certo aut dubie videri possent, memora-

rentur. Sic enim factum erit ut, qui de una aliave legum nostrarum dubitaverit legemque aliam condere in mente habuerit, absque omni mora et labore sciat, quorum versuum rationem habere sibi necesse sit, quae sibi placitisque suis obstent quae non. Similiter cum in Parte Altera testimonia cum inscriptionum tum scriptorum de saturniis carminibus omnia recenseremus, eorum textum dedimus integrum, qualis in lapidibus et in codicibus manu scriptis reperitur, etsi mendis is scatebat quam plurimis: timentes ne, sicubi menda corrigere coepissemus, irreperet aut error aut dubitatio animo legentium, aut ignarorum aut saltem incertorum, quae in textibus nostris sincera essent quae conjectanea.

Haec te in hac praefatione monitum voluimus, ne in hac nostra, insolente quidem sed nihilominus probabili (ut remur), scribendi ratione offendaris. Ceterum, quae singula in his libris nostris tractanda nobis visa sint, quemque ordinem secuti simus, te jam proxime insequens Conspectus Operis docebit.

Complura nobis inter imprimendi moras occurrerunt; rogamus igitur, ne *Addenda et Corrigenda* (infra p. 443) inspicere neglegas.

CONSPECTUS OPERIS.

PARS PRIOR. DE VERSU SATURNIO.

PROOEMIUM.

§ 1. **Quid viri docti de saturnio statuerint** 1

§ 2. **Leges saturnii quae fuerint** 7

(*Hexameter saturnius, non trimeter aut tetrameter* : *p.* 11, 15; *cf.* 43, 156, 203, 324, 445.)

(*Disticha saturnia* : *p.* 11 ; *cf.* 159, 222, 223, 224.)

(*Saturnii* XV *vel* XVI *pedum* . *p.* 5.)

(*Saturnius quos pedes admittat* : *p.* 5; *cf.* 324, 325, 326, 355.)

§ 3. **De orig. saturnii.** (*cf. p.* 247, 256, 310, 314, 397) 15

§ 4. **De carminibus** 17

§ 5. **De versibus singulis** 19

LIBER PRIOR. DE PROSODIA 23

§ 1. **De brevibus breviantibus** (*cf. p.* 12, 47, 153, 203, 312) 26

§ 2. **De finalibus et de hiatu** 43

A. Longa syllaba nondum correpta. 44

B. Brevis syllaba sine hiatu producta (*cf. p.* 12, 13, 316, 359). 45

C. Hiatus in arsi (*cf. p.* 6, 13) 62

D. Hiatus in thesi. 67

§ 3. **De concursu vocalium in mediis vocibus** 73

A. De priore vocali modo corepta modo producta 73

B. De synizesi (*cf. p.* 32, 37, 40, 153, 165, 316). 79

C. De *u* modo vocali modo consonante 81

§ 4. **De epenthesi et syncopa** (*cf. p.* 316). 83

§ 5. **De voce VIR** 85

§ 6. **De genetivo pronominalium** (*cf. p.* 14, 35, 276 86

7. **De rhythmo in vocibus singulis** (*cf. p.* 14, 202, 203, 205). 87

(*Accentus vis nulla* : *p.* 87, 88; *cf.* 15, 28, 210.)

A. Voces monosyllabae 89
B. Voces iambicae (*cf. p.* 443) 100
C. Voces spondiacae (*cf. p.* 443) 110
D. V. in spondeum exeuntes (*cf. p.* 202, 203, 205) 123
E. Voces anapaesticae 130
F. Voces in anapaestum exeuntes 138
G. Voces quae creticum (vel dactylum) efficiunt aut exeunt in creticum (vel dactylum) 142
(*Dactylus pro trochaeo : p.* 150 ; *cf.* 54, 88, 210.)

LIBER ALTER. DE RE METRICA.

§ 1. **De arsi** (*cf. p.* 2, 55, 359) **153**
(*De tribrachis* ∪,∪∪ *et anapaestis* ∪,∪ — *re vera dactylis : vide p.* 54, 55, 65.)
A. Arses hemistichiorum ultimae (*cf. p.* 445) . . 153
B. Arses hemistichiorum paenultimae 156
C. Arses hemistichiorum antepaenult. (*cf. p.* 43) 157
§ 2. **De thesi** (*cf. p.* 2, 55) **159**
A. Thesis hemistichii prioris ultima 160
B. Theses hemistichiorum paenultimae (*cf. p.* 2, 3, 4, 6, 10, 13, 16, 17, 43, 66, 159, 312) 166
C. Theses hemistichiorum antepaenultimae (*cf. p.* 7, 9, 17, 25, 42, 66, 215) 181
D. Anacrusis hemistich. prioris (*cf. p.* 2, 55, 324) 195
E. De anacrusi hemist. alterius, quam post thesin pedis tertii Buecheler poni existimavit (*cf. p.* 43) 202
(*De anacrusi hemistichii alterius vera v. p.* 8, 166.)
§ 3. **De caesura** (*cf. p.* 6, 7) **206**
§ 4. **De caesura Korschiana** (*cf. p.* 43, 80, 86, 101, 112, 116, 124, 125, 131, 133, 134, 145, 318) **210**

PARS ALTERA. DE VERSIBUS SATURNIIS.

LIBER PRIOR. DE TESTIMONIIS **217**

§ 1. **De fragmentis quae in lapidibus servata sunt** (*cf. p.* 5, 6) **218**
Carmen fratrum Arvalium (*cf. p.* 18, 20) 218
Elogia Scipionum [et Calatini] (*cf. p.* 18, 20, 21). 221
Dedicatio Sorana fratrum Vertulejorum (*cf. p.* 18, 20) 233
Tituli varii 235

§ 2. **De fragmentis a Varrone, Cicerone, T. Livio laudatis** **240**
A. Loci ex Varrone (*cf. p.* 5, 15, 17, 18, 20, 355) 240
(*Fragmenta carminum Saliarium* : *p.* 243)
B. Loci ex M. Tullio Cicerone (*cf. p.* 5, 18) . . . 259
C. Loci ex T. Livio (*cf. p.* 18, 21) 260
§ 3. **De fragmentis a Festo ex Verrio Flacco laudatis** (*cf. p.* 5, 17, 447) . . . **292**
§ 4. **De fr. a diversis ex Caesio Basso laudatis** (*cf. p.* 1,2,4,5,10,12,17,18,20,355) **309**
5. **De fr. a Gellio laudatis** (*cf. p.* 5,18,20) . **329**
§ 6. **De fragmentis a Nonio laudatis** . . . **333**
§ 7. **De fragmentis a Charisio et Diomede laudatis** **350**
Charisius (*cf. p.* 5) 350
Diomedes (*cf. p.* 5). 352
§ 8. **De fragmentis a Servio et a Servii interpolatoribus laudatis** **356**
Fragmenta ex ipso Servio. 358
Fragmenta ex interpolatore Fuldensi. 359
Fragmenta ex interpolatore altero 361
§ 9. **De fragmentis a Macrobio laudatis**. . **363**
§ 10. **De fr. a Prisciano laudatis** (*cf. p.* 5,20) **366**
§ 11 **De fr. a reliquis scriptoribus laudatis** **385**
(*Inter alios* Probus *p.* 387, pseudo-Sallustius *p.* 388, Suetonius *p.* 389, Trebellius Pollio *p.* 391 (*cf. p.* 18), Donatus *p.* 395, Isidorus *p.* 398.)

LIBER ALTER. DE RELIQUIIS.

§ 1. **Carmina Saliorum et Arvalium** (*cf. p.* 18.)
Carmina Saliorum. 405
Carmen fratrum Arvalium. 412
§ 2. **Vaticinia** (*cf. p.* 17, 18, 21, 446) **413**
§ 3. **Carmina sepulcralia et votiva** **417**
Elogia Scipionum et A. Atilii Calatini. 417
Incerti ducis titulus, opus fortasse Naevii poetae . 419
M. Caecilii titulus (*cf. p.* 18, 20) 419
Eurysacis et uxoris tituli 419
Alia carmina sepulcralia. 420

Titulus votivus T. Quinctii dictatoris 420
Tabulae triumphales (*cf. p.* 1, 18, 21). 421
Dedicatio Sorana fratrum Vertulejorum. 423
§ 4. **Ap. Claudii Caeci Sententiae** (*cf. p.* 18) . **424**
§ 5. **Saturnia Livii Andronici fragmenta** (*cf. p.* 5, 11, 18, 21). **425**
Odyssea (*cf. p.* 448) 425
Carmen in Junonem Reginam 431
§ 6. **Saturnia Naevii poetae fragmenta et saturnius Metellorum versus** (*cf. p.* 1, 5, 11, 17, 18, 21) **432**
Naevii Bellum Poenicum 432
Naevii epigramma in se. 439
Metellorum versus (*cf. p.* 18, 320 s.) 440
§ 7. **Carmina saturnia reliqua**. **440**

Addenda et corrigenda 443

Catalogus librorum 449
Tabulae grammaticae 459
Catalogus versuum et fragmentorum 468
Index 487

INDEX SIGNORUM.

† Cruce notantur voces corruptae (p. 20).

( ) Uncis rotundis includuntur voces vel litterae delendae (p. 25, 35).

[ ] Uncis quadratis includuntur voces vel litterae addendae (p. 25, 35).

LITTERIS QUADRATIS fere semper in Parte Priore, semper in Catalogo versuum atque in Indice, scribuntur versus saturnii in lapidibus servati (p. 24).

MAJORUM et MINORUM litterarum quadratarum usus, quod ad Partem Alteram attinet, explicatur p. 222.

PARS PRIOR
DE VERSU SATURNIO

PROOEMIUM

§ 1. — Quid viri docti de saturnio statuerint.

Duobus praecipue viris quisquis ad cognitionem saturnii numeri sese applicat gratus esse debet, Caesio Basso Neronis aequali ex veteribus, ex recentioribus Carolo Odofredo Mueller doctissimo GErmano, qui in oppido Silesiae Brieg anno prioris saeculi nonagesimo septimo natus, anno hujus saeculi quadragesimo Athenis decessit.

Caesius Bassus cum Cn. Naevii carmen victorumque ducum tabulas triumphales in Capitolio fixas perlegisse[1], in libro de metris saturnium versum ita definivit, ut is duobus hemistichiis constaret, quorum prius hac forma esset, ⏑ - ⏑ - ⏑ - ⏑, alterum hac, - ⏑ - ⏑ - ⏑, multos tamen repperisse confitetur versiculos qui hoc schema non aequarent, cum longiores tum breviores. Exempla aliquot subjunxit, quibus apparet eum non iambos et trochaeos significare voluisse puros, verum iis similes quibus comici tragicique poetae erant usi, id est, quorum in loco spondei, dactyli, anapaesti poni possent. Ipsius Caesii opus non habemus; hunc exscripserunt, contraxerunt, discerpserunt

posteriores grammatici, praeter incertum[1] quidem scriptorem diu Atilium Fortunatianum injuria creditum, Marius Victorinus, Terentianus Maurus, Atilius Fortunatianus, Marius Plotius Sacerdos, alii. Qui omnes ne Caesii quidem genuinum opus in manibus habebant[2], nedum per se ipsi carmina vetustissima explicanda susciperent : per hos tamen hoc boni effectum, ne Caesianae doctrinae memoria prorsus periret.

Per medium quod dicitur aevum ea tantummodo studia exstiterunt, quae ad promovendam saturnii metri cognitionem nihil omnino poterant conferre. Neque plus sexti decimi saeculi septimique decimi et octavi decimi docti homines effecerunt ; immo initio saeculi nostri vir in re metrica praestantissimus Godofredus Hermann cum in *Elementis doctrinae metricae* omnes quas quidem novisset saturniae poesis reliquias sedulo tractaret, fere nihil invenit quod nobis alicujus momenti sit. Quo majorem laudem meruit Odofredus Mueller, qui primus animadvertit in illo Caesii Bassi schemate ◡ - ◡ - ◡ - ◡, - ◡ - ◡ - ◡ nonnullas theses, id est debiliores pedum partes[3], supprimi et omitti posse. Hoc praeclarum inventum ubi periti probaverunt, tum demum vera doctrina constitui potuit et ab aliis viris doctis quasi ad perfectionem perduci. In id O. Mueller incidit memor veteris Germanorum « longi versus » (*Langzeile* illi quam nunc vernaculo sermone dicunt), cujus theses simili prorsus modo omittuntur. Saturnius igitur

1. Nam vereor ut recte Henricus Keil in Grammaticorum Latinorum tomo VI ipsius Caesii se habere opus ratus sit. Sane scriptor incertus prima persona loquitur : *ut vere dicam, ut vix invenerim quos ponerem, tale inveni genus, talia repperi exempla, quem paulo ante posui, hos repperi idoneos*. Sed haec et similia epitomator exscribere potuit; apud Victorinum pauca leguntur quae certo ex Caesio deprompsit, noster ignorat (locos vide infra Part. II lib. I § 4). Ergo iis assentior, qui nobis epitomen tantummodo Caesii praesto esse putant.

2. De qua re non dubitabit, qui eos cum Scriptore incerto nostro contulerit (locos vide infra, II, I, 4).

3. *Thesis* est quod nos in musica *temps faible, arsis* quod *temps fort* appellamus. *Anacrusis* est thesis ante primam arsin posita. In *Aux armes, citoyens* anacrusis in initio est, in *God save the queen* abest.

versus praeter illud schema ex Caesio Basso petitum :

Dabunt malum Metelli Naevio poetae,

etiam alia duo sine ulla dubitatione admittit :

Dabunt malum Metelli Naevio *vati*,
Dabunt malum *multi* Naevio poetae ;

quartumque ut videtur, si in utroque hemistichio thesis paenultima supprimitur :

Dabunt malum *multi* Naevio *vati*.

In hoc sane O. Mueller peccavit, quod praeter theses hemistichiorum paenultimas ceteras quoque (ultima versus thesi tantummodo excepta) pari ratione nonnumquam supprimi credidit[1] ; cui errori facile veniam dabis, si reputaveris multos ex doctissimis viris nondum quid in hac re verum esset clare perspexisse, propterque imperfectam veteris prosodiae cognitionem plerosque peritorum etiam nunc persaepe decipi. Ergo cave Caroli Bartsch severitati assentiaris, qui O. Muelleri deliramenta (*Extravaganzen*) nimis arroganter castigat.

Per id quod O. Mueller invenit solum, hoc est, per solam detractionem thesium in certis sedibus liberam, saturnius numerus Italiae proprius a numeris apud Graecos usitatis distinguitur. Sane supprimuntur aliquando theses etiam graecis in versibus. In trimetro claudo sive hipponacteo, ut *ἀκούσαθ' Ἱππώνακτος, οὐ γὰρ| ἀλλ'| ἥκω*, antepaenultima syllaba, item paenultima in tetrametro iambico catalectico, ut *εἴ μοι γένοιτο παρθένος καλή τε καὶ τέ|ρει|να*, ita proferri debent ut totum trochaeum efficiant ; quae fuit causa, cur eae

1. Tantam libertatem, immo licentiam, admitti fatendum est in horrido illo Germanorum numero. In Nibelungis exempli gratia cum hemistichia omnium versuum priora quaternas arses habeant, theses praeter anacrusin ternas habere possint, fiunt thesibus anacrusibusque sine peculiari causa modo servatis modo sublatis formae ejusdem metri diversissimae. Pauca

longae syllabae numquam in binas breves solverentur[1]. Sed Graecis detractio thesis semper aut illicita aut necessaria, Latinis qui saturnios fingebant libera erat. Neque ulla alia italici numeri et graecorum differentia fuit; nam quidquid in saturniis versibus difficultatis inesse videtur, id in vetere sermonis latini pronuntiatione, non in rationibus metricis causam originemque habuit. Pronuntiatio autem cum Naevio et Plauto eadem fuerit, quas tractavimus infra de prosodia quaestiones non magis ad cognitionem saturniorum carminum pertinent quam ad judicandas et constituendas scenicorum poetarum reliquias. Ergo in doctrina de saturnio propria nihil magni est momenti, quod non aut a Caesio Basso aut ab Odofredo Mueller acceperimus.

tantum exempla petam ex editione Caroli Bartsch (*Das Nibelungenlied*, Leipzig 1866, Brockhaus; quod tertium est volumen in Francisci Pfeiffer *Deutsche Classiker des Mittelalters*):

20,2 Des|| vater| der hiez| Sige|munt.
20,1 Dô|| wuohs in| Nider|lan|den.
2,1 Ez|| wuohs in| Bur|gon|den.
2,2 || Daz in| allen| lan|den.
2,3 || Kriem|hilt ge|hei|zen.
30,2 || Samct| Sî|frî|de.

Quasi in aliquo latini carminis genere hae hemistichiorum formae alia pro alia promiscue acciperentur:

Et omnis est et alteros.
Et est et alteratos.
Et est et allatos.
Est et omnis illos.
Illos alendos.
Omnis allatos.

In Latinorum versibus saturniis numquam aliae theses supprimuntur quam quae sunt hemistichiorum paenultimae. Talia igitur exempla nusquam reperias:

Dant malum Metelli Naevio poetae.
Dabunt *hoc* Metelli Naevio poetae.
Dabunt malum *Titi* Naevio poetae.
Dabunt malum Metelli *Gnaevo* poetae.
Dabunt malum Metelli Naevio *modo*.

1. Nam quod Latini in tetrametro paenultimam solvunt, id imitatorum est, qui quod imitabantur non satis accurate noverant.

Veteres grammatici praeter Caesium Bassum quid boni nobis tradiderint haud longum erit percensere. Diomedes ait, si saturnio syllaba extrema dematur, iambicum fieri, scilicet trimetrum : quod si omnino verum esset parum tamen utilitatis afferret, praeterea ibi tantum falsum non est, ubi de trimetro agitur caesuram semiseptenariam habente, de saturnio continente in antepaenultima sede syllabam brevem. Similiter pseudo-Asconius saturnium habet pro *senario hypercatalecto*. Per Priscianum scimus, corripi alteram vocis *decorem* syllabam in hoc versu Naeviani carminis de Bello Poenico :

Magnam domum decoremque ditem vexarant;

per Festum, corripi primam vocis *procitum* in fragmento quodam Livii Andronici; idem disertis verbis docet Cn. Naevium (quod alioquin ex Ennio et Cicerone, collato etiam Caesio Basso, non tam bene disceremus) saturniis Bellum Poenicum scripsisse. A. Gellius tribus locis fragmenta Livianae Odysseae singula ita laudat, ut ea versus integros, non hemistichia aliasve versuum partes, efficere aperte dicat : neque tamen ille neque alius quivis veterum id carmen saturniis scriptum fuisse memorat[1]; ut (quod doctorum nonnulli adhuc ignorare videntur) nullo modo audacius sit in inscriptionibus quam in Livianis reliquiis metrum agnoscere saturnium. Quarum inscriptionum auctores nonnihil a nobis meruerunt gratiae, cum servatis intervallis, appositisve propriis signis, singulos versus in lapidibus distinxerint. Ex carminibus Saliorum versiculum unum distincte affert Varro. Per scriptores diversos servata sunt plura quam vulgo creditur saturnii metri exempla, nec genere tamen versuum neque initio et exitu designato. Hactenus doctrinam de saturnio adjuvat antiquitas[2].

1. Quin Diomedes saturnium tradit a Naevio inventum.

2. Nihil ad nos pertinent quae Charisius p. 288 s. Keil de *saturniis quinum denum et senum denum pedum* refert. Diomedes p. 479,20 Keil loquitur de pede *saturnio* vel *saturnino*; de quo testimonio vide infra II, I, 7.

Haec doctrina quod hodie jam bene cognosci potest, id post O. Muellerum Fridericus Ritschl maxime effecit. Qui non solum recte negavit ex septem saturnii thesibus primam aut quartam aut septimam umquam supprimi, in singulis hemistichiis binas theses deficere posse, hiatum offensionis quidquam habere, sed etiam (quod, quia in minutis ejusmodi rebus nonnumquam erravit, majoris momenti fuit) universam inquirendi rationem firmis fundamentis stabilivit. Docuit enim ex inscriptionibus maxime, non ex scriptorum fragmentis, leges saturniorum veras petendas esse; neque id quisquam sano judicio praeditus negabit, cum in inscriptionibus lectio per saecula plus viginti incorrupta remanserit, saepe initia versuum distincte designentur, contra fragmenta per codices manu scriptos servata atque ex veteribus carminibus quo modo nescimus decerpta omni dubitationis generi sint obnoxia. Idem senserat O. Mueller haec ad Varronem 7,51 scribens : « Cujus rei certissima sunt testimonia *in monumentis Scipionum.* » Ritschelius autem optimum illud praeceptum primus ita peritis acceptum reddidit, ut nemo ex idoneis quidem judicibus dissentire auderet aut cuperet; resque ei etiam melius successit quam aequum fuit, cum quidam ex doctis, saturnios ex inscriptionibus petitos nimio amore amplexantes, reliquias Livii Andronici Gnaevique Naevii venerandas nonnumquam neglegere ac contemnere videantur. — Post Ritschelium Andreas Spengel praecipuo honore nominandus. Hic in *Philologo* anno 1866 quas Ritschelius nondum perspexerat leges constituit : caesurae duos non plus esse locos, et post et ante quartam thesin; theses eas solas supprimi posse, quae sunt hemistichiorum paenultimae; thesin quae hemistichii exitum efficiat in binas breves non solvi. Utile non esset dicere, quibus in rebus ipse Spengel errasse videatur; nam haec aut sunt minutissima, aut ad singulos versus, non ad universam saturniorum doctrinam pertinent. Etiam non inquiremus, quid boni quid mali ceteri viri docti admiserint; de quibus taceri hoc loco non

ideo lector existimato, quia quid probem improbemve nesciam : nam contra metuo ne, dum ipse in re controversa plurimos nodos minime dubitanter expedire aggredior, in judicandis aliorum opinionibus justus esse nequeam. Multorum virorum doctissimorum labor, etiam ubi errarunt, in summa tamen procul dubio scientiam veri longius provexit, itaque bene meruerunt Corssen, Westphal, Weil et Benloew, Ribbeck, Vahlen, Guenther, Bartsch, Buecheler; maxime Theodorus Korsch, qui in libello *De versu saturnio* anno 1868 Mosquae edito ostendit quartum saturnii trochaeum fere purum esse, laudandoque cum acumine disseruit de dihaeresibus (quod genus caesurae est) in mediis hemistichiis. At qui doctrinae nostrae nocuerunt, non profuerunt, Duentzer et Lersch, Weise, Pfau, eos si quis nomine memorare parcat, nimis ille ad ignoscendum pronus videatur.

§ 2. — Leges saturnii quae fuerint.

Leges quas fuisse saturnii versus existimamus, quo facilius lectores hunc librum intellegere possint, apertissime jam nunc paucis verbis declaraturi sumus. Fusius infra in libro priore de prosodia, in libro altero de re metrica agetur.

Saturnius constat ex sex pedibus cum anacrusi ; caesura numquam caret ; haec habet locum aut post tertii pedis thesin, ut

Da||bunt ma|lum Me|*telli*| Naevi|o po|etae|

aut, quod rarius fit, post ejusdem arsin, ut

Co||rinto| dele|*to* *Ro*|mam redi|eit tri|umphans|
A||mnem Tro|jugena| *fuge* *Can*|nam ne te| alie|nigenae

Sic in poetarum scenicorum tetrametris caesura modo post

quartum trochaeum, modo post quartam arsin ponitur. — Ubi caesura post arsin est, fit insequens thesis quodammodo anacrusis alterius hemistichii.

Arses singulae aut ex longis singulis constant, ut

Da||*bunt* ma|*lum* Me|*tel*li| *Naevi*|*o* po|*e*tae|

aut ex brevibus binis, ut

Si||*cilien*|ses pa|ciscit| obsi|des ut| reddant|
A||mnem Tro|*jugena*| *fuge* Can|nam ne te| *alie*|*nigena*e|
Bene|| rem ge|ras et| *vale*as| dormi|as sine| qura|
No||ctu Tro|jad ex|ibant| *capi*ti|bus o|pertis|
Ho||nos fa|ma vir|tusque| gloria| atque in|*geni*um|

Quae solutio etiam in iambis et trochaeis poetarum scenicorum reperitur.

Anacrusis prioris hemistichii, item in versibus qui caesuram post arsin habent illa thesis quae quasi alterius hemistichii anacrusis est, constat aut ex brevi, ut

Ho||nos fa|ma vir|tusque| gloria| atque in|genium|
Quot||annis| comi|ter *A*|polli|ni| fiant|

aut ex longa, ut

Con||sol cen|sor ai|dilis| quei fu|it a|pud vos|
Co||rinto| dele|to *Ro*|mam redi|eit tri|umphans|

aut ex duabus brevibus, ut

Decu|ma fa|cta po|loucta| leibe|reis lu|bentes|
Ob||liti| sunt Ro|mae *loqui*|er lin|gua la|tina|

Sic apud poetas scenicos reliquosque anacrusis versuum iambicorum se habet.

Theses hemistichiorum antepaenultimae itidem aut ex brevi constant, ut

Gnai||vod *pa*|tre pro|gnatus| fortis| vir sapi|ensque|
Quoi||ei vi|ta de|fecit| non *ho*|nos ho|nore|

aut ex longa, ut

Hoc|| est *fa*|ctum monu|mentum| Maarco| Cai|cilio|
Quan||tam co|lumnam| quae res| tuas *ge*|stas lo|quatur|

aut ex binis brevibus, ut

Ma||gnum *nume*|rum tri|umphat| hosti|bus de|victis|
Co||rinto| dele|to Ro|mam *redi*|eit tri|umphans|

Sic se habent apud poetas scenicos eae iamborum aut trochaeorum theses, quae in mediis hemistichiis sunt. Ceterum in altero hemistichio thesis antepaenultima permulto saepius brevis est quam aut longa aut soluta.

Thesis posterioris hemistichii ultima, item thesis prioris hemistichii ultima quam caesura sequitur, constat ex una syllaba aut brevi aut longa, ut

Gnai||vod pa|tre pro|gnatus| fortis| vir sapi|ens*que*|
Con||sol cen|sor ai|dilis| quei fu|it a|pud *vos*|

Ho||nos fa|ma vir|tus*que*| gloria| atque in|genium|
Da||bunt ma|lum Me|tel*li*| Naevi|o po|etae|

In breves duas solvi nequit. Sic in hexametro epico ultimus pes numquam dactylus est. Itidem in scenicorum poetarum tetrametris trochaicis acatalectis vel iambicis catalecticis ultima syllaba non solvitur.

Thesis utriusque hemistichii paenultima et corripi et produci et solvi potest, ut

Ne|| quaira|tis *ho*|nore| quei minus| sit man|datus|
Ter||ra Pu|bli *pro*|gnatum| Publi|o Cor|neli|
Faci||le fa|cteis *supe*|rases| glori|am ma|jorum|

Quoiiei vi|ta de|fecit|, non ho|nos, *ho*|nore|
Ho||spes, gratum| est quom a|pud meas| resti|tis*tei*| seedes|
Bene rem ge|ras et valeas|, dormi|as *sine*| qura|

In hoc theses paenultimae antepaenultimis anacrusibusque sunt similes, neque ab illis thesibus differunt, quibus scenici poetae utuntur. Sed et saturnii versus et illius in eo loci proprium est, quod theses paenultimae omnino omitti possunt. Arses scilicet quae praecedunt extenduntur usque ad terna tempora atque solae per se pro integris trochaeis sunt: tum eas perspicuum est numquam solvi posse, quo fit ut singulae syllabae totos pedes expleant. Frequentior thesis paenultimae detractio in posteriore hemistichio quam in priore; perrara in utroque simul :

Saepe : Tau||rasi|a Ci|sauna| Samni|*o*| cepit|
Aliquando : Ae tate| *quom*| parua [1]| posi|det hoc| saxsum|
Perraro : Res|| divas| *e*|dicit|, praedi|*cit*| castus |

Eo intellegitur Caesium Bassum, inter saturnios qui schema a se propositum aequarent, invenisse etiam alios breviores.

Nusquam saturnius reperitur, in quo arsis et thesis vel thesis et arsis deinceps solvantur. Nullum igitur exemplum est pedis proceleusmatici [2]. Hic tamen in versibus poetarum scenicorum admittitur, nec dubium videtur quin in saturnio quoque recipi potuerit. — Quaternae vel quinae breves deinceps positae pedem et semipedem efficiunt, ut

Si||*lüico*|lae homines bellique inertes.
Amnem, Tro|*jugena*|, *fuge* Can|nam, ne te alienigenae.

1. Cur *parua* scribam, non *parva*, ex § 3 c intellegetur.

2. Incerta enim, immo falsa haec sunt : Decemviri graeco ritu hostiis *sacra faciant* (*sacra* dele); Romane aquam Al|banam| *cave lacu*| contineri (feri *Alba*|*nam ca*|*ve*); Quantam statuam faciet *tibi popu*lus romanus (lege *poplus*, praetereaque feri *ti*|*bi*);.... FEMINA OPITUMA VEIXSIT (lege *optuma*); *Neque tamen* te oblitus sum Laertie noster (melius traditur *Neque enim*).

Saturnius cum in singulis hemistichiis ternas arses habeat, non in priore binas in altero quaternas, hexameter est, non trimeter, sexiesque debet feriri. Quare eo usi sunt Livius Andronicus et Naevius cum versus Graecorum heroicos aut latine verterent aut imitarentur[1]. Habuerunt etiam Latini disticha saturnia dactylicis similia, id est, quae constarent ex hexametro et duobus trimetris catalecticis, ut

Hunc|| unum| pluri|mae con|senti|unt| gentes|
Popu||li pri|mari|um| fuis|se vi|rum|.

In antiquissimis temporibus versus fuerunt, qui saturnii hexametri prius hemistichium aequabant, ut

E|| nos La|ses ju|vate|.

Temporibus illis, quibus Latini poetae versus saturnios condebant, pronuntiatio vocalium et syllabarum ab ea longe differebat, quae scribentibus Horatio, Vergilio, Ovidio in usu fuit. Eadem autem erat, quam apud Plautum, Terentium, Ennium, apud Livium quoque Andronicum et Cn. Naevium in comicis tragicisve versibus deprehendimus. Neque id mirum : nam qui fieri potuisset, ut Livius

1. Iidem poetae ubi in tragoediis comoediisque trimetros tetrametrosque vertendos susceperunt, nihil domi in usu reppererunt quod his versibus simile esset, ipsa igitur Graecorum metra Latina fecerunt. — Anacrusi saturnius hexametro longior est, quae differentia minima est. Major audacia quam Livio Andronico fuit ineunte medio aevo iis, qui tonicis versibus stropham sapphicam imitari conati sunt ; nam hi non in initio versuum, verum in fine syllabam addiderunt, exitumque effecerunt ex trochaico iambicum. Vide exempli gratia carmen de diruta Aquileja apud Du Méril, Poésies latines antérieures au XIIe siècle p. 234 ss. : *Bella, sublímis, inclita divítiis, Olim fuísti celsa aedifíciis, Moenibus clâra, sed magis innúmerum Cívium túrmis.— Xriste, rex nóster, judex invictíssime, Te supplicâmus, miseratus réspice, Averte íram, tales casus próhibe Fámulis túis.* Praeterea animadvertere debes etiam initium ex trochaico esse iambicum factum, postquam arsi anacrusis addita esset. Atque, sicut caesura in hexametro dactylico post arsin locata ponitur in saturnio post thesin, sic caesura sapphici metrici post arsin est, post thesin caesura sapphici tonici. Scilicet poetae novum rhythmi genus condere non aggressi sunt, verum pro sapphico qui sibi deerat quem praesto habebant senarium tonicum substituerunt.

Naeviusque aliter in carmine tragico, aliter in epico easdem voces pronuntiarent?

Syllaba brevis, quae vocis efficit initium, longam insequentem communem facit. Sic in polysyllabo :

Quo||jus for|ma vir|tutei| PA*rĭ*[*s*]su|ma|[1] fuit|
Ne|| quid frau|dis stu|prique| FE*rŏ*ci|a| pariat|

Quan||tam co|*lŭ*mnam| quae res| tuas ge|stas lo|quatur|
Quoi||ei vi|ta de|fecit| non ho|nos ho|*no*re|

in disyllabo :

DE*dĕt*|| Tempe|state|bus ai|de mereto.....
Ro||mane aquam| Alba|nam ca|ve LA*cŭ*| conti|neri|

Is|| hic SI|*tŭs* quei| nunquam| victus| est vir|tutei|
HO||*nŏs* fa|ma vir|tusque| gloria| atque in|genium|

in disyllabo synaloepham patiente :

Quibus sei|| in lon|ga licu|iset| TIBI *ŭ*ti|er| vita|

SACRA|| *īn* men|sa Pe|natium| ordi|ne po|nuntur|

in monosyllabo :

Ob|| hasce| res bene| gestas| QUOD *ĭn* bel|lo| vorat|

Is|| *hīc* si|tus quei| nunquam| victus| est vir|tutei|

Itidem apud poetas scenicos, de quibus infra (I, I, 1) fusius disseretur. Nisi fallor versus, in quibus longa pro brevi posita est, ii sunt qui Caesio Basso videbantur schemate illo esse longiores.

Syllaba brevis, quae vocis exitum efficit, si sub arsi est, necessario producitur, ut

Dein||*de* pol|lens sa|gittis| incli|tus ar|quitenens|
Subi||*git* o|mne Lou|canam| opsi|desque ab|doucit|
Ca||ro tu|*a* nam| mihi ita| Juppi|ter| fatust|

1. Ex inscriptione hic versus desumptus est, quae PARISVMA per unam s litteram scriptum exhibet. Etenim ante Ennium Latini consonantes in

Similia apud poetas scenicos perraro, in Ennii hexametris saepe reperiuntur.

Ergo syllaba brevis si arsin hemistichii paenultimam accipit, sola per se pro trochaeo esse potest, ut

> Neque e||nim te ob|litus| sum La|erti|*e*| noster|

Syllaba longa vel brevis, quae vocis exitum efficit, si sub arsi est, hiatum cum insequente vocali facere potest, ut

> Hone||rari|*ae* ho|nustae| stabant| in| flustris|
> Mul||*ti* ali|*i* e| Troja| strenu|i| viri|
> Par||*tim* er|rant ne|quinont| Graeci|am red|ire|
> Si||mul dvo|*na* e|orum| portant| ad| navis|

In caesura et post arsin et post thesin promiscue hiatur, ut

> Hec|| cepit| Corsi|*ca* A|leriaque urbe....
> Vi||rum mi|hi Ca|me*na*| inse|ce| versutum|

Extra caesuram post arsin plerumque fit synaloepha, ut

> Subi||git o|mne Lou|canam| opsi|des*que* ab|doucit|

Post thesin perraro aut in caesura fit synaloepha aut extra caesuram hiatus. De quo infra (I, lib. I § 2). — Apud poetas scenicos, ut videtur, hiatus et post arsin in mediis hemistichiis et post thesin in caesura admittebatur ; extra caesuram quoque cum in multis Plauti locis quos omnibus machinis admotis plerique doctorum per fas et nefas immutare conantur, tum in trimetro Naevii quem hiatus causa diserte laudat Cicero.

Temporibus priscis multae vocales ante vocales positae longae erant, quae postea correptae sunt : sic apud Plau-

scribendo geminare non didicerant. Sed minime dubium est quin in pronuntiando easdem soliti sint geminatas proferre, *parissuma* dicentes pro PARISVMA, *tabellai* pro TABELAI, *orquoltod* (occulto) pro OQVOLTOD.

tum *i* producitur in *fieri*, apud Ennium *u* in *fuimus*. Item vocales erant quas postea pro consonantibus acceptas invenimus : sic apud Plautum *larŭa* trisyllabum est. Genetivi pronominalium in *jus* exeuntes modo trochaeum efficiebant, modo pyrrhichium. Talia in saturniis non deficiunt, ut

Ma||gnum stu|prum| populo| *fie*|ri per| gentis|
Quo||jus for|ma vir|tutei| parisu|ma| *fŭit*|
Cel||sosque o|cris a|*rŭ*aque| putria| et mare| magnum|
Ductu|| auspicio| imperi|oque| *ĕjus* A|chaja| capta|

Alia, eaque minoris momenti, infra suo loco tractabuntur.

Vocales vocum singularum ultimae cum ob causam quae infra declarabitur partes solutae arseos vel solutae theseos esse vix possint, nisi praecedens syllaba et brevis sit et ejusdem vocis initium, perraro apud poetas scenicos et in carminibus saturniis vox talis, qualis *omnia* est, trochaeo vel iambo substituitur; itidem vox talis, qualis *facile* est, in paenultima syllaba vix potest feriri. Sic igitur legendum :

Faci||*le* fa|cteis supe|rases| glori|am ma|jorum|

non :

Fa||*cilĕ* fa|cteis.........

Quod scenici poetae in senariis septenariisque observant, ut vox molossica potius antepaenultimam et paenultimam accipiat arses, quam quartam ab exitu et antepaenultimam (exempli gratia Terentius in fine versus *senibus ambobus simul* consulto, non *ambobus senibus simul* scribit, de qua re infra, I, lib. I § 7), aliaeque ejusmodi religiones sunt de verbis spondiacis aut in spondeum exeuntibus, tanta fortasse subtilitas in saturnio numero non quaerenda est. Nam

in versibus scenicis singula metra unam arsin validiorem, alteram debiliorem continent, in saturniis tot sunt metra quot arses. Tamen nobis cavendum est, ne in versibus constituendis sine causa insolentiorem rhythmi speciem admittamus.

Vis accentus in saturniis nulla est. Etiam in comicis versibus quod vulgo ad accentum referunt, id ex alia causa duci et potest et debet. Neque (ut candide quod sentio aperiam) ante Commodianum, qui circa annum post Christum natum 250 scripsit, quisquam poeta quicquam accentui tribuit[1].

§ 3. — De origine saturnii.

Saturniorum nomen versuum, si veteres scriptores audis, quodam modo cohaeret cum nomine terrae sive urbis *Saturniae* et dei *Saturni*. Fuit cum nos suspicabamur *sāturnium* primo fuisse versum in *satura* adhibitum, postea perperam *a* veriloquii causa esse productam. Sed in re tam fabulosa nihil dispicere fatemur. — Non reperitur hoc nomen ante Varronem, neque Ennio videtur fuisse notum cum scriberet « *Versibus quos olim Fauni vatesque canebant* », nam, ut recte animadvertit Laurentius Lersch, Ennius sine dubio in illa poetica περιφράσει Saturnum ipsum tetigisset.

Haud fallebantur antiqui, ubi saturnium metrum Italicae regionis proprium fuisse existimaverunt; certo enim graeca ejus origo non est, atque reperiri videtur apud plures Italiae populos, ut Oscos, Paelignos, Umbros, quod jam satis, credo, plerisque doctorum Franciscus Buecheler

1. Nisi fortasse unus et alter excipiendus est eorum semidoctorum hominum, a quibus inscriptiones metricae confectae sunt. Hic enim de poetis loquimur, qui justos libros conscripserunt.

probavit. Sed invidi fati malitia factum est, ut tituli non latini saturniis versibus concepti inter obscurissimos essent[1]. Qua de causa in hoc libro latinos tantummodo saturnios tractavi.

Latini sine dubio, cum a ceteris Ario-Europaeis populis separati sunt, aliquem numerum domi et habebant et servaverunt, qui saturnio numero originem dedit. Hoc post Rudolphi Westphal Fridericique Allen investigationes veri simillimum quidem, non certum videtur, unum eumdemque fuisse fontem et saturnio Latinorum et hexametro Graecorum et çloko Indorum et longo versui Germanorum. Nam si pro fundamento poesis ario-europaeae quaternarios iambicos admiseris, horum bini cum singulis juncti strophas in Rigvedo usitatissimas efficient :

Agninā rayĭm açnăvat pōsam ēva dĭvē dĭvē
yaçasam vīrăvattămam ;

bis bini çlokum epicum :

Tatas tu yātē Vārs*n*ēyē Pu*n*yaçlōkasyă dīvyăta*h*
Puskarē*n*a h*r*tam rājyam yac cānyad vasŭ kincăna.

Eosdem quaternarios habes in Nibelungis, ubi pro hemistichiis sunt (supra p. 3 adnot.1), ut :

Des‖ vater| der hiez| Sige|munt ˘|,
Dô‖ wuohs in| Nider|lan|den ˘|,
Ez‖ wuohs in| Bur|gon|den ˘|,
‖Daz in| allen| lan|den ˘|.

Hi ubi ultimam thesin amittunt, facillime insequens arsis in thesin abire potest, ut efferatur :

Dô‖ wuohs in| Nider|landen|,
‖Daz in| allen| landen|.

1. De saturniis non latinis vide Froehner, *Philologus* XIII p. 207; Buecheler, *Rheinisches Museum fuer Philologie* XXX (1875) p. 441 ss. et XXXIII (1878) p. 271 ss.; Bugge, *Altitalische Studien* p. 61 ss.; Buecheler, *Interpretatio tabulae iguvinae II* p. 16; Zvetaieff, *Sylloge inscriptionum oscarum*, 17 cum tab. IV 1, 25 cum tab. V 3, 143 cum tab. XVIII 9.

Quae syncopa si constanter fiat, habeas hexametrorum graecorum hemistichia :

Πο||λύτροπον| ὃς μάλα| πολλά|,
||Ἄνδρα μοι| ἔννεπε| Μοῦσα|.

Item habeas hemistichia saturniorum :

Ho||nos fa|ma vir|tusque|,
||Gloria| atque in|genium| ;

immo integros antiquissimis saltem temporibus versus :

E|| nos La|ses ju|vate|.

In saturnio non solum inter secundam et tertiam arsin thesis, ut vidimus, supprimi potest, sed debet supprimi quae olim inter tertiam quartamque arsin thesis fuit. At eaedem duae theses in Indorum vedicis quaternariis inque paribus çloki hemistichiis solae purae sunt, id est, solae ex brevi syllaba constant. Anacrusis autem non supprimitur, nisi ubi thesis praeit, thesisque inter primam alteramque arsin posita numquam deficit. At in indicis quaternariis utraque impura esse potest. Ergo jam temporibus ario-europaeis fortasse alia erat anacrusis primaeque thesis, alia secundae tertiaeque natura.

Sed haec videant qui Indorum Germanorumque leges poeticas melius noverunt, quique etiam quaerere audebunt, numquid ex eodem fonte ad Persas, Slavos, Celtas manaverit ; neque obliviscantur romanicam poesin ita a romana discrepare, ut ejus origo paene lateat nullaque magis pars grammaticae lubrica sit. Nos hic lectori minus quid verum fuerit ostendere voluimus, quam quid liceat suspicari.

§ 4. — **De carminibus.**

Saturnio metro esse usos Cn. Naevium in carmine de Bello Poenico per Festum novimus, per Ennium ac Varronem veteres vates, per Caesium Bassum eos qui victori-

bus ducibus tabulas triumphales in Capitolio figendas conscripserunt. Ex his tabulis duas laudat M'. Acilii Glabrionis Luciique Aemilii Regilli.

Naeviani Belli Poenici fragmenta exstant a compluribus scriptoribus laudata, quae circiter septuaginta versus vel versuum partes efficiunt. Vaticiniorum fragmenta parva apud diversos exstant; vaticinia tota nec nimis corrupta tria T. Livius servavit. Tabulae Acilianae versiculus unus laudatur a Caesio Basso; item Aemilianae unus, sed reliqua ejusdem verba quamquam miro modo perturbata tamen prope omnia apud T. Livium legi possunt; idem T. Livius tabulam Ti. Sempronii Gracchi satis corruptam affert; ex lapide habemus tabulam L. Mummii, sed genuinum hoc exemplar non est, et in fine dubitari nequit quin lectio fuerit immutata.— Ex tabula triumphali incerta, ex elogio incerto, ex carmine de Troja incerto (ex eo, puto, quod *Carmen Priami* inscriptum erat) singuli versus saturnii per Caesium Bassum supersunt. Cui etiam et pseudo-Asconio debetur versus singularis Metellorum in Naevium.

Reliquiae poesis saturniae omnes, praeter eas quas dixi, non nisi conjectando possunt huic metri generi tribui. Quae reliquiae sunt hae: *Sententiarum* Ap. Claudii Caeci fragmenta tria; *Odysseae* a Livio Andronico barbare translatae versus paulo plus quadraginta; *Carmini* ejusdem *in Junonem reginam* restituendus versus unus; Naevianum *epigramma* versuum quattuor ex A. Gellio; *Carminis Priami* ab incerto auctore scripti fragmentum unum ex Varrone; *Scipionum elogia* quattuor, quinque et viginti versus efficientia, ex lapidibus; quinti, Ennio attributi, duo versus ex Trebellio Pollione; *Calatini elogii* duo versus ex Cicerone; *M. Caecilii titulus* trium versuum ex lapide; *Vertulejorum dedicatio* quinque versuum ex lapide; *fratrum Arvalium carmen* quinque versuum misere corruptum ex lapide inferioris aevi; *carminum Saliarium* versus tres corrupti et fragmentum nondum in numeros redactum; denique pauca minora aut dubia fragmenta.

Varronem nonnulli doctorum saturnios versus scripsisse existimant. Quod iis investigandum reliqui, qui universas Varronis reliquias edere in animo habent. Sed caveant illi, ne sotadeos versus pro saturniis habeant; nam facillime inter se haec metra confunduntur[1].

§ 5. — De versibus singulis.

Disertis testimoniis saturnios esse novimus versus hos octo[2]:

> Dvello magno dirimendo regibus subigendis.
> Fundit fugat prosternit maximas legiones.

1. Vix dubium quin L. Accius sotadeis numeris usus sit in *Didascalicis* et *Pragmaticis*, quorum operum fragmenta tredecim collegit Lucianus Mueller in editione Lucilii (Lipsiae 1872). In his autem inveniuntur versus saturnii optimi decem : *Sapientiaeque invictae gratia atque honoris; — Placare hostem ferocem inimiciterque accensum. — Ut, dum velint brevitatem consequi verborum, Aliter ac sit relatum redhostiant responsum; — Actoribus manuleos, baltea, machaeras; — Quamque longe distincta alia ab aliis nosce; — Describere in theatro perperos populares; — Unde omnia perdisci ac percipi queuntur; — Nam nec Gemini leones, nec Condalium, nec Anus, Plauti, nec Bis compressa, nec Boeotia umquam.* Praeterea duos levissimis factis emendationibus habebis : *Nam quam varia* (traditur *varia sint*) *genera poematorum, Baebi; — Vectigal egerant* (traditur *vectigalia legerant*), *vestra et struantur statim.* Atque fragmentum est unum mutilatum : *sed Euripidis qui choros temerius in fabulis; —* loci corruptissimi tres : *pater honesto rem mactavit aurea*, et : *et magnificissime excellissime excellicissimique honore*, et : *et cuncta fieri cetera imbecilla non quod ponderitatem gravitatemque hominis.* Restat fragmentum quod saturnium metrum vix admittat unum : *falsidica, Audax, gnati mater pessimi odibilis, Natura impos, excors, ecfera*; item quod omnino rejiciat unum : *Fuit neque adeo Agroecus neque Commorientes.* Atqui sotadeos L. Mueller nonnisi per complures emendationes consequitur, quibus opus non est in constituendis saturniis ; ut, si par illud refractariorum fragmentorum periisset, de ceteris falli deberemus. — Locus *Et eo plectuntur poetae* c. q. s. male a Luciano Mueller in *Fragmaticis* est positum.

2. His grammatici ficticios saturnios, docendi gratia a se compositos addunt quattuor :

> *Merulae quod os vetustae mane dulce cantat.*
> *Isis pererrat orbem crinibus profusis.*
> *Quid invides amicis invides amicis.*
> *Trahuntque siccas multas machinae carinas.*

Tres praeterea iidem grammatici dicunt esse fictos ad normam graecorum

Summas opes qui regum regias refregit.
Magnum numerum triumphat hostibus devictis.
Ferunt pulchras creterras aureas lepistas.
Novem Jovis concordes filiae sorores.
Dabunt malum Metelli Naevio poetae.
Cum victor Lemno classem Doricam appulisset.

Versus, non versuum partes, efficere per Varronem, A. Gellium, Priscianum novimus haec fragmenta, nomine saturnii non addito:

Ex carminibus Saliorum.

Divum †empta[1] cante divum deo †supplicante.

Ex Livii Odyssea.

Virum mihi, Camena, insece versutum.
Ibidemque vir summus adprimus Patroclus.
Quando dies adveniet quem profata Morta est.

Ex Naevii Bello Poenico.

Magnam domum decoremque ditem vexarant.

Seorsim scripti singuli versus exstant in tribus ex Scipionum elogiis, in dedicatione fratrum Vertulejorum, in titulo M. Caecilii. Quibus in monumentis septem et viginti distinctos versus saturnios habemus. Etiam in carmine fratrum Arvalium distinguuntur versus, cum ter sin-

si dis placet saturniorum (quod delirantis Caesii Bassi fuit), hos videlicet:

Turdis edacibus dolos comparas amice.
Quem non rationis egentem vicit Archimedes.
Consulto producit eum quo sit impudentior.

Denique Terentianus saturnios imitatus composuit versus hos sex:

Ut si vocet Camenas quis novem sorores.
Et Naevio poetae sic ferunt Metellos
Cum saepe laederentur esse comminatos.
Dabunt malum Metelli clauda pars dimetri.
Post Naevio poetae tres vides trochaeos.
Nam nil obest trochaeo longa quod suprema est.

1. Praeposita cruce notantur in hoc opere voces corruptae.

guli repetantur; sed ita corrupta lectio in hoc monumento est, ut nihil inde certi eruere possis.

In universum igitur *quadraginta* sunt saturnii, qui et ubi incipiant et ubi desinant scias. Praeterea sex sunt in elogio L. Cornelii Cn. f. Cn. n. Scipionis, quattuor in tabula triumphali L. Mummii, quattuor in epigrammate Naeviano, tres et quinquaginta in vaticiniis tabulisque triumphalibus a T. Livio servatis, circiter centum et quadraginta in ceteris reliquiis, in summam plus *ducenti*, qui non nisi metro sensuque duce distingui possunt. Ne mirere igitur, in iis dijudicandis constituendisque doctos tam saepe alium ab alio dissentire.

Ceterum haec fuisse videtur lex veteribus grammaticis cum versus saturnios laudarent, ut integros afferrent nisi ubi sensus repugnaret. Nam ex Livianis Naevianisque fragmentis pauca sunt quae non cum versu et incipiant et desinant; quibus ne adnumeres fragmenta neglegentia tantum amanuensium mutilata, ut Livii *Matrem* [*meam*] *procitum plurimi venerunt.*

LIBER PRIOR

DE PROSODIA

Nihil in partibus rei metricae obscurioribus certi constitui potest, nisi de prosodia probe constet. Neque, ubi metri leges satis in universum notae sunt, in singulis poetarum locis dijudicandis a quaestionibus prosodiacis refugere licet : nam qui Horatii *Artem poeticam* hexametris conscriptam edere in animo habet, necesse est eum decernere utrum correpta vox *palus* ferri possit an a codicum lectione sit recedendum. Quod paucis verbis expediri nequit : quid autem, si Horatius ex illis esset qui ἀρχαϊκῶς scripserunt? quid, si integrae *Artis poeticae* codices proprii periissent versusque ille, qui *palŭs* continere videtur, seorsim ab antecedentibus et insequentibus apud aliquem inferioris aevi grammaticum tantummodo servatus exstaret? Ergo veniam concedi speravimus nobis, quod antequam de legibus versus saturnii ageremus atque de omnibus ejusdem metri reliquiis, totum Librum hujus Partis priorem investigandae *Prosodiae* tribuerimus.

Quod si enchiridium aliquod in Gallia aut etiam in Germania esset, ex quo et facile et tute cognitio veteris prosodiae posset hauriri, id satis nos habuissemus nomine memorare, inde pauca decerpere, atque eo, si quid fortasse explicatione egere videretur, legentes remittere. Sed ea nunc est condicio hujus doctrinae, ut in libris plerisque nihil tirones nisi

errare, nihil periti nisi dubitare discant; nempe, qui de prosodia latina scribunt, a comparativa quae dicitur grammatica testimoniisque linguarum latinae propinquarum petere neglegunt lumen, densisque in tenebris modo placide ambulant, modo acerrime pugnant inter se. Neque in hoc umquam quiquam constantius peccaverunt, quam qui de numero saturnio egerunt. Hoc igitur nobis summopere curandum esse visum est, ut legentibus ipsa ratiocinandi fundamenta atque principia offerre conaremur. Idcirco multa tangere debuimus, quae primo aspectu ad rem nostram pertinere non viderentur.

Sub septem paragraphis mox talia tractabuntur: — I. De brevibus breviantibus, ut *ŭtĭ* pro *utī*, *Prŏsĕrpina, quŏd ĭn bello, tĭbi ŭtier*; — II. De finalibus, ut *terrā* pro *terră*, et de hiatu; — III. De concursu vocalium in mediis verbis, ut *fīeri* et *fĭeri*, *deo* disyllabum vel monosyllabum, *dŭellum* et *dvellum*, *silŭa* et *silva*; — IV. De epenthesi, ut *Patric[o]les* pro *Patroclus*, et de syncopa, ut *Herclis* pro *Herculis*, *compleris* pro *compleveris*; — V. De verbo *vir* cum *i* producta; — VI. De genetivo pronominalium in *jus*; — VII. De rhythmo in vocibus singulis. — Sed prius minora pauca paucis verbis expediam.

Nusquam in fragmentis nostris *s* finalis necessario tollenda est. Nam si vox iambica est, ut in *Titus Quinctius*[1], etiam *s* non sublata pro pyrrhichio esse potest (§ 1); si in dactylum desinit, ut *omnibus*, etiam *s* sublata pro-

1. Exempla habemus quattuor (hic et alibi versus in lapidibus servatos scripsimus litteris quadratis):

Ex elogiis Scipionum.

Quibus SEI IN LONGA LICUISET TIBI UTIER VITA.

NE QUAIRATIS HONORE QUEI *minus* SIT MANDATUS.

Ex titulo Quinctii.

T[i] *Titus* Quinctius dictator.....

Ex Naevii Bello Poenico.

Jamque *ejus* mentem fortuna fecerat quietem.

duci debet ut *omniā;* si in spondeum, ut in *prognatus fortis*, et spondeus et trochaeus admitti potest ; si in anapaestum, ut in *Valerius consul*, itidem anapaestus et tribrachus. Tamen cum in quarta thesi fere semper brevis syllaba sit, sic pronuntiandus videtur versus ex elogio Barbati :

Gnaivod patrē prognatus, *fortĭ* vir sapiensque.

Item in Naevii Bello Poenico :

... Manius *Valeriŭ* consul partem.

Muta cum *r* nusquam praeeuntem syllabam producere videtur nisi fortasse in hoc versu ex Livii Andronici Odyssea, de quo infra § 2 D :

Celsosque ocris arŭaque *putria* et mare magnum.

Tl in graeca voce (quae consonantes in latinis numquam sociantur) praeeuntem syllabam producere videri potest (sed, ut credo, injuria) in hoc Naevii versu :

Bicorpores Gigantes| magnique| At|lantes.

A producta in *Taurāsia* agnoscitur per hunc versum ex elogio Barbati[1] :

Taurasia CISAUNA SAMNIO CEPIT.

In elogio L. Scipionis, Barbati filii, cum quarti pedis thesis fere semper brevis sit, sic legendum videtur :

HEC| CEPIT| CORSI|CA *A|lĕrĭ|aque* URBE.....

Tamen graece Ἀλερία est, quae scriptura si servari debet sic feriemus : *A|lĕrĭa[m*[2]*|que|urbe[m]|...* vel *Alĕ|rīā[m|que| urbe|m]...* Etiam *A|lĕrĭ|amque| urbem|* pronuntiari possit.

1. Nam *Tau|răsĭa| Cī|sauna* minime veri simile est, praesertim cum in altero hemistichio desit thesis paenultima.

2. Uncis quadratis [ ] in hoc opere includuntur addenda, uncis rotundis ( ) delenda.

§ 1. — De brevibus breviantibus.

Syllabae in initio verborum aliter atque in mediis verbis apud veteres Latinos proferebantur. Nam cum a Graecis vel barbaris multa verba mutuarentur Latini quae vocalem *a* correptam continerent, ea vocalis si mediae syllabae erat immutabatur, si initialis intacta remanebat. Sic Ἀκράγας Ἀκράγαντος Agr*i*gentum, Τάρας Τάραντος TAr*e*ntum, τάλαντον tAl*e*ntum, Ἀλέξανδρον Alixentrom, Κασσάνδρα CAsentera, βαλάνειον bAl*i*neum, Κατάνη CAt*i*na, Μασσαλία MAss*i*lia, κάναστρα cAn*i*stra, χαμάρα cAm*e*ra, φάλαρα phAl*e*rae, Μασσανάσσης MAss*i*n*i*ssa. Itidem in vernaculis verbis, quae priscis temporibus Graecis Latini dederunt, eamdem differentiam observaverunt; sic dixerunt cAlendae, cArc*e*r cArc*e*ris, pro iis formis unde Graeci κάλανδαι, κάρκαρον effecerunt. Quo pacto pro πάσσαλος pEss*u*lus, non *pAss*u*lus dicere potuerint, non dispicio, nam praeter hanc vocem numquam *a* correpta in prima syllaba immutata est, contra nihil in mediis syllabis frequentius : τέσσαρες tess*e*ra, Loebasium Lib*e*rum, βυκάνη bucc*i*na, μηχανή mach*i*na, τρυτάνη trut*i*na, κωμάζω com*i*ssor, Νομάδες Num*i*dae, Ἰάμψας Hi*e*mpsal, Ἑκάβη Hec*u*ba, κραιπάλη crap*u*la, Σκουλταννα Scult*e*nna, σίσαρον sis*e*r. Neque aliter in vocibus quas inde ab origine Ario-Europaea retinuerant : ἰταλός vit*u*lus, οὖθαρ ub*e*r, τριάκοντα triginta (pro *tri*i*ginta, ut tibicen pro *tibiicen, meridies pro *mediidies); neque in his quos ipsi Latini ex lege sermonis sui finxerunt, cAdo cec*i*di conc*i*do, fAllo fefelli refello, pArco peperci, mAnus adm*i*niculum comm*i*nus em*i*nus, rAtus irr*i*tus, vAdes praev*i*des, sAtus cons*i*tus, pAter Diesp*i*ter Jupp*i*ter, fAcetus inf*i*cetus, Amicus in*i*micus, Assis sem*i*ssis cent*u*ssis quadrag*e*ssis, fAcies superf*i*cies, tAngo tet*i*gi integer cont*i*guus cont*i*ngo, Ago ex*i*guus ex*i*go rem*i*ges, fAcio benef*i*cus conf*i*cio artif*i*ces, fAcilis diff*i*cilis, cApio antic*i*po occ*u*po munic*i*pes auc*e*ps auc*u*pis, cAno cec*i*ni conc*i*no cornic*i*nes,

fAscinus praef*i*scini, lAxus prol*i*xus, dAtus abd*i*tus, frAngo confr*i*ngo, pAngo pep*i*gi comp*i*ngo, lAcio el*i*cio el*i*ces, Apiscor coepio ad*i*piscor, hAbeo inh*i*beo en*u*bro, cAlo conc*i*lium nomenc(*u*)lator, cAput occ*i*put anc*i*pites, tAberna cont*u*bernalis, pAvio opp*u*vium, rApui surr*u*pui surr*i*pui, Altero ad*u*ltero, sAlsus ins*u*lsus, sAlto ass*u*lto, cAlco cAlceus inc*u*lco disc*u*lcio, quAtio conc*u*tio, pArio peperi vipera puerpera, Ager peregre, pAro recup*e*ro, pAtro impetro, Aptus ineptus, bArba imberbus, cAstus incestus, Arma inermis, Artes inertes, mAneo mAnto imm*i*neo ommentans, cAstra procestria, pAssus dispessus, Annus biennium, Agnus ambiegna, Ambo Amplus exemplum, pAtior perpetior, pAcisci depecisci, bAcillum imbecillus, tālus subtēl (pro *tăxlus *subtĕxle) et hālo anhēlo (pro *hăslo *anhĕslo[1]). Simili regula *e* correpta in prima syllaba incorrupta manet, in mediis saepe immutatur : Ἀλέξανδρον Al*i*xentrom, ἄνεμος an*i*mus, Σικελός Σικελία Sic*u*lus Sic*i*lia, Emo ex*i*mo ex*i*mius, mēns[2] mĕntis mem*i*ni rem*i*niscor, dEdi add*i*di, stEti const*i*ti, pEto comp*i*tum prop*i*tius, mEdius dim*i*dius, spEcio asp*i*cio susp*i*cor ausp*i*ces, gEnus fabag*i*nus abieg*i*neus. Item diphthongus *ai* vel *ae* : Ἀχαιοί Ach*i*vi, ἔλαιον ol*i*vum, (γυναικός (lectr)*i*cis, bAEto adb*i*to, AEquus in*i*quus, AEstimo ex*i*stimo, tAEdet dist*i*sum fast*i*dium, sAEpio cons*i*ptum, cAEdo accīdo cec*i*di, lAEdo all*i*do, quAEro conqu*i*ro.

Causam si quaeris, cur in prima syllaba *a*, *e*, *ae* vocales firmiores fuerint quam in mediis, non potes quin suspiceris eam syllabam validius proferri esse solitam quam illas. Igitur *afficio* factum est ex **a***dfacio*, non ex *adfacio* vel *adf***a***cio ; Agrigentum* ex **A***gragantom*, non ex *Agr***a***gantom* vel *Agrag***a***ntom* ; *retineo* ex *r***e***teneo*, non ex *reteneo* vel *ret***e***neo* vel *reten***eo**; *Achivi* ex **A***caivoi*, non ex *Ac***ai***voi; cecidi* ex *c***e***caidi*, non ex *cec***ai***di*. Scilicet in vetere Romanorum sermone, sicut hodie in linguis germa-

1. *Bulletin de la Société de linguistique de Paris* III p. lxxxvij*.

2. *E* in plerisque hujus vocis casibus brevis est, in nominativo propter consonantes *ns* producitur.

nicis, vis orationis major in prima syllaba erat, sive ea radix verbi erat, ut **fa***cio*, sive radicis geminatio, ut **ce***cidi*, sive praepositio, ut **af***ficio*. Non inde colligendum est, quod multi in Germania credunt, in primis syllabis tum temporis locatum fuisse accentum ; nam quia syllaba validior est, ideo non necesse est ut acutior fiat ; neque grammatici Graeci Latinique ita loquuntur, ut hominibus recentioribus fas sit vim cum accentu confundere [1]. Sed de fatis accentus, quae penitus ignoramus, altum silentium maxime decet; simus igitur contenti id tractare de quo satis constat, vim scilicet pondusque syllabarum.

Primae verborum syllabae cum validiores insequentibus essent, in efferendis vocibus aliqua difficultas erat, ubicumque brevem principialem, ideo validiorem, longa sequebatur non principialis, ideo debilior. Nam plerumque in sermone major vis syllabarum cum longiore tempore conjungitur. Qua re factum est ut persaepe propter brevem priorem longa posterior corriperetur [2], si natura longa, ipsa correpta vocali, sin positione, vi consonantium neglecta. Verba igitur iambica pro pyrrhichiis ponuntur, ut in aliquot hexametris videre est, qui tempore liberae adhuc rei publicae secundum leges pronuntiationis vulgaris sunt compositi. Ii autem integerrimi sunt, nam per lapides, non per codices manu scriptos ad nos pervenerunt : Corpus Inscriptionum Latinarum I, 38 VIRTUTES GENERIS *mieis* MORIBUS ACCUMULAVI ; 542 VISUM ANIMO *suo* PERFECIT, *tua* PACE ROGANS TE ; 1297 PLOURUMA QUE FECIT POPULO *soueis* GAUDIA NUGES ; — 38 MAJOREM OPTENUI LAUDEM UT *sibei* ME ESSE

1. Confundunt sane saepe permulti homines, neque ii indoctissimi ; persuasumque habent veterem accentum, sicut accentum recentiorum linguarum Graeciae, Italiae, Galliae, Hispaniae, Germaniae, simul et validiorem et acutiorem fuisse. At si accentus idem semper fuit qui hodie est, qui fieri potuit ut et Graeci et Latini veteres eum in versibus condendis aut nihil (quod credo) aut certe parum curaverint, nunc apud Graecos Romanicasque nationes omnes versuum leges ab eo pendeant ?

2. Prior syllaba quia, propter propriam prosodiam, alienam immutar cogit, in hoc libro nomine *brevis brevians* appellatur.

CREATUM ; 542 DE DECUMA, VICTOR, *tibei* LUCIUS MUMMIUS DONUM ; — 1442 EST EQUOS PERPULCER, SED TU *vehi* NON POTES ISTOC ; 1453 QUOD FUGIS, QUOD JACTAS, *tibei* QUOD *datur*, SPERNERE NOLEI ; 1454 QUR PETIS POS TEMPUS CONSILJUM? QUOD *rogas* NON EST ; 1297 PROTOGENES CLOULI SUAVEI[S] HEICEI *situst* MIMUS.

Vetere pronuntiandi more in vocibus usitatioribus servato, evenit ut aurea sermonis latini aetate multae voces disyllabae alteram brevem haberent, in quibus eadem antea longa fuerat, contra in vocibus monosyllabis, spondiacis, polysyllabis eaedem terminationes productae remanerent ; quod perspicuum faciet gemina tabula :

Voces olim iambicae.	Voces non iambicae.
benĕ, malĕ	sanē, optimē
citŏ, modŏ	rarō
quasĭ, nisĭ	sī, etsī
vidĕn	censēn
pută *adv. pro* putā	memorā
cavĕ, valĕ (*et* cavē, valē)	ridē, respondē
egŏ *pro* egō = ἐγώ	tū, nōs, vōs
mihĭ, ibĭ, sibĭ (*et* -ī)	nobīs, vobīs
ubĭ, ibĭ (*et* ubī, ibī)	ubīque
duŏ[1]	ambō
volŏ (*et* volō)	nolō
sciŏ (*et* sciō)	audiō
homŏ (*et* homō)	cardō
magĭs *pro* *magīs, *magius	Prīscus Πρεισκος) *pro* *Priuscus
cedŏ *pro* *ceditō[2]	credō *pro* *credidō[3]
cinĭs (*numquam* cinīs)	pulvīs (*et* pulvĭs)
palŭs *Horat.* (*et* palūs)	incūs
genŭ *Cic. ap. Prob. p. 223 Keil*	cornū *Cicero* (*ibid.*)

1. Hoc exemplum dubium est propter graecum δύο.

2. Cf. *cette* pro **cedite*.

3. Sanscritice *çrad dadhāmi*.

putrĕ factus	expergē factus
diŭ-turnus (*et* diū)[1]	noctū
utĭ-nam utĭ-que (*et* utī[2])	sīc
herĕ (*et* herī)	crās, hodiē

Quia in *volŏ nolō*, *homŏ cardō*, *putrĕ expergē* utramque in uno eodemque verbi exitu prosodiam adhiberi posteriores animadverterunt, pristinae differentiae immemores eas vocales *o*, *e* perperam crediderunt esse communes. Itaque scribere inceperunt sine pudore *nolŏ*, *cardŏ*, *putrē*, alia. Quin gliscente corruptione usque ad *ergŏ*, *idcircŏ*, *dandŏ*, *estŏ* poetae delapsi sunt. At tot immutationibus unica causa fuit, quod priscis temporibus breves priores alteras breviabant.

Legem unice veram primus distincte perspexit C. F. Guilelmus Mueller exemplisque innumeris confirmavit in libro quem inscripsit *Plautinische Prosodie*[3]. Cujus opera factum est ut non cogamur amplius credere incredibilia, velut quod vulgo admittebant pronuntiatum esse *en'mvero* pro *enimvero*, *sen'x* vel *senes* pro *senex*, *s'nectus* pro *senectus*, *s'ne illa* pro *sine illa*, *pat'r* vel *pate* pro *pater*, *dom'* pro *domo*, *for's* pro *foris*, *v'luptas* vel *vol'ptas*, *j'ventus* pro *juventus*, *festra* pro *fenestra*, *apu* pro *apud*, *se intus* pro *sed intus*, *quo is* pro *quod is*, *bous* pro *boves*. Nam uno eodemque modo dicendum est *enĭmvero*, *senĕx*, *patĕr meus*, *domŏ*, *forĭs*, *sine ĭlla*, *volŭptas*, *juvĕntus*, *fenĕstra*[4], *apŭd me*, *sed ĭntus*, *quod ĭs nunc*, *bovĕs*. Nec mirum, cum etiam illi docti, qui illa monstra admittunt, simul tamen fateantur dictum esse *tacĕ*, *rogă*, *abĭ*.

C. F. Guil. Muelleri liber cum et perlongus sit et propter

1. Cf. *diĕquinte*, Gell. 10, 24, 1.

2. Praeterea *ut* pro **utĭ* (sicut *et* = ἔτι, *tremunt* = *tremonti*, *tot* pro **totĭ* quod in *totidem* continetur).

3. Berlin, Weidmann, 1869, VII-800 p. 8°. — *Nachtraege zur Plautinischen Prosodie*, ibid. 1871, XVI-159 p. 8°.

4. Aliud enim, quantum dispicere possumus, *fenestra* erat, aliud *festra*.

multas causas maximeque perpetuam scriptoris ironiam intellectu non facillimus, nos praeterea ab illo in minoribus rebus saepe dissentiamus, non fuimus contenti eum lectori indicare; verum melius putavimus nosmet legentium commoditati simulque propagandae veritati consulturos, si certissima quaeque et maxime perspicua exempla ex hoc thesauro detrahentes, et perpauca aliunde addentes, non tam Muelleri placita quam ipsam rem summatim repraesentare conaremur.

Lex igitur haec est : syllaba brevis, a qua verbum qualecumque incipit, insequentem syllabam aut natura aut positione longam facit communem, id est modo longam modo brevem. Quod sic etiam enuntiari potest : principialis brevis insequentem, ut poetae libet, aut breviat aut longam relinquit.

Locos in quibus insequens syllaba non brevietur paucissimos tantum afferam ex Plautina Trinummo, quibus quivis legentium complures alios haud magno labore addat : 1,2,1 La*rem* co*ro*na nostrum decorari volo. 12 Quid tua agit uxor, ut va*let*? Plus quam ego volo. 18 Vivit victuraque est. Bene *her*cle nuntias. 19 Deosque oro ut vitae tuae su*per*stes suppetat. 42 Suspitionem et culpam ut *ab* se segregent. 43 Non potest u*trum*que fieri. Quapropter? Rogas? 49 Atque id ta*men* mihi lubeat suspicarier. 50 Qui tu id prohibere me po*tes* ne suspicer? 54 Sunt quos scio *es*se a*mi*cos, sunt quos suspicor. 73 Su*am*que filiam esse ad*ul*tam virginem. 94 Argentum a*man*ti homini adulescenti animi impoti. 103 Subigis maledictis me tu*is* Megaronides. 134 Gregem *u*niversum voluit totum avortere. 2,2,20 Semper ego usque ad *hanc* aetatem ab ineunte adulescentia. 84 Nam sapiens qui*dem* pol *i*psus fingit fortunam sibi.

Sed hoc nostra magis refert, ut demonstremus syllabas easdem posse breviari. Exempla primum afferemus, in qui-

bus vox iambica pro pyrrhichio est. Tales formas, quales sunt *scio*, *eam*, *tuum*, *diu*, omisimus, quia in his dubitari potest utrum binas breves an singulas longas efficiant; trisyllaba enim est vox *eorumdem* in hexametro Ennii *Eorumdem me libertati parcere certum est;* monosyllaba vox *ais* in septenario Terentii (Eun. 4,3,12) « *Virginem quam erae dono dederat miles vitiavit. Quid ais?* » Mox animadvertes nihil interesse utrum altera syllaba natura longa sit an positione, utrum inter syllabas sit consonans muta an liquida (nam sunt docti homines, qui putant exempli gratia *enim* propter liquidam *n* facili negotio monosyllabum fieri, qui miram oportet habeant linguae imique palati velocitatem), denique utrum ipsae voces nomina sint verbave an adverbia.

Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera: tragoed. 16 ... laus *gelu* sed multo ocius Verno tabescit. — Naevius ibid.: com. 26 Tibi serui[1] multi *apud* mensam astant, ille ipse astat quando edit. 58 atque meis *bonis* omnibus Ego te herem faciam. 93 *Domos* patres patriam ut colatis potius quam peregri probra. 108 Etiam qui res magnas *manu* saepe gessit gloriose, Cujus facta viva nunc vigent, qui *apud* gentes solus praestat. — Plautus, Bacchides 4,9,118 Duae condiciones sunt, *utram* tu accipias vide. Casina 1,30 Primum omnium huic lucebis *novae* nuptae facem. Mercator 3,4,36 *Bonum* sodalem? Quid me facere vis? Idem quod me vides. Rudens 2,2,22 Nunc quid mi meliust quam ilico hic opperiar *erum* dum veniat? Amph. 2,2,89 Verum tu *malum* magnum habebis si hic suum officium facit. Trucul. 2,4,32 Quid tu hic me absente *novi* negoti gesseris. Aul. 1,1,34 Quasi claudus sutor *domi* sedet totos dies. Stich. 5,4,1 Agite ite *foras* ferte pompam, *cado* te praeficio, Stiche. Epid. 4,2,12 Atque argentum egurgitem *domo* prorsus, quid tu quae patrem. Bacch. 1,1,42 Simulato me amare. Utrum

1. Cur *serui* scribam, non *servi*, ex § 3 c intellegetur.

ego istuc *jocon* adsimulem an serio? Truc. 2,1,33 Semper datores *novos* oportet quaerere. Bacch. 3,6,3 Sed veniam mihi quam gravate *pater* dedit de Chrysalo. Poen. 1,2,84 Satis nunc lepide ornatam credo *soror* te tibi viderier. Capt. 3,3,14 Neque jam *Salus* seruare si volt me potest nec copiast. Curc. 2,3,81 *Caput* deponit, condormiscit, ego ei subduco anulum. Aul. 2,2,57 Asini me mordicitus scindant, *boves* incursent cornibus. Mil. gl. 2,3,54 Jam mihi sunt *manus* inquinatae. Quidum? Quia ludo luto. Curc. 2,3,65 Triginta minis, vestem, aurum et pro his *decem* coaccedunt minae. Merc. 2,2,52 Hoc facto ducas. *Egon* te? ah ne di siverint. Mil. gl. 3,1,103 Tum obstetrix expostulavit mecum *parum* missum sibi. Rud. 3,1,3 Ne dormientes *quidem* sinunt quiescere. Bacchides 4,9,28 Vinctus sum sed dolis me exemi, *item* se ille seruavit dolis. Pers. 4,4,118 Abscedent *enim* non accedent. *Tace* sis non tu illum vides. Men. 2,1,28 Verum *tamen* nequeo contineri quin loquar. Most. 5,2,11 Verbero etiam inrides? *Quian* me pro te ire ad cenam autumo. Men. 3,2,45 Dedi nec pallam surrupui. *Satin* sanus es? Mil. gl. 4,4,1 Sequimini, *simul* circumspicite ne quis adsit arbiter. Trin. 1,2,159 Sed quid ais quid nunc virgo, nempe *apud* te est? Itast. Poen. 5,5,1 Si ego minam non ultus fuero *probe* quam lenoni dedi. Pseud. 1,1,69 Ubi sunt ubi latent quibus aetas integrast, qui *amant* a lenone. Curc. 2,3,83 *Rogant* me serui quo eam, dico me ire quo saturi solent. Curc. 1,1,38 Juventute et pueris liberis *ama* quod lubet. Pseud. 1,1,112 Satis si futurumst. *Roga* me viginti minas. Trin. 4,2, 112 Vel trecentis. *Haben* tu id aurum quod accepisti a Charmide? Epid. 2,2,37 Ea praestolabatur illum *apud* portum. *Viden* veneficam? Pers. 2,2,31 Fateor ego profecto me esse ut *decet* lenonis familiae. Mil. gl. 4,2,95 Ita me mea forma *habet* sollicitum. Quid nunc stas, quin *abis*? Abeo. Merc. 2,3,98 Eccillum video, *jubet* quinque me addere etiam nunc minas. Bacch. 4,9,62 Nosce signum,

estne ejus? Novi, *lubet* perlegere has. Perlege. Bacchides 1,2,39 Omitte Lyde ac *cave* malo. Quid *cave* malo? Casina 2,6,29 Men te censes esse? nulla est, *habe* quietum animum modo. Most. 2,1,79 Et ego hinc occludam, *jube* venire nunciam. Men. 5,3,12 Atque eccum incedit, *move* formicinum gradum. Cist. 4,2,105 Tibi auscultabo, *tene* tu cistellam tibi. Amph. 5,1,63 Citus e cunis exsilit, *facit* recta in anguis impetum. Curc. 2,3,78 Meosne amores? *Tace* parumper, *jacit* volturios quattuor. Stich. 5,4,17 Batiacis *bibunt*, at nos nostro Samiolo poterio. Poen. 5,4,26 At enim volo hoc *agas*. At enim ago istuc. Patrue mi patruissume. Amph. 1,1,251 Non *loquor*, non vigilo, nonne hic homo modo me pugnis contudit? Aul. 4,4,33 Fugin hinc ab oculis, *abin* an non? Abeo. *Cave* sis revideam. Most. 3,1,42 Salueto, quid de argentost? *Abi* sis belua. Men. prol. 16 Tanta ad narrandum argumentum *adest* benignitas. Poen. 5,4,36 Quodque aruspex de ambabus dixit. *Velim* de me aliquid dixerit. Capt. 2,2,93 Qui tua quae tu jusseris mandata ita ut *velis* perferat. Curc. 2,2,18 Si quidem incubare *velint* qui perjuraverint. Epid. 5,2,38 *Dedin* tibi minas triginta ob filiam? Fateor datas. Most. 3,1,115 Sed arraboni has *dedit* quadraginta minas.— Terentius, Heaut. 2,4,8 Nam expedit *bonas* esse vobis, nos quibuscum est res non sinunt. Eun. prol. 8 Ex Graecis *bonis* Latinas fecit non bonas. Eun. 2,2,6 Quid istuc inquam ornatist? Quoniam *miser* quod habui perdidi, em. Phorm. 2,2,32 *Senex* adest, *vide* quid agas, prima coitiost acerrima. Eunuch. 2,3,66 Inhonestum hominem quem mercatus est heri *senem* mulierem. Hec. 3,1,32 Itidem illae mulieres sunt ferme ut pueri *levi* sententia. Heaut. 5,2,14 Ibi tuae stultitiae semper *erit* praesidium Clitipho. Hec. 4,2,18 Dum aetatis tempus *tulit* perfuncta satis sum, satias jam tenet. Ad. 3,2,13 Nihil est quod malim quam illam totam familiam *dari* mi obviam.

Inter reliquias versus saturnii haec reperimus exempla correptae vocis iambicae[1] :

Ex vaticiniis.

Sed neque credes tu *mihi* donec compleris sangui.

? Hostem, Romani, si ex *agro* pellere vultis[2].
Privati *uti* conferant pro se atque suis.

Romane, aquam Albanam cave *lacu* contineri.

Ex elogiis Scipionum.

Dedet TEMPESTATEBUS AIDE MERETO....

? *Quibus*[3] SEI IN LONGA LICUISET TIBE UTIER VITA.

? NE QUAIRATIS HONORE QUEI *minus*[4] SIT MANDATUS.

Ex titulo Caecilii.

Bene REM GERAS ET VALEAS, DORMIAS SINE QURA.

Ex titulo Quinctii.

? Ut[i[5]] *Titus*[6] Quinctius dictator....
?........ *Jovi* dedit donum.

Ex tabula Gracchi.

? Cujus rei ergo hanc tabulam *Jovi* dedit donum.

Ex tabula Mummii.

OB HASCE RES *bene* GESTAS QUOD IN BELLO VO(VE)RAT[7].

Ex Naevii Bello Poenico.

? Jamque *ejus*[8] mentem fortuna fecerat quietem.
?......... *senex* fretus pietati.
Neptunum regnatorem *marum*......

1. Non omittendas censuimus voces *mihi, bene, calo* correptas. Quia enim in sermone aetatis augusteae brevem retinuerunt, ideo non efficitur eas temporibus priscis quicquam a correptis *agro, uti, lacu, dedet, Jovi, salus* discrepuisse. — *Deum, meas* similiaque vide sub § 3 B.

2. Hic lectio immutata est.

3. Num pronuntiandum *quibu?*

4. Num pronuntiandum *minu?*

5. Uncis quadratis [ ] in hoc opere includuntur addenda.

6. Num pronuntiandum *Titu?*

7. Uncis rotundis ( ) in hoc opere includuntur delenda.

8. Num pronuntiandum *eju?*

Aliunde.

? Diebus te quinque *calo,* Juno Covella.
? Septem diebus te *calo,* Juno Covella.

Terra pestem teneto, *salus* hic[e] maneto.

Hiberno puluere, verno *luto,* grandia farra,
Camille, *metes*......

Eodem modo fortasse *fidĕ* in titulo C. I. L. I, 1080.

Infra § 7 invenies exempla, in quibus ejusdem formae voces pro iambis sunt.

Nunc afferemus exempla vocis polysyllabae, in qua propter principialem syllabam brevem altera corripitur.

Livius Andronicus in altera Ribbeckii editione: trag. 28 ..... mea *volun*tate numquam limavi(t) caput.—Plautus, Mercator 2,4,20 *Achillem* orabo aurum mihi det, Hector qui expensus fuit. Bacch. 4,9,23 Mnesilochust *Ale*xander qui erit exitium rei patriae suae. Stich. 5,4,33 Bibe tibicen age si quid agis, *biben*dum hercle hoc est ne nega, 41 Age tibicen quando *bibi*sti refer ad labeas tibias. Amphitr. 2,2,129 *Dedis*se dono hodie qua te illi donatum esse dixeras. Rudens 1,1,6 Illustriores fecit *fene*strasque indidit. Most. 1,1,30 Quo nemo adaeque *juven*tute ex omni Attica. Persa 1,2,24 Ubi sint *magi*stratus quos curare oporteat. Stich. 5,4,7 Nosmet inter nos *mini*stremus monotropi. Hoc convivium. As. 1,3,65 Aves adsuescunt, *neces*sest facere sumptum qui quaerit lucrum. Trinummus 5,2,34 Spondeo et mille auri *Philip*pum dotis. Dotem nil moror. Bacch. 4,9,10 Qui misere male mulcabere *quadrin*gentis *Philip*pis aureis. Most. 5,2,47 Tranioni *remit*te quaeso hanc noxiam causa mea. Stich. 4,1,62 Post ibo lautum in pyelum ibi fovebo *sene*ctutem meam. Asin. 1,3,88 Portitorum *simil*lumae sunt januae lenoniae. Poen. 5,3,26 Tace atque parce muliebri *supel*lectili. Trin. 3,2,100 Cassidem in caput, dormibo placide in *taber*naculo. Stich. 4,1,27 Nos potius oneremus nosmet

vic*is*satim *vol*uptatibus. Bacch. 4,9,22 Miles Menelaust, ego Agamemno [sum], idem *Uli*xes Laertius. Amph. 3,2,58 Capiunt *vol*uptates capiunt rursum miserias. Mil. gl. 4,8,36 Hominem, perii, sumne ego apud me? Ne time *vol*uptas mea. — Titinius in altera Ribbeckii editione : com. 127 Sapientia *guber*nator navem torquet haud valentia. — Terentius, Hec. 5,4,8 Quis me est fortunatior *venu*statisque adeo plenior? Heaut. 5,4,2 Fuerim, dictus filius tuos vestra *volun*tate, obsecro. Andr. 5,5,4 Quod *vol*uptates eorum propriae sunt nam mihi immortalitas.

Ea exempla omnia ejus modi sunt, ut syllaba, quae propter priorem brevem breviatur, positione tantummodo longa sit. At prius in disyllabis vidimus longas positione ut in *datur* et longas natura ut in *domo* nullo discrimine corripi solere; hic autem distinguendum fuit. Altera syllaba cum natura longa est, in polysyllabis vix corripitur. Neque enim sermo aetatis augusteae, ut illa correpta *bene*, *modo*, *viden*, ita correpta *amare, amabamus, amabamini* usquam servavit. Apud Plautum aliosque comicos, ut C. F. Guil. Mueller ostendit, ea syllaba in polysyllabis fere corripi non videtur, nisi in compositis, ut *ibi-dem*, *vide-licet*, *cale-facio*, atque in iis formis ubi melius synizesin admittas, ut *deorum*, *duobus*. Pauca tamen mihi satis certa videntur exempla, ut in Plauti Aulularia 4,1,13 *Eri*le imperium ediscat ut quod frons velit oculi sciant, in Terentii Phormione 5,8,8 Quid ad me ibatis. Ridiculum. *Vere*bamini. — Ergo confidenter, puto, Ap. Claudio Caeco, qui totum saeculum ante Plautum scribebat, licentia corripiendae vocis *ferocia* concedi potest, praesertim cum lectio nullo modo dubia videri possit.

In saturniis nostris haec insunt exempla correptae per brevis breviantis vim syllabae aut positione aut natura longae :

Ex carmine Arvalium.

? *Triu*mpe *triu*mpe TRIUMPE.
? *Triu*mpe *triu*mpe |TRIUMPE |

Ex elogio Barbati.

QUOJUS FORMA VIRTUTEI *pari*SUMA [1] FUIT.

Ex Appii Sententiis.

Ne quid fraudis stuprique *fero*cia pariat.

Ex Livii Odyssea.

Apud nympham Atlantis filiam *Caly*psonem.
Igitur demum *Uli*xi [2] cor frixit prae pavore.

Ex Naevii Bello Poenico.

Prima incedit Cereris *Proser*pina puer.

Eodem fortasse modo *amăntissuma* in titulo C. I. L. I,1080.

Vox monosyllaba, pariter ac disyllabae polysyllabaeve vocis syllaba principialis, si brevis est, breviare potest insequentem, id est insequentis vocis principialem syllabam. Quod observamus cum in longis positione, tum in longis natura.

Longae positione. — Plautus, Poen. 4,2,96 ET *hunc* disperditum lenonem tantum eum instat exiti. Trin. 1,2,77 Et rem suam omnem ET *il*lum corruptum filium. Ib. 4,4,9 Tuae quae daretur, SED *in*tus narrabo tibi. Aul. 4,4,18 QUID *abs*tulisti hinc? Di me perdant si ego tui quidquam abstuli. Most. 2,2,28 Male hercle factum. QUID *est* negoti? Non potest. Pseud. 1,5,64 Sed quid ais? QUID *hoc* quod te rogo? Quidvis roga. Cas. 2,5,22 Inimici familiares. QUID *id* refert tua? Amph. 1,1,272 QUID *in* tabernaclo fecisti? victus sum si dixeris. Bacch. 1,1,6 QUID *in* consilio consuluistis? Bene. Pol haud meretriciumst. Trin. 2,4,81 De

1. Sic apud Plautum *simillumae* tribrachum et syllabam efficit. — Cave putes per *s* unam pronuntiari *parisuma*; priscis enim temporibus consonantes in scribendo non geminabantur, similiterque in elogio P. Cornelii P. f. Scipionis LICUISET et SUPERASES invenimus, ubi syllabae ante unicam illam *s* positae producendae sunt.

2. Sic apud Plautum *Ulixes* anapaestus est.

honore populi, verum QUOD *ad* ventrem attinet. Trin. 4,2,69 QUOD *in* manu teneas atque oculis videas id desideres. Cistell. 5,1 QUID *hoc* negotist QUOD *o*mnes homines fabulantur per vias? Mil. gl. 1,1,55 Quid tibi ego dicam, QUOD *o*mnes mortales sciunt. Amph. 3,2,36 Ridiculi causa, VEL *hunc* rogato Sosiam. Poenulus 4,2,5 Ita me di ament, VEL *in* lautumiis VEL *in* pistrino mavelim. St. 4,2,39 Si arte poteris adcubare. VEL *in*ter cuneos ferreos. Trin. 4,2,9 POL *hic* quidem fungino generest, capite se totum tegit. Stich. 4,2,31 PER *hanc* tibi cenam incenato Gelasime esse hodie licet. Stich. 4,2,34 Non metuo, PER *hor*tum transibo, non prodibo in puplicum. — Terentius, Adelph. 4,5,72 Ego eo intro ut quae opus sunt parentur, tu FAC *ut* dixi si sapis. Heaut. 1,1,107 Menedeme at porro recte spero ET *il*lum tibi. Andr. 1,5,53 Et ad pudicitiam ET *ad* rem tutandam sient. Eun. 3,1,5 Deducam, SED *ec*cum militem. Est istuc datum. Eun. 3,5,59 Sane hercle ut dicis, SED *in*terim de symbolis quid actumst? Eun. 3,2,10 Bene fecisti hodie itura. Quo? QUID? *hunc* non vides? Phorm. 5,8,47 Etiam dotatis soleo. QUID *id* nostra? Nihil. Eun. 2,1,2 QUID *in*terest? hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi. Phorm. 1,2,8 Quanto in periclo simus? QUID *i*stuc est? Scies. Heaut. 5,2,25 Abiit, vah rogasse vellem. QUID? *Un*de mihi peterem cibum. Heaut. 2,3,97 Mane habeo aliud si istuc metuis, QUOD *am*bo confiteamini. Hec. 3,3,31 Ceterum de redducenda id facias QUOD *in* rem sit tuam. Andr. 5,1,11 Filiam ut darem in seditionem atque IN *in*certas nuptias. Phorm. 1,2,93 Non addit : ubi ego hinc abiero VEL *oc*cidito.

Longae natura. — Plautus, Stich. 1,3,60 Quot potiones mulsi, QUOT *au*tem prandia. Persa 2,2,13 Abi modo. Ego laudabis faxo. SED *has* tabellas Paegnium. Mil. 4,2,17 Ego hanc continuo uxorem ducam. QUID *er*go[1] hanc dubitas conloqui? Trin. 4,2,81 Ne male loquere absenti amico. QUID

1. In *ergo* producenda est *e*; *ergo* enim et *corgo* (Festi epitome p. 37 Mueller) ita inter se sunt, quomodo *eminus* et *comminus*.

ergo ille ignavissimus. Epid. 1,2,54 QUID *hic* nunc agimus? Eamus intro huc ad te ut hunc hodie diem. Epid. 3,2,9 Erum et Chaeribulum conspicor, QUID *hic* agitis? accipe hoc sis. Capt. 2,1,53 Memoriter meminisse, inest spes nobis IN *hac* astutia. — Terentius, Ad. 4,5,8 Ita, nam mirabar QUID *hic* negoti esset tibi. Hec. 5,3,9 Ab nostro adfine exeuntem video? QUID *huic* hic est rei?

Voces disyllabae, ubi altera vocalis synaloepham patitur, in versu quasi monosyllabae sunt; ideo eae quoque insequentis vocis syllabam principialem aut positione aut natura longam corripere possunt :

Longae positione.— Livius Andronicus in altera Ribbeckii editione : trag. 22 Obsecro te Anciale matri ne quid TUAE *ad*vorsus fuas. — Naevius ibid. : comoed. 26' : Neque admodum a pueris abscessit, NEQUE *ad*modum adulescentulust.— Plautus[1], Persa 4,3,2 ITA *an*cilla mea quae fuit hodie sua nunc est, argento vicit. Mil. gl. 2,2,12 ITA *hic* senex talos elidi jussit conseruis meis. Men. 3,2,3 Non faxo eam esse dices, ITA *i*gnorabitur. Most. 1,3,150 AGE *ac*cumbe igitur, cedo aquam manibus puere appone hic mensulam. Trin. 3,2,92 Hic QUOQUE *hinc* abiit, Stasime restas solus, quid ego nunc agam? Mil. gl. 1,1,58 Amant te[d] omnes mulieres NEQUE *in*juria. Poenulus 2,42 Faciat ut semper sacruficem NEQUE *um*quam litem. Poenulus 1,2,64 Quid habetis qui MAGE *im*mortalis vos credam esse quam ego siem? Aul. 4,1,20 Nunc SINE *o*mni suspitione in ara hic adsidam sacra. Aul. 2,3,6 TACE *at*que abi, curata fac sint quom a foro redeam domum. Poen. 4,2,13 Tenebrae latebrae, bibitur estur, QUASI *in* popina, haud est secus. Poen. 4,2,23 Proinde habet hic orationem QUASI *i*pse

1. Exempla Plautina Terentianaque hic praetermisimus, in quibus vocis prioris syllabae consonante littera non separantur, ut *mea*, *tui*. Sunt enim qui putant synizesi facta unam remanere syllabam, hanc synaloepham pati, insequentis vocis initialem longam nullo modo breviari. Quod quamquam minime probo, exempla apud poetas deligenda erant quae talem viam explanandi non admitterent. At ex inscriptione versum afferam unum : Cum DIU *am*bulareis tamen hoc veniundum est tibi (C. I. L. I, 1431).

sit frugi bonae. Epid. 3,4,38 Ei quae accessere TIBI *ad*dam dono gratiis. Stich. 5,4,58 Si amabilitas tibi nostra placet, si TIBI *am*bo accepti sumus. Trin. 2,2,56 Nihil moror eum TIBI esse amicum cum ejus modi virtutibus. Trinumm. 3,2,83 Quid TIBI *in*terpellatio aut in consilium huc accessio est? Amph. 5,2,1 Bono animo es, adsum auxilio Amphitruo TIBI *et* tuis. Most. 3,1,84 Illius, is TIBI *et* faenus et sortem dabit. Truc. 2,6,33 Adsum adduco TIBI exoptatum Stratophanem. Ubi is est obsecro? Persa 3,1,66 Dabuntur dotis TIBI *in*de sescenti logi. Curc. 5,2,10 Enimvero irascor. Dixi equidem TIBI *un*de ad me pervenerit. Mil. gl. 2,5,60 DOMI *ec*cam erilem concubinam. Quid domi? In lecto cubat. Aul. 3,3,9 Heus senex pro vapulando hercle EGO *abs* te mercedem petam. Mil. gl. 4,2,17 EGO *hanc* continuo uxorem ducam. Quid ergo hanc dubitas conloqui? Most. 5,1,45 EGO *in*terim aram hanc occupabo. Quid ita? Nullam rem sapis. Casina 3,3,24 I tu atque arcesse illam, EGO *in*tus quod facto est opus. Epid. 1,1,99 Tu QUIDEM *an*tehac aliis solebas dare consilia mutua. Merc. 1,2,64 Tu QUIDEM *ex* ore orationem mi eripis. Taceo. Tace. Stich. 4,1,71 Atque eccum tibi LUPUM *in* sermone, praesens esuriens adest. — Terentius, Ad. 5,3,1 Parata a nobis sunt ITA *ut* dixi, Sostrata. Hecyra 3,5,62 Quando nec gnatus NEQUE *hic* mihi quicquam obtemperant. Heaut. 5,1,21 Non. Quid non? Non inquam. NEQUE *i*pse gnatus? Nihil prorsum, Chremes. Ad. 4,2,20 Usque occidit. Hem quid narras? Em VIDE *ut* discidit labrum. Heaut. 5,4,9 At ego si me metuis mores CAVE *in* te esse istos sentiam. Phorm. 3,3,24 Quantum opus est TIBI *ar*genti loquere. Solae triginta minae. Heautont. 4,1,11 Facere esse ausam. Vin me istuc TIBI *et*si incredibilest credere? Phorm. 2,3,92 Dicam TIBI *in*pingam grandem, dixi Demipho. — Inscriptio apud Orellium n° 4740 : Qui bene cognorunt cognitam BENE *ex*istumant.

Longae natura. — Plautus, Curc. 5,1,4 Non vidi NEQUE *au*-

divi neque pol dici nec fingi potest. Truc. 5,23 Neque ruri NEQUE *hic* operis quicquam facio, corrumpor situ. Poen. 5,2,118 Pol istam rem vobis BENE *e*venisse gaudeo. Bacch. 3,3,87 Satin ut quem tu habeas fidelem TIBI *aut* quoi credas ne scias. Merc. 5,4,10 Verum hic dicit. TIBI *ergo*[1] dicit. Eo illud est verum magis. Amph. 2,2,101 Neque meum PEDEM *huc* intuli etiam in aedis ut cum exercitu. Menaechmi 5,7,24 Maxumo hodie MALO *her*cle[2] vostro istunc fertis, mittite. Trinummus 5,2,7 Quod DATUM *u*tendumst, id repetundi copiast quando velis. — Terentius, Heaut. 1,2,2 Et illam simul cum nuntio TIBI *hic* adfuturam hodie scio.

In saturniis haec habemus exempla syllabae principialis correptae per vim vocis monosyllabae vocisve synaloepham patientis disyllabae :

Ex vaticinio.

? *Cave in* mare manare suo flumine siris.
? Ea in[du]staurata *ut as*solet facito.

Ex elogio P. Scipionis P. f.

? MORS PERFECIT TUA *ut es*SENT OMNIA BREVIA.
QUIBUS SEI IN LONGA LICUISET *tibe u*TIER VITA.

Ex tabula Mummii.

OB HASCE RES BENE GESTAS *quod in* BELLO VO(VE)RAT.

Breves breviantes in saturnio plerumque in quarta arsi sunt. Hoc non est casu factum, verum ab eadem causa pendet, quae insequentem thesin vix sinit produci vel solvi (infra I, II, 2) : scilicet quarta arsis validius quam reliquae arses solebat feriri. Sic in versibus scenicis apud Graecos omnes arses impares, apud Latinos quinta senarii, septima octonarii iambici septenariique trochaici, tertia septenarii

1. De e producta in *ergo* vide supra p. 39 in adnot.

2. Prior syllaba in *hercle* natura longa est, nam Herculis nomen ex graeco Ἡρακλῆς factum. Apicem super *e* in adjectivo *herculanius* habes apud Garrucci, *I segni... detti accenti* p. VII.

iambici, cum afficerentur ictu validiore, bina tempora explere debebant et thesin rejiciebant impuram. At, quo brevis syllaba validior est, eo plus potest ut insequentem longam corripi cogat (cf. supra p. 28).— Saturnii arsis validissima si quarta est, par hic numerus indicat metra singulis pedibus constare, non binis, versumque hexametrum esse, non trimetrum (qua de re jam supra p. 10-11). Cum hoc optime convenit, quod utrumque hemistichium in eadem sede thesis detractionem admittit (infra I, II, 2) eademque in sede recipit caesuram Korschianam (infra I, II, 4).

Forsitan quidam putabunt, nimis multis nos verbis rem tractavisse, quae ad paucos tantum saturnios spectet. Sed majoris momenti cognitio brevium breviantium est, quam primo aspectu videtur. Nam nisi lex quam significavimus pro vera haberetur, versibus aliquot esset post ultimam thesin prioris hemistichii tribuenda anacrusis posterioris :

............|...| *Jo*||vi de|dit| donum|.

Ter||ra pe|stem te|ne*to*| *sa*||lus hi|c[e] ma|neto|.

Quo||jus for|ma vir|tu*tei*| *pa*||risu|ma| fuit|.

Ne|| quid frau|lis stu|pri*que*| *fe*||roci|a| pariat|.

Quibus sei|| in lon|ga licu|i*set*| *tibe*|| uti|er| vita|.

Ob|| hasce| res bene| ges*tas*| *quod*|| in bel|lo| vorat|.

At si haec anacrusis hic admitteretur, etiam alibi admitti posset. Jam igitur non esset cur non sic scriberemus :

Co||rinto| de|le*to*| *Ro*||mam redi|eit tri|umphans|.

Ob||liti| sunt| Ro*mae*| *loqui*||er lin|gua la|tina|.

Ergo non tantummodo aliter unus et alter versus feriretur, sed de ipso saturnii in universum schemate opinio nostra immutanda esset. Quod infra (I, II, 3 E) fusius considerabimus. Interim legentes rogo legem brevium breviantium penitus in mente fixam habeant, ne vana quadam specie posterius forte decipiantur.

§ 2. — De finalibus et de hiatu.

Quod ad syllabas finales vocum attinet, videbimus multas vocales priscis litterarum latinarum temporibus

fuisse longas, quas serior aetas corripuerit; breves in arsi positas propter eam saepe esse productas; hiatum esse admissum cum post longam in arsi positam, tum post brevem vi arsis productam; item post thesin in caesura, nonnumquam etiam extra caesuram.

A. — Longa syllaba nondum correpta.

Adhuc tempore Plauti longae erant (nisi brevis breviantis vi corriperentur) omnes syllabae finales quae in ipsa origine fuerant longae. Tum enim, ut C. F. Guilelmus Mueller in Prosodia Plautina demonstrat, semper *narrāt* pronuntiabatur ut *narrās narrāmus narrātur*, semper *ducāt*, *amabāt, attinēt* ut *attinēs attinēmus attinētur*, *desiderēt*, *accipiēt*, *audīt* ut *audīs audīmus audītur*, *desīt*, *adduxerīt*, *novīt* quoque ut *novī*, *arbitrōr* ut *narrō*, *fateōr* ut *moneō*, *perpetiōr* ut *sapiō*, *utār* ut *utātur*, *amatōr* ut *amatōris*. Etiam *miles* pro spondeo erat ut *princeps*: scilicet, puto, ex **milits*, **milets* factum erat **milcss*, sicut ex **quatsus quassus*. Nec pronuntiabatur *miles es optimus*, verum *miless ess optimus*, ita ut quomodo *fer-s fer-t fer-tis* sic in pronuntiando *es-s es-t es-tis* declinaretur; neque ante vocalem *bonas* dicebant pro *bona es*, verum *bonass* pro *bona ess*, ut *bonast* pro *bona est*. Neque dubito quin iidem homines *mell apis*, *fell amarum*, *oss et caro* , etiam *lact ovis* et *cord hominis* efferre soliti sint.

Nihil est igitur quod in his exemplis mirari debeas :

Ex vaticiniis.

... defe*rēt* amnis in pontum magnum.

... populus dede*rīt* ex publico partem.

? Vomicam quae gentium ve*nīt* [ea] longe.

Ex elogiis Scipionum.

CONSOL CEN*sōr* AIDILIS HIC FU*ēt* A......

CONSOL CEN*sōr* AIDILIS QUEI FU*īt* APUD VOS.

AETATE QUOM PARUA POSI*dēt* HOC SAXSUM.

Ex Livii Odyssea.

Namque nihilum pejus macer*āt* homonem[1].

Ex Naevii Bello Poenico.

Cens*ēt* eo venturum obviam Poenum.
Virum prae*tōr* adveniens auspic*āt* auspicium.
Ei ve*nīt* in mentem hominum fortunas.

B. — Brevis syllaba sine hiatu producta.

Hic priusquam de saturniis versibus loquamur nonnulla necessario sunt dicenda de universa veteris prosodiae ratione, saltem quod ad syllabas finales attinet. Hoc enim nobis demonstrandum erit, brevem syllabam finalem, in saturnio sub arsi positam, ipsius arsis vi produci; quod ut efficiamus, primum videndum est quae syllabae finales fuerint priscis illis temporibus breves; neque id paucis verbis absolvi potest, quia quaestio integra non est. Nam doctissimi ceterum viri, ejus autem disciplinae quae linguas comparare docet non satis periti, dum de vetere finalium prosodia multis in libris summo labore summaque cura agunt, ingentem congessere errorum molem.

Utrum syllaba finalis brevis semper eamdem habuerit prosodiam, an prima origine longa fuerit, id frustra saepe quaeres nisi extra linguam latinam circumspexeris. Nam contra rationem Germani quidam docti propter unum et alterum versum Plautinum prosodiam recentioris aetatis noviciam existimant. Quid vanius quam exempli gratia nominativo pluralis numeri generis neutri longum *a* tribuere, quia alicubi apud Plautum *omniā* reperiri videatur, cum graecae formae τέτταρα, πάντα demonstrent *a* vocalem corripi solitam esse antequam graeca lingua atque latina una eademque esse desierint? Quin, si vocem πατήρ per α, sanscri-

1. Traditur *humanum*.

tice *pitā* per *i* considerabis, item τέτταρα per α quodque sanscritice idem valet *catvāri* per *i*, agnosces eamdem vocalem aetate Ario-Europaea in terminatione neutrorum fuisse, quae tunc erat in *patris* nomine : ergo qui *omniā* recipit, ei etiam a *pāter* non refugiendum erit.

Quod de terminatione neutrorum dicimus, idem est dicendum de multis aliis. In dativo et ablativo pluralis numeri semper ab aetate Ario-Europaea *-bus* brevis fuit, nam respondet sanscritico *-bhyăs* : in prima declinatione *equabus*, sanscr. *tābhyăs* (iis feminis) ; in secunda *hībus*, sanscr. *tēbhyăs* (iis maribus); in tertia *avibus*, sanscr. *kavibhyăs* (poetis). Itidem terminatio comparativi neutri generis *-ius*, sanscr. *-īyăs* : *suavius*, sanscr. *svādīyăs*. Etiam *-us* secundae declinationis, graece ος, sanscr. *-ăs* (*equus*, ἵππος, *açvăs*); *-mus* verborum (*legimus*, dorice φέρομες, sanscr. *bharāmăs*) ; *-is*,*-it*,*-tis* in *legĭs*, *legĭt*, *legitĭs* (sanscr. *bharăsi*, *bharăti*, *bharathă*[1]); *-e* vocativi (*eque*, ἵππε, *açvă*); *e* imperativi (*lege*, φέρε, *bhară*); conjunctio *que*, τε, *că*.

Quae syllabae temporibus priscis re vera longae fuerint, id quoque non magis cognitio poetarum veterum quam linguarum exterarum ostendit. Nam etsi Plautum amisissemus, tamen Plauti tempore propter φεύγω latine *ducō*, propter ἄμφω latine *ambō*, propter φερέτω vedicumque *bharatāt* latine *fertō* vel *fertōd* admittere deberemus; propter sanscriticum *rājā* (rex), genetivo *rājnas*, latine *carō*, gen. *carnis*; propter dativum sanscr. *vācē*, latine *vocī*; propter nominativum *yē* (qui), latine *hī*; propter locativum *açvē* (in equo), latine *domī*; propter ablativum *açvāt*, latine *equō* vel *equōd* ; propter *bhānŭs* (sol), genetivo *bhānōs*, latine *manŭs* gen. *manūs*.

Ne multa faciam, quae prosodia et in lingua sanscritica vel graeca et in carminibus aetatis augusteae eadem reperitur, aetate quoque Plauti vel Livii Andronici eadem fuit.

1. Nam λέγεις, λέγει, quas formas afferunt qui *legīs*, *legīt* admittunt (tamen nondum quod sciam de *legītur* quisquam verbum fecit), pro *λεγεισι, antea *λεγεσι, et *λεγειτι, antea *λεγετι sunt, ut μείζων pro *μειγιων, antea *μεγιων; soli vetustiori ε, non recentiori diphthongo ει *i* latina respondet.

Nusquam igitur immutata est prosodia latina, nisi ubi vergiliana discrepat a sanscritica vel graeca, vel ab illa quam etymologia indicat. Hac lege cognita plurimarum vocum prosodiam veterem multo melius noscere est multoque firmius, quam si totum Plautum ac Terentium et Ennium tragicorumque et comicorum fragmenta omnia per longas vigilias evolveris. Postquam autem per ratiocinandi viam illam tutissimam tam multa eris tam parvo labore assecutus, facili rursus negotio quotquot immutationis prosodiacae leges fuerunt reperies.

Ex legibus hae sunt nobis gravissimae :

I. Sicut supra (p. 28 ss.) dictum est, fuit tempus cum terminationes vocum iambicarum corripi poterant ; quod demonstrant *tibī* et *tibĭ*, *rectē* et *benĕ*, ἐγώ et *egŏ*, *prīs* in *prīscus* et *magĭs*.

II. Tempore quodam voces in *r* exeuntes ultimam vocalem corripuerunt, quod demonstrant *censŏr censōris*, *ducăr ducātur*, *exemplăr exemplāris*. Itidem voces in *l* exeuntes, quod demonstrant *animăl animālis*, *Hannibāl Hannibăl*, *subtēl* pro **subtēle *subtexle* (supra p. 27) ; de *nihĭl* pro *ne hīlum* dubito, quia haec vox etiam propter formam iambicam corripi potuit. Item voces in *t* exeuntes, quod demonstrant *ducăt ducātur*, *probavĭt* PROBAVEIT (sanscritice *abravīt*, dixit, *agāsīt*, cecinit), *audĭt audīs*, *censĕt censēmus*, *narrăt narrātis*[1].

III. Pristinam prosodiam servaverunt voces in *s* exeuntes, quod demonstrant *narrās narrāmus, censēs censētis*, *audīs audīris*, *feminās* ἡμέρας, *dominōs* λόγους, *securēs* πόλεις : contra *dominŭs* λόγος, *suaviŭs* sanscr. *svadīyăs*, *ferimŭs* dorice φέρομες ; *ducĭs ducimus* sanscr. *bharăsi* (fers). Item voces in *d* exeuntes, quod demonstrant *Gnaevō* factum ex *Gnaivod*, sanscr. *açvāt* (equo) ; *fertō* factum est *fertod*, sanscr. *bharatāt ;* contra *illŭd* αὐτό sanscr. *tăt* (id). Item voces in vocalem exeuntes, quod demonstrant *ducō* φεύγω, *ambō* ἄμφω, *cardō* sanscr. *rājā*, *vocī* sanscr. *vācē*,

1 Sic etiam voces in *m* exeuntes, quod nostra nunc non refert.

iī sanscr. *yē* (qui), contra *templă* δῶρα τέτταρα sanscr. *catvārī*[1], *dominĕ* ἵππε sanscr. *açvă*, *claudĕ* φεῦγε sanscr. *bhară* (fer), *accipĕ accipĭto*, *tristĕ* (pro **tristĭ*) sanscr. *çucĭ* (purum), *fert* (pro **fertĭ*) sanscr. *bharatĭ*.

Ubicumque contra quas significavimus leges aliquid esse factum videtur, id re vera eas non violat. Nam, quod graeco πατέρες latine respondeat *patrēs*, si quis dicat *-ĕs* in *-ēs* abiisse, prorsus erret; in latino enim sermone *-ĕs* fit *-ŭs*, ut φέρομες *ferimŭs*. Itaque τέτταρες fuit **quattuorŭs*, quod ultimam syllabam amisit sicut *puerŭs puer*, **virŭs vir*, *celerĭs celer; patrēs* autem non magis ex **patrĕs* vel **patrŭs* factum est quam genetivus *senati* ex *senatūs*, verum duae declinationes sunt inter se mixtae; quasi si propter πόλεις Graeci *πατέρεις dixissent, vel ipsi Latini **patrium* propter *securium*. — Neque magis *genū* factum est ex *genŭ*, quod graeco γόνυ sanscriticoque *jānŭ* respondeat; verum, ut magister meus Bréal perspexit, ex **genŭĕ* vel **genŭĭ*, quae forma idem ad γόνυ et *jānu* est, quod *nav-ĭ-s* ad ναῦς, sanscr. *naus*, idemque quod *suav-i-s* ad ἡδύς, sanscr. *svādus*, quodque *suave* ad ἡδύ, sanscr. *svādŭ*[2]. — Item falluntur qui brevem syllabam *-sĕ* vel *-rĕ* in *esse, ferre, dare, fore, facere, amare, fuisse* graeco -σαι in -ποιῆσαι sanscriticoque *-sē* vel *-sē* vel *-sē sē* in *jisē* (vincere) respondere existimant; huic enim terminationi σαι, *sē* multo melius respondet latine *-sī*, *-rī* in *fieri, dari* (apud Festum in epitome p. 68 Mueller *dasi*), *ferri, amari* (neque hoc quis propter differentiam sensus in activo ποιῆσαι, passivo *dasi* mirari velit, cum activi passivique in infinitivo distinctio minime antiqua esse possit) : scilicet aetate Ario-Europaea duae fuerunt infinitivi terminationes *sai* et *-sĭ*, ut sunt in Vedis ejusdem formae duae termina-

1. Eumdem exitum habes in *ita*, sanscr. *itĭ*. Latinae vocis prosodiam pristinam prorsus ignoraremus (nam **itā* propter formam iambicam potuisset corripi ut *putā pută*), nisi eamdem vocem Indi servavissent. Ab illo *ită* discimus corripi debere *aliută*.

2. Ubi per *u* correptam *genu* reperitur, nullo modo pristinam formam habemus, verum vetustioris *genū* immutationem, quasi *modŏ* pro *modō* et *benĕ* pro **benē* et *manŭ* pro *manū* et *lacŭ* pro *lacū*.

tiones-*ē* (pro *ai*) et -*ĭ*[1]. — Quod autem ad *nolŏ*, *narrŏ*, *ordŏ*, *estŏ* attinet, in his formis nihil est cur putemus sonum vocalis ultimae in ipso Romanorum sermone immutatum esse, verum meram hic poetarum aetatis argenteae habemus libidinem : quare enim, si aliter esset, dativo vel ablativo casu *solŏ*, *Pyrrhŏ*, *tardŏ*, *festŏ* non inveniremus[2]? — *Que* in *uterque*, *quisque*, *ubique*, *undique*, *cumque* vulgo ex **queid* factum esse dicitur, quia cum *d* littera reperiatur apud Oscos *pοtorospíd* (utri*que*) et *poterεipíd* (in utro*que*), cum diphthongo apud Umbros *podruhpei* (utrin*que*, vel potius utro*que*, adverbialiter), *panupei* (quando*que*); sed oscum *-píd* sanscritico *-cĭt* tam simile est, quod habemus exempli gratia in *kaç-cit* (quidam, quisque[3]), ut correptum existimari debeat; in Umbrorum scriptura *ei* non magis longam vocalem vel diphthongum significat in *-pei* quam in *eine* (latine *ĕnim*) vel in *neip* (lat. *nĕque*) atque in latinis formis *seine*[4], *seibi*, *Leicinius*[5], *inpeirator*[6]; oscum *-pid* praeterea nullo modo idem esse potest atque latinum *-que*, nam si productum est, latine *d* amit-

1. Sic *cakṣē* dicere et *sam-cakṣĭ*, *dṛçē* (videre) et *dṛçĭ*. Quod ad originem attinet, fortasse *-sē* et *-ē* dativi fuerunt, ut sanscr. *vācē* (voci), *-sĭ* et *-ĭ* autem locativi, ut sanscr. *vācĭ* (in voce). Passivo declinationis verborum tertiae, ut *ducī*, infinitivi vedici in *-ē* respondent, ut *bhuvē* (esse), quod latine esset **fui*, *cakṣē*, *dṛçē*. — *Essē* pro **essĭ* est, *darē* pro **darĭ*, ut *cubile* pro **cubilĭ*, *capē* pro **capĭ*.

2. Hodie in sermone nostro, qualis Parisiis vulgo auditur, prorsus nihil interest inter *cier* substantivi *mercier* et *cier* verbi *remercier*; tamen in versibus *cier* unam syllabam efficit si substantivum est, duas si verbum. Quo vides alias esse normas quas poetae sequuntur, alias ipsius sermonis leges. At finge nunc novam in versibus condendis consuetudinem obtinere, ut etiam in substantivo *cier* pro duabus syllabis numeretur : nihil propter hoc lingua nostra immutabitur. Simili modo, nisi fallor, placita Lucani vel Statii linguam latinam intactam reliquere.

3. In sermone sanscritico classico, quod dicitur, *kaç-cit* saepius « quidam » significat quam « quisque » vel « quicumque »; hoc enim sensu potius dicitur, adjuncto pronomine relativo, *yas kaç-cit*. Sed in dialecto vedica multa sunt exempla in quibus *kaç-cit* (sine *yas*) « quisque » significat : vide Grassmann, *Woerterbuch zum Rig-Veda*, sub voce *ka*.

4. C. I. L. I, 198 l. 54, p. 61.

5. Ibid. 1223 et 1127.

6. Ibid. II, 5041.

tere debuit vocalemque longam servare ut *sententiā(d)*, *occultō(d)*, *marī(d)*, *facillimē(d)*, *estō(d)*; sin correptum, latine *d* servare debuit ut *ĭd*, *quŏd*, *illŭd*, *sĕd*, *ăd*; oscum *-pid* idem est atque sanscriticum *-cit* in *kaç-cit* vel *yas kaç-cit* (quisque, quicumque[1]); latinum *-que* idem est atque sanscriticum *-ca* in *yas kaç-ca*[2] (quisque, quicumque). — Maximam omnium difficultatem movere videtur nominativus singularis primae declinationis in *-ă*, quem vulgo ex *-ā* correptum putant, quia graeco α producto in νεά et indico *ā* in *navā* (nova) respondeat. Itaque vix doctum virum invenias, qui *sententiā* ante *sententiă* et *terrā* ante *terră* esse dictum dubitet; Franciscusque Buecheler existimavit *a* maturius in adjectivis quam in substantivis fuisse correptam, quia apud Plautum in fine versuum reperiatur *hiulcă gens*, non *servă sit*; sed *praedā sit* indicavit contra Buecheleri regulam C. F. Guilelmus Mueller in Casina. Ego autem nunc puto nominativum illum in *-ā* amissum fuisse atque omnino abolitum in latino sermone, antequam ullus Romanorum poetarum scribere inciperet; quem autem nominativum habent, is correpto α Graecorum in μοῦσα, *o*, *u* Oscorum et Umbrorum in *touto* (civitas), *etantu* (tanta) respondet, neque umquam inde ab Ario-Europaea aetate discrepuit ab exitu *-ă* neutrorum, qui similiter latine *ă*, graece α correptum, osce *o*, umbrice *u* est.

Ratio nunc satis nota est, qua licet vetustissimam Ro-

1. Si quis autem miratur oscam linguam cum indica id habere commune, quod in latina desit, reputet in prima declinatione et in secunda Umbros et Oscos nominativum pluralem sanscritico propiorem quam latino habere. Praeterea Umbri soli omnium Europae populorum locativum primae declinationis servaverunt, quod indice in *-āyām*, umbrice in *-em* desinit, ut *totem e Iovinem* civitate in Iguvina : *Mém. de la soc. de ling.* II p. 391. Nam Michael Bréal dum contra disserit (*Les tables eugubines* p. 83 ss.) hanc nostram sententiam sua ipse impugnatione confirmat, quippe qui compellatur complures in tabulis iguvinis errores agnoscere.

2. In lexicis etiam *kaç ca* sine *yas* affertur; an id jure, videant qui linguam sanscriticam callent. Praeterea cum particula negandi *kaç ca na* « quisque, quicumque » dicitur : quod latine sit **quisquene*.

manorum prosodiam melius quam vulgo fit describere. Jam igitur periculum non est, ne in judicandis versibus Ennii his erremus : Ajo te Aeaci*dā* Romanos vincere posse. — Et densis aqui*lā* pinnis obnixa volabat. — Sensit, voce sua ni*ctīt* ululatque ibi acute. — Sic exspectabat popu*lūs* atque ora tenebat. — Scilicet hic syllabae vocum ultimae nullo pacto per se umquam longae fuerunt, verum, quia in arsi sunt positae, vi aliena producuntur ; id est, ea productio ad prosodiam metricam pertinet, non ad prosodiam grammaticam. Sic posterius Vergilius : Pingue su*pēr* oleum infundens ardentibus extis. — Terga fatiga*mūs* hasta nec tarda senectus. — Dona dehinc auro gravi*ā* sectoque elephanto. Qui poeta, puto, in sermone communi neque *a* neque *e* neque *u* in *gravia*, *super* et *fatigamus* producere solebat. Eum posteriores imitati sunt poetae, nec solum Ausonius, auctor Orestis tragoediae, Priscianus, verum etiam per totum medium aevum quicumque hexametros conscripsit, ut Gualtherus de Insula Vitalisque Blesensis.

Productionem propter arsin factam pulcherrimo exemplo demonstrat hexameter quidam vulgari sermone conceptus, in quo vocales productae per diphthongum scribuntur (qua in re complures ex doctissimis Germanis miro modo haeserunt), C. I. L. I, 1297 : PROTOGENES CLOUL[I] SUA*vei* HEI*cei* SITUST MIMUS, hoc est, « Protogenes Cluilii servus suavis hice » (*vel* hic) situs est mimus. »

Haec productio metrica si in arsi versuum dactylicorum legitima fuit, non video cur etiam in iambicis trochaicisque aliquando adhiberi nequiverit. Sed sic ad quaestionem difficillimam devenimus, an apud scenicos poetas syllabae vocum ultimae breves propter arsin produci possint ; quae sibi librum peculiarem vindicaret. Valde dolendum est, quod plerique doctorum, ut Corssen, Wagner, Fleckeisen, in retegendis ut quidem rebantur pristinis vocalibus longis plurimam operam eamque satis vanam absumpserunt, C. F. Guilelmus Mueller totus in prosodia grammatica occupatus eorum errores magis conatus est refellere quam

usum Plauti metricum definire. Illi magnam congeriem indigestissimamque molem exemplorum per fas ac nefas exaggerantes, hic sano judicio sed nimio fortasse fervore in hanc dementiam infensus, id omnes in summam effecere ut animus legentium ubi consistat non invenire possit. Cauti igitur hodie sint oportet, qui vel affirmare vel negare velint. Hoc tamen procul dubio est, in comicorum versibus, quales nobis per codices manuscriptos traditi sunt, satis multos exstare versus in quibus syllabae breves sub arsi positae produci videantur. Praeterea, quantum nos judicare possumus, eas syllabas certissimum est nulla aetate per se longas fuisse. Restat igitur, ut aut cum C. F. Guil. Muellero omnia exempla corrupta esse profiteamur[1], aut dicamus eamdem arsi vim comicos tribuisse, quam tribuit Ennius.

Ergo non summa fiducia, sed aperte tamen declaramus, nobis hoc quam illud veri similius videri. Nam quamquam C. F. Guil. Muelleri adversarii permulta exempla attulerunt, quae omnino mala essent, tamen supersunt aliquot meliora, neque ea ita pauca. Qualia sunt haec :

Naevius in Ribbeckii editione altera : trag. 57 Diabathra in pedi*bus* habebat, erat amictus epicroco. — Plautus, Men. 2,2,52 Proin tu ne quo abeas longi*us* ab aedibus. Trin. 2,1,17 ss. in creticis : Ilico res foras labitur liquitur; Da mihi hoc mel meum si me amas si audes; A[tque i]bi ille cuculus : [o] ocelle mi fiat, Et istuc et si amplius vis dari dabitur; Ibi pendentem ferit jam ampli*us* orat, Non sa*tis* id est mali ni amplius[t] etiam, Quod bibit quod comest quod facit sumpti; Nox datur, ducitur famili*a* tota. Curc. 3,68 Quia nudiusquartus veni*mus* in Cariam. Trinumm. 4,2,129 Neque edepol tu is es neque hodie is um-

1. Nonnulli loci facilius etiam emendari possunt quam Mueller ait. Sic Pseud. 1,3,121 Ego scelestus nunc argentum prome*re* possum dono : non *promere hinc possum* scribendum, verum *promere potĭs* (cf. p. 54-55) *sum*. Mil. glor. 3,2,34 Tibi salutem me jusserunt dice*re*. Salvae sient. Non *eae salvae*, verum *salŭae*, ut apud Horatium *silŭae*; similiter in versibus saturniis infra (§ 3 c) *arŭa* , *silŭicolae* ostendemus inveniri.

quam *eris* auro huic quidem. Poen. 3,4,12 Quid si animus esse non si*nit*? Esto ut sinit. Men. 5,5,22 Potionis aliquid priusquam perci*pit* insania. Persa 4,3,13 ... Derda*le* credo tibi. Men. 5,5,2 Quae me clam ratus sum facere, ea omni*a* fecit palam. Asin. 1,3,47 Cete*ra* quae volumus uti Graeca mercamur fide. Mil. 3,2,34 Numquam edepol vidi prome*re*, verum hoc erat. Epid. 3,4,62 Potuit, plus jam sum libe*ra* quinquennium. Poen. prol. 85 Altera quinquennis alte*ra* quadrimula. Men. 5,2 88 Ut ego illi[c] oculos exuram lampadi*bus* ardentibus. Mercat. 5,2,60 Dic igitur ubi illa est ? In nostris aedi*bus*. Aedis probas. Merc. 5,2,79 Omni*bus* hic ludificatur me modis, ego stultior. Rud. 4,3,36 Mare quidem commune certost omni*bus*. Adsentio. — Titinius in Ribbeckii editione altera : com. 45 Parasitos amovi, lenonum [illum] aedi*bus* absterrui.

Negat C. F. Guil. Mueller Plautum potuisse scribere *Ineptiā stultitiaque adeo et temeritas*, quia etiam legatur apud eum in eadem fabula, nec plus duobus versibus infra, inserta voce *et* contra latini sermonis consuetudinem [1], *Petulantia* et *cupiditas*, *malivolentia*, *Inopia*, *contumelia* et *dispendium* (Mercator 1,1,17 ss.). Quid autem, si illud *et* scribae vel spectaculi editores inseruerunt, non ipse Plautus ? nam versu 16 *error* et *terror et fuga* pro *error terror et fuga* scriptum invenimus. At, puto, si librum Plauti manu scriptum haberemus, in eo et plures hiatus et plura exempla brevium breviantium productionisque propter arsin factae inveniremus, lectionemque in universum illa qua utimur ut ita dicam plautiniorem. Fuit enim causa, cur posteriores quae ἀρχαϊκῶς dicta videbantur immutarent, non fuit, cur Plauti versus saturniis Livii Andronici Gnaevique Naevii versibus assimularent.

Sed utut de exemplis modo allatis existimandum est,

1. P. 8. « Ganz gegen Gewohnheit der lateinischen Sprache. »

antiquae libertatis vestigium superesse videtur in tribrachis scenicorum poetarum, qui arsin in ultima vocis syllaba habent, ut in Mostellaria Plautina 1,3,99 muli*ere memo*rarier. 1,4,15 Si*ne sine* cadere me. 3,1,107 Vos*met igi*tur. 5,1,62 omni*a male*facta. 5,1,69 auri*bus ocu*lis. In Phormione Terentiana 2,1,2 Phaedri*a patrem ut* extimescam. 5,6,25 Sophro*na modo* fratrem. 5,9,7 Creder*e. Quid* ego obsecro. Nam quamquam primo aspectu tribrachus pro trochaeo puro positus videri potest, ut primae breves trochaei arsin longam aequent, tertia trochaei brevem thesin, re vera hic pes dactylo propior est quam trochaeo; immo dactylus est, in quo arsis ex una syllaba constat, thesis ex duabus. Brevis scilicet quae pro arsi est producitur fitque longior quam una mora. De quo dubitare non debet qui veteris pronuntiationis leges modo habebit in memoria.

In versibus enim comicorum et tragicorum (neque aliter est in saturniis) notum est theses singulorum pedum, cum solvantur, inter binas voces dividi nequire (nisi prior vox aut monosyllaba sit ut *quid* aut praepositio insequenti nomini arte conjuncta ut *propter amorem,* vel pes in initio versus positus sit). Nec magis vocis polysyllabae paenultima et ultima breves thesin solutam efficiunt. Itaque apud poetas scenicos nec « medi*taris a*vena » vel « reso*nare do*ces » nec « sub *tegmine* fagi » vel « prae*dicere* quercus » legitimos dactylos praebent. Utramque legem simul enuntiabis, si dices solutae thesis partem esse non posse syllabam ultimam vocis. Quod valet de vocibus polysyllabis ut medita*ris*, tegmi*ne*, de trochaicis ut o*re ;* vox autem quae pyrrhichium vel iambum efficit, ut *cape*, *bono*, per se solutam thesin aequare potest. Scilicet in his vocibus, propter brevem breviantem quae in initio est, altera vere corripitur; in ceteris, cum brevis brevians non adsit, terminatio non satis ipsa brevis est, ut pars sit solutae thesis.

Similiter cavent poetae ne talis syllaba pars sit solutae arsis; id est, vitant hos tribrachos, « o*mnibus a*micis », « lin*quere pa*trem », hosque anapaestos, « o*mnibus am*bo »,

« lin*quere fi*nes » vel « medita*ris ave*na », « umbro*sa cacu*mina » ; etiam vitant « bo*nus ave*na », « ca*pe malo*rum ». Sane rari non sunt anapaesti mendaces[1], quales Most. 1,3,78 is*ta quidem ab*sumpta. 1,3,97 quic*que loco*. 2,1,69 Sic*ut ego ef*ficiam. Phorm. 2,1,18 omni*a mea in*commoda. 5,9,48 Nausistra*ta prius* quam. Sed hi semper ejusmodi sunt, ut aut ultimam et paenultimam pedis syllabas vox iambica efficiat, quae facillime breviatur, aut ultima positione tantum longa sit, ut propter brevem breviantem quae praeit sine dubio corripiatur. Nam si contra quis verum anapaestum agnoscere velit in hoc versu Plautinae Amphitruonis (prol. 102), Is priusquam abiit ipse*mĕt ĭn ē*xercitum, reputet legi ibidem (125) Qui cum Amphitruone abiit *hūnc ĭn ĕ*xercitum, et (140) Nunc hodie Amphitruo veniet *hūc ăb ĕ*xercitu. — Quo igitur pacto credemus, quae syllaba alibi nusquam pars sit solutae thesis aut solutae arsis, eam vere corripi ceterisque brevibus similem esse, atque principiali syllabae vocis insequentis in eadem arsi jungi posse, cum neque in arsi neque in thesi jungatur paenultimae quae ei in una eademque voce praeit?

Ergo ubicumque pes trium syllabarum ita dividitur ut prima ejus syllaba vocis ultima sit, re vera dactylus is est, etiamsi tribrachus esse videtur ut « omni*a male*facta » vel anapaestus ut « ipse*met in e*xercitum ». Ideo sub fine versus, ubi trochaeus vel tribrachus requiritur, bene « *quid agi*tur (Phorm. 4,3,5), *quid ita* non (4,1,2), *quis hic ho*most (5,9,2), *bono ani*mo es (5,8,72) », numquam « omni*bus agi*tur, omni*bus ita* non, omni*bus hic ho*most, omni*bus ani*mo es » reperimus. Nec magis « bo*nus agi*tur, bo*nus ita* non..... »: scilicet in vocibus, quae ut *bonus* pyrrhichium efficiunt, altera syllaba (pariter atque ultimae syllabae vocum polysyllabarum vel trochaicarum) ictum accipere nequit, quin longa fiat, vel, si mavis, quasi longa.

1. Hic et infra ita pedes discerpimus, ut ab arsi incipiant. Etiam igitur in versibus iambicis pedes respicimus trochaicos, non iambicos. Quod cur expediat, contra ratio vetus distinguendorum pedum nequeat comprobari, vide apud Alfredum Croiset, *La poésie de Pindare* p. 37 adnot. 3.

« *Quasi longa* » dicimus, non « *longa* ». Fortasse quaeres enim : Qua de causa, si brevis syllaba ultima sub ictu posita longa fit, dactyli solummodo, spondei vel trochaei non nisi perraro esse initium potest? — Quia, puto, duas moras non aequat, ut genuinae longae solent, verum a sesquimora nihil aut parum differt, ideo trochaeo formando haud est apta ; formando autem spondeo ideo, quia non facile brevem paululum productam vi majore proferas quam genuinam longam. At si dactylus est, neque ultra sesquimoram producatur opus est, et recte pes feriri potest[1].

Breves ergo in exitu vocum apud poetas scenicos usque ad sesquimoram sub ictu fere producuntur; eaedem apud Ennium produci possunt usque ad binas moras in dactylico hexametro. Hexametrum saturnium eamdem libertatem admittere minime mirandum est, praesertim quo tempore doctrinae Graecorum cognoscendae minus operae Latini poetae dederant et, ut Tulliano verbo utar, *minus polite* scribebant quam Ennius.

Lex igitur haec est : Quaelibet syllaba brevis, si vocis ultima est, in versu saturnio sub ictu posita usque ad duas moras producitur genuinaeque longae omnino fit similis.

Propter peculiarem autem saturnii libertatem, per quam in certis locis thesibus sublatis arses ternas moras aequant, syllaba ultima brevis, in secunda hemistichii prioris vel posterioris arsi posita, saepe pro una mora usque ad tres

1. Syllabae vocum ultimae breves re vera in sermone saepe sesquibreves erant. Ideo in iis a correpta non ut in mediis syllabis immutatur : *camerA*, *trIs*, *itA* (sed *itidem*), *anAs* (sed *antes*), *CaesAr*, *jubAr*, *camerAe* (sed *Achivi* ex Ἀχαιοί). Ergo *anAtes* forma recentior est quam *antes*, scilicet ex *anAs* effecta est. Sic *Caesaris* effectum est ex *Caesar*; conferatur *Hannibalis* ex *Hannibal*, correpta vocali in casu nominativo propter *l* ultimam, ut in *animal animalis*; primum enim dicebatur *Hannibal Hannibalis*, *jubAris* ex *jubAr*; nam **Caeseris*, **juberis* esse deberet. Contra ex **duplAx duplicis* factum est *duplEx duplicis*, non **duplAx *duplAcis*; ex **princAps principis* factum est *princEps principis*, non **princAps *princApis*; sed haec omnia ad analogiam pertinent, non ad rem phoneticam. « *AurcAx* auriga » (Epitome Festi p. 8 Mueller) veterem nominativi vocalem servavit, nisi fortasse in hoc nomine ut in *aetas* vocalis *a* producenda est, quomodo priscis temporibus in *attat*, *ponebat*, *animal*, *Hannibal*, *exempla*.

moras producitur. In exemplis, quae jam infra dabuntur, sublatas theses punctum superne positum [·] significat.— Breves numquam producuntur in tertia arsi vel quarta, si caesura post thesin posita est; neque umquam producuntur in sexta arsi.

Non prorsus certa sunt exempla, in quibus syllabam finalem in arsi positam duae breves sequuntur, nam cum iis videri ea potest non dactylum (quod tamen verius puto), verum tribrachum efficere.

Ex vaticiniis.

Sacra*que* PATRIA quorum.....

? Cum[*e*] POPULUS dederit ex publico partem.

Ex Livii Odyssea.

? Nam*que* NIHILUM pejus macerat homonem.
Quam*de* MARE saevum; vir[es] et cui sunt magnae.

Ex Naevii Bello Poenico.

Si*mul* ALIUS ALIUNDE rumitant inter se.

Dubia sunt exempla ablativi tertiae declinationis, partim quia duae terminationes erant altera brevis altera longa natura, ut *virtutĕ virtutī*, quae duplici accusativo in *-em* et *-im*, duplici genetivo plurali in *-um* et *-ium* respondebant, partim quia pro *-e* poetae adhuc efferre poterant *-ed*, *patred*, *Joved*, *ordined*, *rumored*, *puluered* :

Ex elogio Barbati.

GNAIVOD *patre* PROGNATUS, FORTIS VIR SAPIENSQUE.

Ex Naevii Bello Poenico.[1]

Sanctus *Jove*[1] prognatus Putius Apollo.
Sacra in mensa Penatium *ordine* ponuntur.
Redeunt, referunt petita *rumore* secundo.

Ex carmine rusticorum.

Hiberno *pulvere*, verno luto, grandia farra.

Exempla igitur productae brevis ea sunt fiducia prae-

1. Traditur *Sanctusque Delphis prognatus*

cipua afferenda, in quibus thesi aut correpta aut producta aut sublata (non autem soluta) arsin efficit

nominativus primae declinationis, ut *terra*, *mea*, *sancta*, *tua*, *forma*, *fama*, *vita*, *divina*, *hasta*, *ea*, *cura*, *parisuma*, *ferocia*, *filia*, *Proserpina*;

nominativus secundae declinationis, ut *Runcus*, *inferus*, *inclitus*, *Putius*, fortasse *faber*;

vocativus, ut *summe*, *Laertie*;

neutrum plurali numero, ut *exta*, *patria*, *occisa*;

nominativus tertiae declinationis, ut *mare*, *acer*;

genetivus, ut *regis*;

dativus vel ablativus plurali numero, ut *Tempestatebus*, *piscibus*, *capitibus*;

neutrum plurali numero, ut *omnia*, *pectora*, *atrocia*, *sagmina*;

numerale, ut fortasse *quinque*;

verbum, ut *obliscere*, *insece*; *subigit*, *facit*; *quairatis*; *cante*; *pellere*, *fuisse*;

adverbium, ut *facile*; *comiter*; *hice*; *quamde*, *deinde*; *simul*; *que*, *atque*, *itaque*; fortasse *cume*.

Sub arsi prima.

Ex carminibus Saliorum.

? Cu*me* tonas, Leucetie, praï tet tremonti.

Ex elogiis Scipionum.

SUBI*git* OMNE LOUCANAM OPSIDESQUE ABDOUCIT.

FACI*le* FACTEIS SUPERASES GLORIAM MAJORUM.
TER*ra*, PUBLI, PROGNATUM PUBLIO, CORNELI.

Ex Appii Sententiis.

? Fa*ber* est [ipse] suae quisque fortunae.

Ex Livii Odyssea.

Me*a* puer, quid verbi ex tuo ore......
Tu*que* mihi narrato omnia disertim.
Tum*que* remos jussit re[l]ligare struppis.

? Nam*que* nihilum pejus macerat homonem
Quam*de* mare saevum ; vir[es] et cui sunt magnae.

Ex Livii carmine in Junonem reginam.

San*cta* puer, Saturni filia, regina.

Ex Naevii Bello Poenico.

Run*cus* atque Purpureus, filii Terras.
Dein*de* pollens sagittis inclitus arquitenens.
Ir*que* susum ad caelum sustulit suum rex [1].
Ex*ta* ministratores. . . . . .
Sum*me* deum regnator, quianam [me] genuisti ?

Ex Naevii epigrammate.

Ita*que* postquam est Orci traditus thesauro.

Verba quibus arcetur dolor pedum.

Ter*ra* pestem teneto, salus hic[e] maneto.

Sub arsi secunda.

Ex vaticiniis.

Caro tu*a*, nam mihi ita Juppiter fatust.

. . . . dis*que* sipatam [2] rivis exstingues.
Sacraque patri*ae* quorum ob cura missa [3].

Ex elogiis Scipionum.

QUOJUS FOR*MA* VIRTUTEI PARISUMA FUIT.

HONOS, FA*MA* VIRTUSQUE, GLORIA ATQUE INGENIUM.

QUOIEI VI*TA* DEFECIT, NON HONOS, HONORE.
NE QUAIRA*TIS* HONORE, QUEI MINUS SIT MANDATUS.

Ex tabula Regilli.

Classis re*gis* Antiochi.... .. .

Ex Livii Odyssea.

? Ibidem*que* vir summus, adprimus, Patricoles.

1. Traditur *isque, suas res.*
1. Traditur *dissipatamque.*
2. Traditur *omissa cura.*

? Quamde mare saevum; vir[es] et cui sunt magnae.
Nam divina Monetas filia docuit.
Topper facit homines ut [p]rius fuerunt.
At celer hasta perrumpit pectora ferro.

Ex Naevii Bello Poenico.

Runcus atque Purpureus, filii Terras.
Fames acer augescit hostibus......
Scapos atque verbenas sagmina sumpserunt.

Sub arsi tertia.

Ex carminibus Saliorum.

Divum em pa cante, divum deo supplicate.

Ex vaticinio Marciano.

Quotannis comiter Apollini fiant.

Ex elogio L. Scipionis, Barbati f.

DEDET TEMPESTATEbus AIDE MERETO.....

Ex Naevii Bello Poenico.

?...... simul atrocia porricerent.
?..... atque prius pariet locusta.

Verba pontificum.

? Diebus te[1] quinque calo, Juno Covella.

Sub arsi quarta.

Ex Naevii Bello Poenico.

Convenit, regnum simul atque locos ut haberent.

Sub arsi quinta.

Ex vaticiniis.

Campum, milliaque multa[2] occisa tua.
Ex terra frugifera, piscibus atque avibus.

1. Traditur *dictae*.
2. Traditur *multaque millia*.

Hostem, Romani, si ex agro pell*e*re·[1] vultis,
Vomicam quae gentium venit [e*a*]· longe.
Privati uti conferant pro se[d] atque· suis.

Sacraque patria, quorum ob cu*ra*· missa[2].

Ex elogiis Calatini et Scipionum.

Populi primarium fuis*se* virum.

DVONORO OPTUMO FUIS*E* VIRO.

QUOJUS FORMA VIRTUTEI PARISU*MA*· FUIT.

MORS PERFECIT TUA UT ESSENT OMNI*A*· BREVIA.

Ex Appii Sententiis.

Ne quid fraudis stuprique feroci*a*· pariat.
Amicum cum vides, oblisc*ere*[3] miserias.

Ex Livii Odyssea.

Virum mihi, Camena, ins*ece* versutum.
Neque enim te oblitus sum, Laerti*e*· noster.
Tuque mihi narrato omni*a* disertim.
Nam divina Monetas fili*a*· docuit.
.... infe*rus* an superus.
At celer hasta[4] perrumpit pecto*ra*· ferro.

Ex Livii carmine in Junonem reginam.

Sancta puer, Saturni fili*a*, regina.

Ex Naevii Bello Poenico.

Deinde pollens sagittis incli*tus* arquitenens
Sanctus Jove prognatus Puti*us* Apollo.
Prima incedit Cereris Proserpi*na*· puer.
.... simul atroci*a* porricerent.
.... ex auro vestem*que* citrosam.
Noctu Trojad exibant capiti*bus* opertis.
Scapos atque verbenas sagmi*na* sumpserunt.
Magni metus tumultus pecto*ra* possidit[5].

1. Livius *expellere*, Macrobius *ex agro expellere*.
2. Traditur *omissa cura*.
3. Traditur *oblivisceri*.
4. Traditur *hasta volans*.
5. Traditur *possidet*.

C. — Hiatus in arsi.

Persaepe in versibus saturniis hiatur post arsin, in caesura post thesin quoque. Haec libertas, puto, saturnio propria non fuit, neque aliter Ciceroni videbatur, qui in Oratore (45,152) sic loquitur : « Sed Graeci viderint : nobis ne si cupiamus quidem distrahere voces conceditur. Indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis, *indicant omnes poetae, praeter eos qui ut versum facerent saepe hiabant, ut Naevius :* Vos QUI accolitis Histrum fluvium atque algidam, *et ibidem* : Quam nusquam vobis GRAJI atque barbari. At *Ennius semel* : Scipio invicte, *Et quidem nos :* Hoc motu radiantis EtesiAE in vada ponti. » Re vera alium hiatum invenimus in tragoediis Livii Andronici (v. 18 in Ribbeckii editione altera) : ConfluGAE ubi conventu campum totum inumigant. — Nam *cubi* apud Livium, *ques* et *Grajeis* apud Naevium reponere, minime licitum censeo.

Plautus utrum hiare solitus sit, magna de hoc inter doctos in Germania contentio est. Quam nos dirimere hic non conabimur, quamquam iis assentiri sine dubitatione profitemur, qui hiatum probant; immo non indignemur, si quis asserat ab ipso Plauto hiatus complures esse admissos, quos aetas inferior in plautinis codicibus sustulerit. Sed videant alii : nam in ipsis saturniis, quisquis Plauto mos fuerit, hiatus procul omni dubio invenitur. Scilicet in hexametro saturnio saepe factum est quod juniores poetae in hexametro dactylico fecerunt rarius : quod non solum in hiatu recipiendo, verum etiam in brevibus producendis supra observavimus. Ut igitur Ennius *Miscent inter sese inimicitiAM agitantes*, Vergilius *Munera sunt lau*RI *et suave rubens hyacinthus*, Tibullus *Et tantum venerata* viRUM, *hunc sedula curet,* sic Livius *ci*TI *ad aedis*, Naevius *mul*TI *alii*.

In Ennii *inimiciti*AM *agitantes* Tibullique viRUM *hunc* brevis syllaba non solum non eliditur, verum etiam propter arsin

producitur. Sic apud Livium *par*TIM *errant*, apud Naevium *post*QUAM *avem*. Hic exempla segregavimus, prout syllaba in arsi non elisa longa vel brevis est.

Dubia primum exempla hic conjunximus, in quibus incertum est utrum theses hemistichiorum paenultimae tollendae sint an hiatus admittendus.

Ex carmine Arvalium.

..... INCURRER*e* IN PLEORIS.

Ex vaticiniis.

Ex ea ti*bi* his quae nunc panduntur fatis.
Ea [1] in[du]staura*ta* ut assolet facito.

Ex tabula Gracchi.

In ea provincia caesa hostium [2] aut capta.

Ex dedicatione Vertulejorum.

QUOD RE SUA DIFEIDENS ASPER*e* [3] AFLEICTA.

Ex Livii Odyssea.

Argenteo polubro aure*o* [4] et glutro.
... in Py*lum* adveniens aut i*bi* ommentans.
Quoni*am* audivi paucis gavisi...
Apud nym*pham* Atlantis filiam Calypsonem.
Utrum genu*a* amploctens virgi*nem* oraret.

Ex Naevii Bello Poenico.

Multi ali*i* e Troja strenui viri.
Postquam a*vem* aspexit in tem*plo* [5] Anchisa.
Pri*ma* incedit Cereris Proserpina puer.
Inerant si*gna* expressa quo modo Titani.
Apud empori*um* in campo hostium pro moene.
Bicorpores Gigantes magni*que* Atlantes.
Patrem suum supremum optu*mum* appellat.
. .. . ambo*rum* uxores.

1. Traditur *est*, idque cum praeeunte *omissa cura* conjunctum.
2. Traditur *hostium caesa*.
3. Num pronuntiandum est *aspered?*
4. Num *aureod?*
5. Num *templod?*

Ex Naevii epigrammate.

Itaque post*quam* est Orci[1] traditus thesauro.

Longa syllaba non elisa.

Sub arsi prima.

Ex vaticinio.

Tum *tu* insiste audax hostium muris.

Ex Naevii Bello Poenico.

Mul*ti* alii e Troja strenui viri.
? Cum *tu* arquitenens sagĭttis pollens Dea[na].

Sub arsi secunda.

Ex Livii Odyssea.

Topper ci*ti* ad aedis venimus Circae.

Ex Naevii Bello Poenico.

Exerci*ti* in ex- -peditionem ducit.
Honerari*ae* honustae stabant in flustris.
Flentes am*bae*, abeuntes lacrimis cum multis.
Silüico*lae* homines bellique inertes.

Sub arsi quarta.

Ex vaticinio.

? Privati uti conferant pro *se*[2] atque suis.

Sub arsi quinta.

Ex tabula Regilli.

? Inspectante ipso Antiocho, exerci*tu*[3] omni.

1. Traditur *orcho*, *orchio*.
2. Legendum videtur *sed*.
3. Num *exercitud*?

Brevis syllaba non elisa.

In his exemplis dubitari possit utrum syllaba brevis non elisa producatur necne, nos tamen etiam hic, ut supra in versibus saturniis et apud Plautum Terentiumque, putamus pro tribrachis admittendos esse dactylos :

Ex Livii Odyssea.

? Igitur de*mum*[1] ULIXI cor frixit prae pavore.

Ex Naevii Bello Poenico.

Mul*ta*[2] ALIA in isdem inserinuntur.

In reliquis exemplis brevis necessario producenda est:

Sub arsi prima.

Ex carminibus Saliorum.

? Di*vum* em pa cante, divum deo supplicate.

Ex Livii Odyssea.

At*que* escas habe[a]mus mentionem....
Par*tim* errant, nequinont Graeciam redire.

Ex Naevii Bello Poenico.

Post*quam* avem aspexit in templo Anchisa.

Sub arsi secunda.

Ex Naevii Bello Poenico.

Simul dvo*na* eorum portant ad navis;
Multa[2] ali*a* in isdem inserinuntur.

Sub arsi tertia.

Ex elogio L. Scipionis.

HEC CEPIT CORSIC*A* ALERIAQUE URBE. ..

1. Num *demus?*
2. Traditur *millia.*

Sub arsi quinta.

Ex Appii Sententiis.

? . . . . qui animi compo*tem*· esse.

Ex Livii Odyssea.

Tibi deus fer[eba]t[1] fune*ra*, Ulixes.
. . . vestis pulla, purpure*a*·, ampla.

Ex Naevii Bello Poenico.

Silŭicolae homines belli*que* inertes.

Perperam multi doctorum putaverunt theses hemistichiorum antepaenultimas perinde atque paenultimas omitti posse. Hoc si admiseris, complura hiatus exempla sustuleris, nam sic ferias licebit:

Flen|tes| am*bae* abe|untes lacrimis cum multis.
Inspectante ipso Antiocho|, ex|erci*tu*| omni.
At*que*| e|scas habeamus mentionem...
Par*tim*| er|rant, nequinont Graeciam redire.
PARENS TIMENS HEIC VOVIT|, VO*TO*| HOC SO|LUTO.

Sed illam doctrinam omnino esse rejiciendam existimo, quia absque synaloepha talia exempla non reperiuntur. Nam de sublatis thesibus paenultimis certissima sunt exempla, in quibus neque de ipsa re neque de loco dubitare licet, ut :

AETATE| QUOM| PARUA POSIDET HOC SAXSUM.
DONU DA|NUNT| HERC(O)LEI MAXSU|ME| MERETO.
Magnum stu|prum| populo fieri per gentis.
Quotannis comiter Apolli|ni| fiant.
MAGNA SAPIENTIA MULTASQUE| VIR|TUTES.
Inimicis si es commentus, nec li|bens| aeque.
Topper citi ad aedis veni|mus| Circae.

Alia sunt, in quibus primo aspectu supprimi thesin videas, tamen incertus remaneas, utrum in antepaenultima sede an in paenultima :

Tumque re|mos| jussit re[l]ligare struppis.
Tum|que| remos jussit re[l]ligare struppis.

1. Traditur *fert deus*.

Plerique o|mnes| subigunt Ple|rique| omnes subigunt	sub suum judicium.
SEMOL TE ORANT SE VOTI	|CRE|BRO CONDEMNES. CREBRO| CON|DEMNES.
HOC EST FACTUM MONUMENTUM	|MAAR|CO CAICILIO. MAARCO| CAI|CILIO.
Eorum sectam sequuntur	multi| mor|tales. |mul|ti mortales.

At numquam hoc invenitur :

Da|bunt| hoc Metelli Naevio poetae.
Dabunt malum Metelli| Gnae|vo poetae.

Praeterea animadvertendum est, ea de thesi licentia admissa minime supprimi licentiam alteram illam de hiatu in arsi ; nullo enim modo, si rejicietur hiatus, hi versus feriri poterunt :

Tum *tu* insiste audax hostium muris.
Mul*ti* alii e Troja strenui viri.
Honerari*ae* honustae stabant in flustris.
Silüicol*ae* homines bellique inertes.
Topper ci*ti* ad aedis venimus Circae.
Post*quam* avem aspexit in templo Anchisa.
Simul dvo*na* eorum portant ad navis.

Vides igitur, ubicumque aut hiatum aut thesis antepaenultimae detractionem admittere cogaris, illum esse eligendum.

D. — Hiatus in thesi.

In tragoediis Naevius etiam post thesin hiabat, ut *Graji atque barbari.* In saturniis Naevii et aliorum fere post thesin non hiatur nisi in caesura. Sed haec consuetudo potius est quam lex, nam et extra caesuram hiatus et in caesura synaloepha reperitur.

Exempla dubia.

Hac sub inscriptione, priusquam ad exempla certiora et hiatus et synaloephae deveniamus, eos versus afferre voluimus qui pluribus modis feriri possunt.

Hiatus in caesura.

Ex vaticinio.

Qui jus populo plebei*que* [is] dabit summum.

Ex elogiis Scipionum.

Subigit omne Louca*nam* opsidesque abdoucit.

Annos gnatus vigin*ti* is loceis mandatus.

Ex tabula Regilli.

Equitatu elephantisque *cum* omnibus sociis[1].

Ex tabula Mummii.

Ductu auspicio imperio*que* ejus Achaja capta.

Ex Livii Odyssea.

Argenteo polu*bro*[2] aureo et glutro.
Tuque mihi narra*to*[3] omnia disertim.
Mea puer, quid ver*bi* ex tuo ore......

Ex Naevii Bello Poenico.

Ibi foras cum au*ro*[4] illi[n]c exibant.
Censet eo ventu*rum* obviam Poenum.
[Ut] septimum decimum an*num* ilico sed[er]ent.
Ei venit in men*tem* hominum fortunas.
Apud emporium in cam*po*[5], hostium pro moene.
Irque[6] su*sum* ad caelum sustulit suum rex[7].

Synaloepha in caesura.

Ex Appii Sententiis.

..... *qui* animi compotem esse.

1. Verba *cum omnibus sociis* apud T. Livium alieno loco sunt posita.
2. Num *polubrod?*
3. Num *narratod?*
4. Num *aurod?*
5. Num *campod?*
6. Traditur *isque*.
7. Traditur *suas res*.

Hiatus extra caesuram.

Ex vaticinio.

Tum tu insi*ste* audax hostium muris.

Ex tabula Regilli.

Ductu[1] auspicio imperio felicita*te* [2] ejus.
Equita*tu* [3] elephantisque cum omnibus sociis.

Ex Livii Odyssea.

Simul ac lacrimas *de* ore noegeo detersit.
...... topper confringent inportu*nae* undae.

Ex Naevii Bello Poenico.

Ibi foras *cum* auro illi[n]c exibant.
Pleri*que* omnes subigunt sub suum judicium.

Synaloepha extra caesuram.

Exempla dubia vide supra, p. 63-64.

Exempla certiora.

Hiatus in caesura.

Ex carmine Arvalium.

SEMUNIS ALTER*nei* ADVOCAPIT CONCTOS.

Ex vaticiniis.

Campum, milliaque mul*ta*[4] occisa tua.

Sacraque patria, quo*rum* ob cura missa[5].

Ex titulo Quinctii.

? Jovis pater[6] atque di*vi* omnes hoc dederunt

1. *Ductuque* apud T. Livium post *felicitate* positum.
2. Num *felicitated?*
3. Num *equitatud?*
4. Traditur *multaque millia*.
5. Traditur *omissa cura*.
6. Traditur *Juppiter*.

Ex Livii Odyssea.

Virum mihi, Cam*ena*, insece versutum.
Me carpento vehen*te* in[1] domum venisse.

Ex Naevii Bello Poenico.

Patrem suum supre*mum* optumum appellat.
Quam cum stupro red*ire* ad suos popularis.
Multa[2] alia in is*dem* inserinuntur.

Synaloepha in caesura.

Ex vaticinio.

Decemviri graeco ri*tu* hostiis[3] faciant.

Ex tabula Regilli.

Inspectante ipso Antio*cho*, exercitu omni.

Ex tabula Gracchi.

In ea provincia cae*sa* hostium[4] aut capta.
? Supra octoginta mili*a*.....
? Re felicissime ge*sta*.....

Ex Naevii Bello Poenico.

Sacra in mensa Penat*ium*[5] ordine ponuntur.
Exercitu(s) insulam inte*gram* urit, populat[6], vastat.

Hiatus extra caesuram.

Ex elogio L. Scipionis.

DVONO*RO* OPTUMO FUISE VIRO.

Ex dedicatione Vertulejorum.

PARENS TIMENS HEIC VOVIT, VO*TO* HOC SOLUTO.

Ex Livii Odyssea.

Celsosque ocris arüaque putri*a* et mare magnum.

1. Traditur *vehementem domum.*
2. Traditur *millia.*
3. Traditur *hostiis sacra faciant.*
4. Traditur *hostium caesa.*
5. Sunt qui *Penatum* emendare volunt.
6. Traditur *populatur.*

Ex Naevii Bello Poenico.

Rem hostium concinnat.....

Hiatus monosyllabi, ut *Rem hostium*, nihil difficultatis movet, nam apud Plautum sine ulla controversia frequens est. In *voto hoc soluto* non prorsus certum est hiari, nam fortasse poeta *votod* pronuntiabat, vel vetustius carmen exscribebat, in quo *votod* erat positum. Majoris igitur momenti est exemplum *putria et*. Hic hiatur, si verum est quod vulgo admittunt, priscis temporibus consonantes *tr*, *cr*, *br* aliasque ejus modi praeeuntes syllabas nondum positione longas efficere. Contra disseruit Theodorus Korsch (De versu saturnio p. 86 ss.) : sed in omnibus nugatur, nisi quod hos duos Plauti versus laudat, Rud. 4,5,18 « Sunt domi agni et porci *săcres,* sed quid istum remoramini », Truc. 2,2,39 « Buccas *rūbrica,* creta omne corpus intinxti tibi. » Sed *rūbrica* primam natura longam habet ut *rubidus, rubigo, rufus ;* nam ab origine diphthongus fuit ut in ἐρεύθω, ἔρευθος atque in sanscritico adjectivo *rōhitas* (ruber)[1] ; *sacres* autem potius *puros* significare videtur quam *sacros ;* itaque omnino nescimus utrum *a* productum sit necne. Ergo tribrachus *pŭtria*, non trochaeus *pūtri(a)* admittendus est.

Certissimum, sed in alio versus genere, exemplum est hiatus *dvonoro optumo*.

Synaloepha extra caesuram.

Ex carminibus Saliorum.

? Div*um* em pa|trem| cante, divum deo supplicate.

Ex vaticiniis.

Amnem, Trojugena, fuge Cannam, ne *te* alienigenae.
Ex terra frugifera; piscibus a*tque* avibus,
Ferisque *quae* incolunt terras, iis fuat esca
Caro tua, nam mi*hi* ita Juppiter fatust.

1. Contra vocalem *u* correptam habes in *ruber*, ἐρυθρός, *rudhiras*.

Hostem, Romani, *si* ex agro[1] pellere vultis.
Priva*ti* uti conferant pro se atque suis.
Fietque res[2] melior, *nam* is divus exstinguet.

Roma*ne*, a*quam* Albanam cave lacu contineri,
Ca*ve* in mare manare suo flumine siris[3].
Ma*nu* emissam per agros rigabis...
Do*num* amplum victor ad mea templa portato.

Ex elogiis Scipionum.

SUBIGIT OMNE LOUCANAM OPSIDES*que* ABDOUCIT.

Quei APICE INSIGNE DIALIS FLAMINIS GESISTEI,
MORS PERFECIT TU*a* UT ESSENT OMNIA BREVIA,
HONOS, FAMA VIRTUSQUE, GLORI*a* AT*que* INGENIUM;
QUIBUS *sei* IN LONGA LICUISET TI*be* UTIER VITA.
QUA RE LUBENS *te* IN GREMIU, SCIPIO, RECIPIT.

Ex titulo Caecilii.

HOSPES, GRA*tum* EST, *quom* APUD MEAS RESTITISTEI SEEDES.

Ex tabula Regilli.

Inspectan*te* i*pso* Antiocho, exercitu omni.
Ibi*que* eo die naves longae.....
Caput patrandae pacis haec pu*gna* exeunti.
Ejus re*i* er*go* aedem Laribus Permarinis vovit.

Ex tabula Gracchi.

[Du*ctu*], imperi*o* auspicioque legi*o* exercitusque.
Su*pra* octoginta milia.....
Cujus re*i* erg*o* hanc tabulam Jovi dedit donum[4].

Ex tabula Mummii.

Du*ctu*, AUSPICI*o* IMPERIOQUE EJUS ACHAJA CAPTA.
HANC AE*dem* ET SI*gnu* HERCLIS[5] VICTORIS IMPERATOR.

Ex dedicatione Vertulejorum.

SEMOL *te* ORANT, SE VOTI CREBRO CONDEMNES.

Ex Appii Sententiis.

? Inimicis *si* es[6] commentus, nec libens aeque.

1. T. Livius *expellere*, Macrobius *ex agro expellere*.
2. T. Livius *res vestra m.*, Macrobius *res publica m.*
3. Traditur *sinas*.
4. Traditur *donum Jovi dedit*.
5. Lapis *Herculis*.
6. Num *si 's?*

Ex Livii Odyssea.

Mea puer, quid verbi ex tu*o* ore....?
Neque enim *te* oblitus sum, Laertie noster.
?Quando dies adveniet, quem profata Mor*ta* [1] est.
Celsos*que* ocris arüaque putria et mare magnum.
Nexabant mul*ta* inter se flexu nodum [2] dubio.
... Mercurius cum*que* eo filius Latonas.
?...vecor*de* et malefica vacerra.

Ex Naevii Bello Poenico.

Blan*de* et docte percontat, Aenes quo pacto
Tro*jam* urbem liquerit.......
Jam*que* ejus mentem fortuna fecerat quietem.
Sa*cra* in mensa Penatium ordine ponuntur.
Exerci*tu*(*s*) insu*lam* integram urit, populat[3], vastat.
[Ut] septimum deci*mum* annum ilico sed[er]ent.
? ... *que* ex auro vestemque citrosam.
?Noctu Tro*jad*[4] exibant capitibus opertis.
Sese*que* ii perire mavolunt ibidem.
Cum *tu* arquitenens sagittis pollens Dea[na].
De*um* adlocutus summi deum regis fratrem.

Ex carmine incerto.

Cum victor Lemno classem Dori*cam* appulisset.

§ 3. — De concursu vocalium in mediis vocibus.

A. — De priore vocali modo correpta modo producta.

Apud veteres Latinos multae vocales ante alias vocales positae longae erant, quas posterior aetas corripuit. *Fīeri* dicebatur ut *fīo* : Plaut. Rud. 3,1,14 Atque illa animo jam *fieri* ferocior. Poen. 3,5,43 Consulto hoc factum est mihi ut insidiae *fierent*. Bacch. 2,3,65 auro insidias *fieri*. Trin. 2,4,131 Si in obserendo possint *interfieri*. Captivi 4,2,63 ignem ingentem *fieri*. 5,4,1 Vidi ego

1. Num *Morta 'st?*
2. Traditur *nodorum*.
3. Traditur *populatur*.
4. Traditur *Trojade*.

multa saepe picta quae Acherunti *fierent*. Bacch. 4,6,18 Orabat quod istic esset scriptum ut *fieret*. Trin. 3,2,18 Atque honori posterorum tuorum ut vindex *fieres*. Cas. 4,1,2 Neque usquam ludos tam festivos *fieri*. Amph. 1,2,25 Pater curavit uno ut fetu *fieret*. Stich. 4,1,58 Quia nequit, qua lege licuit velle dixit *fieri*. Amph. 2,1,17 Vidit nec potest *fieri* tempore uno. 2,1,40 Nunc venis etiam ultro inrisum dominum, quae neque *fieri*. 2,2,70 Etiam tu quoque adsentiaris huic[e]. Quid vis *fieri?*[1].

Itidem *fūī*[2]. Ennius apud Ciceronem de Or. 3,42,168 Nos sumus Romani qui *fuimus* ante Rudini. Id. apud A. Gellium 12,4,4 Partem *fuisset* de summis rebus regundis. Plautus, Poenulus, prolog. 110 Quo genere gnata qui parentes *fuerint*. Asin. 4,1,37 Deum nullum si magis religiosa *fuerit*. Capt. 2,2,12 Captus est? Ita. Non igitur nos soli ignavi *fuimus*. Mil. gl. 4,8,11 Cogitato identidem tibi quam fidelis *fuerim*[3]. Inde *fuueit* (id est *fūīt*) C. I. L. I, 1051. Similiter *adfuissemus* Lucilius apud Julium Rufinianum 31 (Halm, Rhetores latini minores p. 46). — Sic *lūi* et *plūi* Varro, De lingua latina 9,104 Mueller. *Erūi*, *argūi* Priscianus 10,2,12; *Adnūit* sese mecum decernere ferro, Ennius apud Prisc. ibid.[4]. Item *rĕi* ex *rēi* factum est, *ĭi* ex **īi*, *īvi*; *allŭo* ex **lūo*, graece λούω; *dĕus* fortasse ex **dīus*, *dīvus*, sanscritice *dēvas*. *Denŭo* autem ex **denūo*, **de neuo*; nomen enim adjectivum *novus* pro **nevos*, **neuos* est, graece νέος pro νέϝος, sanscr. *navas*, cum quibus formis haec jungendae sunt, *nunc*, *nūper*, *nŭdius*[5], νυ, νῦν, νυνι, sanscr. *nŭ*, *nū*, *nūnam* (nunc). *Tŭus* pariter pro *tūos*, **teuos*, graece τεός (sanscritice *tava* genetivus est, non possessivus);

1. Alia exempla quaere apud Neue, *Formenlehre der lateinischen Sprache, Zweite Ausgabe* II p. 611. Res nota Donato ad Terent. Ad. 1,2,26.

2. Vide C. F. Guilelmi Mueller *Nachtraege zur plautin. Prosodie* p. 84.

3. « Sisenna in Rudente sic : *Fuit* extendit primam syllabam metri gratia. » Rufinus in Henrici Keil *Grammaticis latinis* VI p. 561,3.

4. Alia quaere apud Neue II p. 497 ss.

5. Vereor ut recte *nŭdius* scriptum sit in Ludovici Quicherat *Thesauro poetico linguæ latinæ*.

suus pro *sūos*, **seuos*, graece ἑός; quare etiam *sŭus* per *ou* scribitur C. I. L. I, 1007 et *suis* monosyllabum per *ouei* ibid. 1297, ut *tibĭ*, *sibĭ* per *ei* 542. 1453. 38. 1008; etiam *suuo* reperitur ibid. 1242.

Nihil igitur erat cur in saturniis *fīeri, fūit, fūisse* non post alios admitterem. Majoris audaciae fuit in vaticiniis duos versus ita scribere ut voces *tūa, sūis* ultimum trochaeum efficerent; hoc tamen et veriloquii causa legitimum visum est et in altero saltem exemplo sensus ita versiculos sponte distinguebat ut vix dubitarem. Neque haerere in hoc debebam, quod alibi *tuus*, *suus* aut priorem corripiunt aut syllabas contrahunt; nam apud Plautum promiscue non modo *fīeri* et *fĭeri*, verum etiam *fūi* et *fŭi* vel *fvi* reperiuntur. Trin. 4,3,83 Propter eosdem quorum causa *fui* hac aetate exercitus. Mil. gl. 4,6,11 Namque edepol vix *fuit* copia adeundi atque impetrandi. Rud. 1,1,4 Non ventus *fuit* verum Alcumena Euripidi. Curc. 2, 3,71 Vocat me ad cenam, religio *fuit*, denegare nolui. Captivi 3,4,94 *Fuistin* liber? Fui. Enimvero non fuit, nugas agit. Qui tu scis, an tu fortasse *fuisti* meae matri obstetrix? Rudens 2,6,20 Ubi perdidi etiam plus boni quam mihi *fŭit*. Trin. 1,2,69 *Fuit*ne hic tibi amicus Charmides? Est et *fŭit*. 138 Utrum indicare me ei thesaurum aequum *fŭit?* — In uno exemplo ex Naevii carmine petito *pūer* cum fiducia scripsi: nam aegre persuaderer hemistichium *Proserpina puer* aliter feriri debere atque *pari*[s]*suma fuit*[1].

1. Non ausus sum legere sic versum ex Naevii Bello Poenico:

Nam divina Monetas filia *docŭit*.

Nam idem Naevius videtur scripsisse:

Summe deum regnator, quianam [me] *genŭisti*

habemusque in elogio P. Scipionis:

QUIBUS SEI IN LONGA *licŭiset* TIBE UTIER VITA.

Quin posui ex conjectura in carmine fratrum Arvalium:

NE *volŭeris*, MARMARS, INCURRERE IN PLEORIS.

Somnia enim sunt quae vulgo dicunt de origine harum formarum, neque in iis *fui* latere potest. Potius crediderim unam eamdemque vocalem, eamque

Lucius, *Luciom* in Scipionum elogiis pro molossis esse jam diu comprobatum est. Prisca igitur aetate longa fuit *i* in *Lucius* sicut in *Lucīlius*; at, puto, brevis in *Quinctius*[1] sicut in *Quinctilius*; quod si falsum non est, ex nominibus gentiliciis derivatis in *-ilius* (vel *-idius*) discere est, quae pristina fuerit prosodia nominum in *-ius* desinentium (*Servīus* ergo ut *Servīlius, Sextĭus* ut *Sextĭlius*, *Fufĭus* ut *Fufĭdius*). Observavit Buecheler apud Latinos saepe gentilicia per *i* longam scribi, apud Oscos *Kluvatiium* apudque Umbros *Kluviier* *i* geminam habere, recteque suspicatus est haec esse veteris prosodiae vestigia[2]. Fortasse nomina quaedam in veteribus lapidibus servata, cum in EIVS desinant, EI pro *ī* accepto sunt pronuntianda[3]. — Quia duae terminationes *-īus* et *-ĭus* fuerunt, duplex fuit quoque exitus vocativo; nam, puto, vetustissimi Romani sic declinare consueverant, *Romolos Romolĭ*, *Leucetīos Leucetīī*, *Leucīos Leucīī;* postea pro *Romolĭ*

brevem, in *ŭ* et *ĭ* abiisse in *genui* et *genitus*, *licuit* et *licitus*. — Ubicumque tamen etymologia incerta est neque ipse versus certam prosodiam requirit, cavendum est ne nimia fiducia posterioris aetatis pronuntiationem admittamus. Nam revera nescimus num Livius scribere non potuisset :

. . . . cum *socīos* nostros,

auctorque tabulae Regillanae :

Equitatu elephantisque cum omnibus *socīis*,

et Naevius :

. . . . Manius *Valerīus* consul partem.

Productionem mediae syllabae in *socius* minime mirarer; quae vox cognata videtur esse sanscritico nomini *sakhā*, accus. *sakhāyam*, vocat. *sakhē*, olimque debuit continere diphthongum.

1. Non ergo in titulo T. Quinctii sic legendum est :

U|t[i] Ti|tus Quin|ctius| dicta|tor...

2. *Oskische Bleitafel*. Frankfurt a. M. 1877. P. 50.

3. At prorsus errare videtur Ritschelius (Opusc. IV p. 260 ss.) ubi putat *ius* et *eius* in innumeris exemplis ejusdem terminationis formas duas esse. Scilicet tres distinctae sunt terminationes (quas si quis rei orthographicae et phoneticae probe peritus in libello peculiari sejungere aggredietur, historiam nonnihil adjuvabit), *īus* ut in *Lucius*, *ĭus* ut in *Quinctius*, *ējus* ut in *Pompejus* (Πομπήϊος). Tertia per geminam *i* consonantem pronuntiari debet, ut *ajo*, *Maja*, *ejus*, *cujus;* e natura longam habet; *-ējjus* autem ex *-ēdius* factum est ut *ajjo* ex **agio*, *majjor* ex **magior*, *mejjo* ex **megio*, *pejjor* ex **pedior* (cf. *pessimus* pro **pedsimus*).

Romulĕ dictum est (ut *capĕ* pro *capĭ*, *cubilĕ* pro **cubilĭ*); *Leucetĭĕ*, quod in saliari carmine habemus, pro *Leucetĭĭ; Lucī* pro *Leucĭĭ;* ubi autem *i* produci desita est in nominativo *Lucius*, vulgo propter analogiam inceperunt dicere *Luceti* pro *Leucetie, fili* pro *filie*. Eodem discrimen genetivorum in -*ī* et -*ĭī* refero[1]. At *mi* vocativus, nisi fallor, demonstrat olim dictum esse *mīus*, ut *tūus* et *sūus*.

In versu quodam carminis saliaris malui pro *prae* scribere *prāï* (ut sunt veteres genetivi primae declinationis in -*āï*) quam particulam nescio quam addere vel thesin hemistichii antepaenultimam sublatam credere.

Jam sequuntur exempla vocalis ante vocalem productae. *Fīant* et *Dēana* vel *Dīana*, quamvis etiam augustea aetate usitata, non segregavi a similibus vocibus.

Ex carminibus Saliorum.

Cume tonas, Leucetie, *praï*[2] tet tremonti,

Ex vaticiniis.

Campum, milliaque multa[3] occisa *tua*.

Quotannis comiter Apollini *fiant*.
Privati uti conferant pro se atque *suis*.

? Cave ĭn mare manare *suo* flumine siris[4].

Ex elogio Calatini.

Populi primarium *fuisse* virum.

Ex elogiis Scipionum.

DVONORO OPTUMO *fuise* VIRO.
Luciom SCIPIONE FILIOS BARBATI.

CORNELIUS *Lucius* SCIPIO BARBATUS.
QUOJUS FORMA VIRTUTEI PARISUMA *fuit*.

1. Hodie enim spernenda sunt inventa grammaticorum, qui *ie* et *ii* in adjectivis, *i* in substantivis adhiberi contendunt. — *Romule dīĕ* apud Ennium graecum est, haud aliter quam *Mctioeo Fufetioeo*.

2. Traditur *prae*.

3. Traditur *multaque millia*.

4. Traditur *sinas*.

Ex Appii Sententiis.

? Faber est [ipse] *suae* quisque fortunae.

Ex Naevii Bello Poenico.

Prima incedit Cereris Proserpina *puer*.
Cum tu arquitenens sagittis pollens *Dea*[*na*].
Magnum stuprum populo *fieri* per gentis.

Prorsus incertum est, quo modo *rei* efferri debeat in tabulis triumphalibus Regilli et Gracchi :

Ejus *rei* ergo aedem Laribus Permarinis vovit.
Cujus *rei* ergo hanc tabulam Jovi dedit donum.

Fortasse *pīa* legendum est in titulo C. I. L. I, 1080. Sic cum diphthongo umbrice *peihaner* (piandi), osce *peíhioí* (pio).

Quarti pedis cum thesis fere brevis sit (nisi ubi quinti thesis supprimitur), hi versus sic legendi sunt :

Ex vaticinio.

Ferisque quae incolunt terras, *ĭis* fuat esca.

Ex elogiis Scipionum.

LUCIOM SCIPIONE *filĭos* BARBATI.
CONSOL, CENSOR, AIDILIS HIC *fŭet* A[PUD VOS]

CORNELIUS LUCIUS *Scipĭo* BARBATUS.
CONSOL, CENSOR, AIDILIS QUEI *fŭit* APUD VOS.

HONOS, FAMA VIRTUSQUE, *glorĭa* ATQUE INGENIUM.
FACILE FACTEIS SUPERASES *glorĭam* MAJORUM.
TERRA, PUBLI, PROGNATUM *Publĭo*, CORNELI.

Ex elogio incerto.

Summas opes qui regum *regĭas* refregit.

Ex titulo Caecilii.

BENE REM GERAS ET VALEAS, *dormĭas* SINE QURA.

Ex Livii Odyssea.

Tuque mihi narrato *omnĭa* disertim.
Atque escas habe[a]mus *mentĭonem*.....

Partim errant, nequinont *Graecĭam* redire.
Apud nympham Atlantis *filĭam* Calypsonem.
Simul ac lacrimas de ore *noegĕo* detersit.
... Mercurius cumque eo *filius* Latonas.
Topper facit homines ut [*p*]*rĭus* fuerunt (*num* fŭerunt?)

Ex Livii carmine in Junonem reginam.

Sancta puer, Saturni *filĭa*, regina.

Ex Naevii Bello Poenico.

Exerciti in *ex- -peditĭonem* ducit.
Sanctus Jove prognatus *Putĭus* Apollo.
..... simul *atrocĭa* porricerent.
Plerique omnes subigunt sub *sŭum* judicium.
Ferunt pulcras creterras *aurĕas* lepistas.
Novem Jovis concordes *filĭae* sorores.
Quam cum stupro redire ad *sŭos* popularis.
Apud emporium in campo, *hostĭum* pro moene.

Ex Naevii epigrammate.

Flerent divae Camenae *Naevĭum* poetam.

Versus Metellorum.

Dabunt malum Metelli *Naevĭo* poetae.

In solutis arsibus invenimus *Leucetĭe*, GREMĬU[M], VALĔAS, *imperĭo*, *advenĭet*, *advenĭens*, *arŭaque*, *Purpurĕus*, *facĭant*, INGENĬUM, *redĭ*[*i*]*t*, *miserĭas*, *dubĭo*, *auspicĭum*, *millĭaque*, *alĭenigenae*, *Sicilĭenses*, *patrĭae*, *Dĭomedis*, *legĭo*, *pŭtrĭa*[1], *quĭanam*, in solutis thesibus *loquĭer*, *facĭendis*, *licŭiset*, IMPERĬO, AUSPICĬO, *habĕ*[*a*]*mus*, *pĭĕtati*, *abĕuntes*, *alĭus alĭunde*, *facĭet*, SAPĬENS, *legĭones*, *genŭisti*, *grandĭa*, SAPĬENTIA, *statŭam*, *reconcilĭat*, *Antĭochus*, *Sardinĭam*, REDĬEIT. Praeterea vide proximam tabulam (p. 80-81).

B. — De synizesi.

Voces, quales *eo*, *meam*, *tuas* sunt, in poesi vetere saepe unius pedis aut thesin aut arsin efficiunt. Plerumque discerni nequit utrum altera syllaba corripiatur, ut in

1. Etiam qui primam in hac voce syllabam producunt, *i* propter quae modo p. 78-79 dicta sunt debent corripere.

abi, an ambae coeant, ut in *eorumdem* ab Ennio pro molosso posito, vel in Terentii *ais* monosyllabo (supra p. 32). Similiter *duellum*, ubi *u* vocalis est, anapaestum efficere potest ut *senectus*, aut spondeum ut *eorum*, quod Cn. Naevius in saturnio versu disyllabum fecit. Qui talium vocum exempla ex Plauto petita cupiet, quaerito in C. F. Guilelmi Mueller *Plautinische Prosodie*; exempla ex saturniis non credo alia esse atque haec[1], in quibus de solius *eorum* pronuntiatione constat :

Ex carminibus Saliorum.

Divum em pa cante, divum *deo* supplicate.

Ex vaticiniis.

Ferisque quae incolunt terras, iis *fuat* esca.

Ne ninculus mederi *queat*.....

Cave in mare manare *suo* flumine siris.
Ex *ea* tibi, his quae nunc panduntur fatis.
Donum amplum victor ad *mea* templa portato.

Ex elogio Africani.

Quantam columnam, quae res *tuas* gestas loquatur?

Ex titulo Caecilii.

HOSPES, GRATUM EST QUOM APUD *meas* RESTITISTEI SEEDES.

Ex tabula Regilli.

Ea pugna pugnata rex Antiochus regnumque.
Duello magno dirimendo, regibus subigendis.

Ex Livii Odyssea.

Quae haec daps est, qui festus *dies*?....
[Venit] Mercurius cumque *eo* filius Latonas.

Ex Naevii Bello Poenico.

Eorum sectam sequuntur multi mortales.
?.............. *eam* carnem.
Quod bruti nec satis sardare *queunt*.....
Conferre *queant* ratem aeratam qui peritet,

1. Non recte enim Buecheler, caesurae Korschianae (infra I, II, 4) aut ignarus aut immemor, sic versum ex elogio P. Scipionis dimetitur :

Quei apice| in|signe| *dialis*| flami|nis ge|sistei|.

? Qui *diu*[1] mare sudantes *eunt* atque sedentes.
Deum adlocutus, summi *deum* regis fratrem.

C. — De *u* modo vocali modo consonante.

Aetate prisca vocales adhuc pronuntiabantur, quae postea consonantes factae sunt : *düellum* dicebatur ut *düo*, unde *dvellum*, post *bellum*; sic fortasse etiam *düonus* ante *dvonus* et *bonus*.

Exempla ex saturniis nostris :

Ex vaticiniis.

? Vestros qui campos pascunt placide *perdvelles*[2].

? Quamvis moventium *dvonum* (vel *düonum*) negumate.

? Victoriam datam, *düello*[3] perfecto.

Ex elogio L. Scipionis, Barbati f.

Dvonoro (vel *düonoro*) OPTUMO FUISE VIRO.

Ex tabula Regilli.

Dvello (vel *Düëllo*) magno dirimendo, regibus subigendis.

Ex Naevii Bello Poenico.

Silüicolae homines *dvellique* (vel *düellique*[4]) inertes.
Simul *dvona* (vel *düona*) eorum portant ad navis.

U littera post liquidam *r* vel *l* vocalis erat : *lārüa, mīlüus*, *sĭlüa*, *sŏlüo*, *vŏlüo*. Quod posteriores *larva*, *milvus*, *silva*, *solvo*, *volvo* dixerunt, similiter egerunt atque Itali hodierni, qui *belva* (belua), *parve* (paruit) pronuntiant. In

1. Traditur *dum*.

2. Traditur *perduelles uestros qui uestros campos pascunt placide*.

3. Traditur *bello*.

4. Traditur *bellique*.

nostris saturniis invenimus *sĭlŭicolae*, *ărŭaque*[1]; nusquam *lv* aut *rv* dicere cogimur, nam *parŭa* si trisyllabum est *a* corripit ut *parum*, *salŭom* ut *salus*. *Pulŭis*, puto, primam correptam habebat, sed hic etiam *pūlŭis* recipi posset. Haec sunt exempla, quibus addi oportet vocem ex carminibus Saliorum desumptam *promeneruat*:

Ex elogio L. Scipionis Cn. f. Cn. n.

AETATE QUOM *parva* (vel melius *parŭa*) POSIDET HOC SAXSUM.

Ex tabula Gracchi.

Exercitum... *salvomque* (vel melius *salŭomque*) atque incolumem.

Ex Livii Odyssea.

Celsosque ocris *arŭaque* putria et mare magnum.

Ex Naevii Bello Poenico.

Silŭicolae homines bellique inertes.
Vicissatim *volvi* (vel melius *volŭi*) victoriam........

Ex carmine rusticorum.

Hiberno *pulvere* (vel melius *pulŭere*) verno luto grandia farra.

Ubicumque de sono dubitari potest, vocalem suaserim efferre potius quam consonantem. Nam apud Plautum fere *mīlŭus*, *lārŭa* (itidem *rĕlĭcŭus*) metrum requirit, numquam *milvus*, *larva* (neque magis *reliqvus*); inter *silva* et *sĭlŭa*, *volverim* et *vŏlŭerim*, *salvos* et *sălŭos* plerumque distingui nequit (nos igitur homines hodierni cum Plauti vel ejus aequalium verba laudamus sine jure *u* consonantem in his vocibus consuevimus ponere); atque etiam in talibus nonnumquam *u* vocalis locum pro corrupto habitum sanat, ut hemistichium *dicere salŭae sient* (supra p. 52 in adnot.). Equidem non mirer, si quis demonstret in antiquissimo

1. *A* in *arvum* corripienda est, quamquam *arvalis* cum apice scriptum invenimus C.I.L. vi, 913, atque *ambarvalia* dicitur, non **ambervalia*. Nam *ărŭus* adjectivum sine dubitatione ulla factum est ab *ărare* ut *pascŭus* a *pascere;* quae vox neque propter jocum *ārvus* neque propter metrum *ārŭus* pronuntiari potest in versu Plautinae Truculenti 1,2,47 : *Non aruus hic sed pascuust* (codices *pascus est*) *ager si arationes*.

Latinorum sermone (praeter in compositis, qualia sunt *inter-venio*, *super-venio*) numquam *lv*, *rv* pronuntiatum esse.

§ 1. — De epenthesi et syncopa.

Huc pertinent hi versus :

Ex vaticiniis.

Sed neque credes tu mihi donec *compleris* sangui.

Cave in mare manare suo flumine *siris*[1].

Ex tabula Mummii.

OB HASCE RES BENE GESTAS QUOD IN BELLO *vorat*[2],

HANC AEDEM ET SIGNU *Herclis*[3] VICTORIS IMPERATOR.

Ex dedicatione Vertulejorum.

DONU DANUNT *Herclei*[4] MAXSUME MERETO.

Ex Appii Sententiis.

Amicum cum vides, *obliscere*[5] miserias.

Ex Livii Odyssea.

Ibidemque vir summus, adprimus, *Patricoles*[6].

De syncopa in *compleris*, *siris*, *vorat*, *obliscere* nihil opus est dicere.

Ἡρακλῆς latine abiit in *Herec[o]les Herc[o]les*, ut Ἀσκλήπιος in *Aesc[u]lapius* ; vocalis insiticia rursus abjecta est in *hercle* ut vocalis vetus in *circlus*, accusativumque *Herclem* in exitu hexametri Enniani habes apud Gellium 13,23,18: ergo in *Herclis*, *Herclei* pro HERCULIS, HERCOLEI non est cur haereas. HERCLI praeterea exstat in lapide, C. I. L. v,2, 5498.

In versu Livii Andronici *Pătrŏclus* servari posset thesi paenultima sublata (ea autem aetate *Patrōclus* admitti ne-

1. Traditur *sinas*.
2. Lapis *voverat*.
3. Lapis *Herculis*.
4. Lapis *Hercolei*.
5. Traditur *obliviscere*.
6. Traditur *Patroclus*.

quit, quod volebat Korschius), nisi cum Bergkio scribendum esset *Patricoles*; de hac forma vide Ritschelii Opuscula II p. 476. Epentheses reliquae, de quibus Ritschelius in eodem libro agit, ut *drach*[*u*]*ma*, *tech*[*i*]*na*, *m*[*i*]*na*, in saturniis superstitibus non reperiuntur. Ne in elogio P. Scipionis Africani majoris Ennio attributo *colum*[*i*]*nam* pro *columnam* legere velis, admonet versus ex carmine incerto:

Cum victor *Lemno* classem Doricam appulisset.

Nam *Lēm*[*i*]*no* admitti non potest. Itidem apud Livium noli legere

Apud nympham *At*[o]*lantis* filiam Calypsonem,

aut apud Cn. Naevium

Bicorpores Gigantes magnique *At*[*o*]*lantes*;

nam Plautus dixit sine vocali inter *t*[1] et *l* *ā*tletice (Bacch. 2,3,14; Epid. 1,1,20). Apud Livium in

Mandisset impius *Cyclops*...........

nihil refert utrum scribas *Cuclops* an *Cuc*[*o*]*lops* vel *Cuc*[*u*]*lops* (etiam possis *Cocles* et *Cocules*). In ejusdem versu

Carnis vinumque quod libabant *anclabatur*,

anc[*u*]*labatur* scribi nequit[2]. Si *poplo* legeres, claudicaret hic versus ex Cn. Naevii Bello Poenico:

Magnum stuprum *populo* fieri per gentis;

contra versus Ennio attributus de Scipione Africano majore optime sic procedet, cum fere purus sit quartus trochaeus:

Quantam columnam faciet [tibi] *poplus* romanus?

1. Satis enim notum est, tempore Plauti pro θ, φ, χ semper *t*, *p*, *c* scriptum et pronuntiatum esse. Vide quae dicuntur infra II, I, 1 ad titulum Mummii.

2 Contra inserendum est *u*, si cum Hermanno sic versus discerpseris:

. . . . carnis autem
Vinumque quod libabant *anc*[*u*]*labatur*.

Temp[*u*]*la* in uno ex vaticiniis a T. Livio servatis legere suadet Hermann, Epitome doctrinae metricae ed. alt. p. 222, quod satis probabile videtur :

Donum amplum' victor ad mea *tempula* portato.

Maxima cum dubitatione infra (Part. II lib. I § 6) locuturi sumus de versu Naevii sic fortasse scribendo :

Transit Melitam Romanus, insulam *integ*[*e*]*ram*.

Ultimum versum in dedicatione Vertulejorum sic efferre jubebat Korschius, cui nos in hoc aegre assentiremur :

SEMOL TE ORANT, SE VOTI *creb*[*e*]*ro* CONDEMNES.

§ 5. — De voce VIR.

In carmine Cn. Naevii de Bello Poenico duo versus reperiuntur, ubi *viri*, *viros* priorem syllabam producunt, quod Theodorus Korsch agnovit :

Multi alii e Troja strenui *viri*.
Sin illos deserant fortissimos *viros*.

Nam male in altero *virorum* pro *viros* emendatum est. *Vir* enim respondet sanscritico *vīras*, lithuanico *vyras*, quae ab Ario-Europaeis dictum esse *wīros* demonstrant. Ita demum intellegitur cur latine *viri*, non **veri* dicatur; nam *i* correpta ante *r* posita in *e* fere abit (sic leg*i*tur et leg*e*re, cap*i*tur et cap*e*re, leg*i*ssem et leg*e*ram, fal*i*scus et Fal*e*ria, s*i*-sto g*i*-gno et s*e*-*r*o pro **si-so*). Apud Umbros autem *veiro* casu accusativo plurali reperitur ; id pronuntiandum est *wīrō*[*f*].

Sane mirum est *vĭri* latine correptum esse. Sed simili modo *pejĕrare* pro *perjūrare* habemus, quod adhuc explicatione caret ; neque magis scimus cur dicatur *hūmanus* et *hŏmo*, *pūblicus* et *pŏpulus*.

§ 6. — De genetivo pronominalium.

In saturniis nostris non reperiuntur genetivi *illius, unius* et similes ; *hujus* quoque deest ; tantummodo *ejus* et *quojus* vel *cujus* habemus :

Ex elogio Barbati.

Quojus FORMA VIRTUTEI PARISUMA FUIT.

Ex tabula Regilli.

Ductu auspicio imperio felicitate *ejus*.
Ejus rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.

Ex tabula Gracchi.

Cujus rei ergo hanc tabulam Jovi dedit donum.

Ex tabula Mummii.

DUCTU AUSPICIO IMPERIOQUE *ejus* ACHAJA CAPTA.

Ex titulo Atistiae.

Quojus (corporis) RELIQUIAE QUOD SUPERANT SUNT IN HOC...

Ex Naevii Bello Poenico.

Jamque *ejus* mentem fortuna fecerat quietem.

In primo Regillanae tabulae versu *ejus* trochaeus est. Pro pyrrhichio adhibetur in Naevii versu, in versu tabulae Mummianae (nam dactylus *ejus A-* propter divisionem thesis legitimus non esset, atque in hac sede thesin plerumque singulae breves efficiunt), etiam ut videtur in ultimo versu tabulae Regillanae, sed *rei* vel *re* synaloepham pati potest, ut *ejus* spondeus vel iambus fiat. *Quojus* pro pyrrhichio est, si recte *corporis* sustuli, in titulo Atistiae. In elogio Barbati *quojus* et in tabula Gracchi *cujus*, ut libuerit, pro iambo vel pro spondeo vel (quod tamen in elogio Barbati aegre ferrem, quia sic deficeret caesura Korschiana, de qua infra I, II, 4) pro pyrrhichio accipies.

Ii genetivi pro pyrrhichiis sunt in permultis Plauti locis. Praeterea habes apud Naevium in Ribbeckii editione

altera : tragoed. 3 Omnes formidant homines *ejus* valentiam. Com. 2 *Hujus* autem gnatus dicitur geminum alterum. 109 *Cujus* facta viva nunc vigent, qui apud gentes solus praestat. Sic C. I. L. I, 1422 *Quojus* fatum acerbum populus indigne tulit.

In exemplis per codices manu scriptos servatis pro *cujus*, *ejus* disyllaba plerumque licet monosyllaba ponere *cui*, *ei*; sed in exemplis qui in lapide exstant de forma dubitari nequit. At vereor ut recte conjecerint qui formas nescio quas *quois*, *eis*, *hois* proposuerunt. Ceterum, qui de hac re plura desiderat, legat Samuel Brandt, *De varia quae est apud veteres Romanorum poetas scenicos genetivi singularis pronominum forma ac mensura*, Lipsiae, 1877.

§ 7. — De rhythmo in vocibus singulis.

Apud poetas scenicos maximi momenti est quem hic *rhythmum in vocibus singulis* nomine appellavimus. Id est, non solum curant poetae ut legitimus sit numerus legitimusque ordo syllabarum sive productarum sive correptarum, verum etiam singulas voces respiciunt, neque in unaquaque versus sede alias vocum species admittunt quam certas longo usu sollemnique observatione comprobatas. Quod etiam apud poetas dactylicos aliquando videre est, qui fere omnes in exitu versuum *tegmine fagi* vel *lentus in umbra* vel *permisit agresti* vel *albaque circum* admittunt, respuunt *nox vigilare* vel *omnes vigilare* vel *conspicitur sus*. Iidem in exitu distichi bene *omne favos* aut *respicimus* ponunt, rejiciunt *nos agimus*. In initio versus est qui *Semper praesidium*, est qui *Praesidium semper* libentius ponat. Accentus autem quia a forma specieque vocum omnino pendet, persaepe in eodem loco positus reperitur, ut leviter inspicienti proclive sit, quod alia causa effecerit, id vi accentus tribuere : quo errore tantum non tota hodie Germania deluditur atque jamdudum laborat.

Apud scenicos igitur poetas similes illis sunt de rhythmo

vocum religiones, quas vulgo (neque rectius) docti propter accentus respectum servari credunt. Exempli gratia in Terentiana Phormione vox in spondeum desinens, ut *ambobus*, *salutatum*, *faciendum*, circa centies vicies quinquies in ultima syllaba recipit arsin versus paenultimam, semel (v. 619) arsin antepaenultimam; consulto igitur poeta versu 22 in fine *faciam dicundi mihi*, non *dicundi faciam mihi* scripsit, 44 *genium compersit* non *compersit genium*, 48 *puero natalis* non *natalis puero*, 63 *fratrem majorem* non *majorem fratrem*, itidemque 65 *senibus ambobus*, 207 *tibi nunc faciendum*, 213 *dictis protelet*, 294 *timuit adulescens*, 298 *potius ducebat*, 334 *ducent damnatum*, 345 *plane praesentem*. Sed id quia consulto fecit, non ideo fecit propter accentus cum arsi consociatione, ut plerique volunt : nam cur 43 *vix de demenso suo* non *dé deménso víx suo* vel *víx deménso dé suo* scripsit? cur 130 *tánta te impendent mala* non *tánta impéndent tê mala*, 391 *néque mi cognatus fuit* non *néque cognâtus mi fuit*, 505 *út conflictares malo* non *conflictáres út malo*, 514 *hôram ne oppertus sies* non *hôram oppértus nê sies*, cur 543 *sî nil nanciscor mali* non *nîl nancíscor sî mali*, cur 935 *quîn tu mi argentum cedo* non *quîn tu argéntum mî cedo?*

Alia prorsus est observatio, sed iisdem poetis non minus usitata, ut dactylus sic informari possit, *sed tibi*, ess*et tibi*, *sed num*erus, ess*et num*erus, *advení*am, *adven*ienti, *sed quod* erat, ess*et quod* erat, non autem sic, *omnia*, prae*sentibus* et, *arma* virum, prae*sente* viro. Id est, ultima vocis alicujus syllaba solutae arsis vel thesis pars esse nequit (quod jam supra p. 54 significatum est). Ut igitur ex Phormione iterum exempla petam, in ea fabula quadragies quinquies vox in dactylum desinens synaloepham patitur, septies terminatio dactylica trochaeum et semipedem efficit, semel (vers. 1014) *haecine* ultima synaloepham patiente ictum accipit in paenultima[1], ne semel quidem terminatio

1. *Ne scio* (vers. 198) ea aetate pro duplice voce haberi debet.

dactylica, infecta synaloepha, in uno pede continetur. Haec et similia si consideraveris, facile concedes nihil in re metrica esse actum, si quis pedes syllabasque tantummodo, non voces quoque sedulo tractaverit. Atque nobis, cum ad hunc librum conficiendum informandumque judicium nostrum aliorum libros perlegeremus, maxime molestum erat quod omnes hanc partem laboris aut omnino spreverant atque neglexerant, aut singulas observationes obiter tangentes potius in mente dubitationem movebant quam certi quidquam exprimere videbantur. Itaque sub hac paragrapho voluimus rem totam ita tractare, ne umquam in futurum eadem molestia doctos afficere possit. Quod ut consequeremur, universas voces attulimus, quotquot in fragmentis nostris reperiuntur; maluimusque longitudine hujus disquisitionis pigros lectores frangere, quam labori proprio chartaeve parcere atque dimidia parte operis confecta in ipsa via consistere.

Voces igitur tractabimus primum monosyllabas, dein iambicas (vel quae pyrrhichium efficiunt), postea spondiacas (vel trochaicas), quarto loco eas quae in spondeum desinunt (vel in trochaeum), quinto anapaesticas (quaeve efficiunt tribrachum), sexto quae desinunt in anapaestum (vel tribrachum), septimo quae creticum (vel dactylum) efficiunt aut in eum pedem desinunt. Ergo prosodiam ultimae syllabae in tabulis conficiendis non curavimus; ea autem semper nomina elegimus quae in producta ultima legitima essent, *spondiacas* exempli gratia dicentes pro *spondiacis et trochaicis*. Hoc autem ideo, quia propter productionem vi arsis effectam, de qua supra in § 2 actum est, ultimae syllabae utracumque sint prosodia uno tamen eodemque modo omnes persaepe a poetis adhibentur.

A. — Voces monosyllabae.

Voces monosyllabae aut in arsi esse possunt, aut extra arsin.

α. — Voces monosyllabae in arsi.

Apud poetas scenicos voces monosyllabae persaepe arsin recipiunt. Sic Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 1 *Si* malos imitabo *tum* tu pretium *pro* noxa dabis. 3 Accensa et praeda *per* participes aequiter. 15 Mirum videtur *quod* sit factum *jam* diu. 23 Obsecro te Anciale matri *ne* quid tuae advorsus fuas. 37 *Quo* Castalia *per* struices saxeas lapsu accidit. — Naevius ibid. : trag. 1 Quod *tu* mi gnate quaeso ut *in* pectus tuum. 9 *Quin* ut quisque est meritus praesens pretium *pro* factis ferat. 17 Laetus *sum* laudari me *abs* te pater a laudato viro. 24 Vos *qui* regalis corporis custodias. 26 Ingenio arbusta nata *sunt* non obsita. — Plautus in Trinummi prologo : 4 Nunc *ne* quis erret vostrum paucis *in* viam. 13 Is *rem* paternam me adjutrice perdidit. 22 Tantum est, valete, adeste *cum* silentio. Ibid. act. 1 sc. 1 v. 4 Concastigabo *pro* conmerita noxia. 5 Invitus ni *id* me invitet *ut* faciat fides. 7 Ita plerique omnis *jam* sunt intermortui. 10 Neque quicquam hic vile *nunc* est nisi mores mali. 13 Faciunt pars hominum quam *id* quod prosint pluribus.

In versibus saturniis voces monosyllabae similiter persaepe arsin primam, secundam, quartam, quintam occupant[1] :

Ex carminibus Saliorum.

?Divum em *pa* cante, divum deo supplicate.
?Divum *em* pa[trem] cante, divum deo supplicate.
Cume tonas, Leucetie, praï *tet* tremonti.
?Quot[i] ibe *tet*...

Ex carmine Arvalium.

?NE VOLUERIS, MARMARS, INCURRERE *in* PLEORIS.
?SATUR *fu*, FERE *Mars*...

1. In tabulis infra subjectis, quo facilius sedes arsium vel thesium perspiciatur, alio paginae loco incipere jussi sunt versus in quibus considerandi sunt pedes impares, alio versus in quibus pedes pares.

Ex vaticiniis.

... deferet amnis *in* pontum magnum.
Privati uti conferant pro *se* atque suis.
Qui *jus* populo plebeique is dabit summum.
Qui jus populo plebeique *is* dabit summum.
Hoc *si* recte facitis, gaudebitis semper
Fietque *res* melior, nam is divus exstinguet.

? Cave *in* mare manare suo flumine siris.
Tum *tu* insiste audax hostium muris,
Memor, quam *per* tot annos obsides urbem.
? Sacraque patria, quorum *ob* cura missa.

Ex elogiis Scipionum.

CONSOL, CENSOR, AIDILIS *hic* FUET A[PUD VOS].

GNAIVOD PATRE PROGNATUS, FORTIS *vir* SAPIENSQUE.
CONSOL, CENSOR, AIDILIS *quei* FUIT APUD VOS.

AETATE *quom* PARUA POSIDET HOC SAXSUM.
AETATE QUOM PARUA POSIDET *hoc* SAXSUM.
QUOIEI VITA DEFECIT, *non* HONOS, HONORE.
IS *hic* SITUS QUEI NUNQUAM VICTUS *est* VIRTUTEI.
ANNOS GNATUS XX *is* LOCEIS MANDATUS.
NE QUAIRATIS HONORE *quei* MINUS SIT MANDATUS.
NE QUAIRATIS HONORE QUEI MINUS *sit* MANDATUS.

Titulus Caecilii.

HOC *est* FACTUM MONUMENTUM MAARCO CAICILIO.
HOSPES, GRATUM *est* QUOM APUD MEAS RESTITISTEI SEEDES.
BENE *rem* GERAS ET VALEAS, DORMIAS SINE QURA.

Ex titulis Eurysacis et Atistiae.

EST *hoc* MONIMENTUM...
QUOJUS RELIQUIAE QUOD SUPERANT *sunt* IN HOC...

Ex titulo Quinctii.

Jovis pater atque divi omnes *hoc* dederunt.

Ex tabula Regilli.

Caput patrandae pacis *haec* pugna exeunti.

Ex tabula Gracchi.

In ea provincia caesa hostium *aut* capta.

Ex tabula Mummii.

OB HASCE *res* BENE GESTAS, *quod* IN BELLO VOVERAT.

Ex dedicatione Vertulejorum.

QUOD, *re* SUA DIFEIDENS ASPERE AFLEICTA,
PARENS TIMENS HEIC VOVIT, VOTO *hoc* SOLUTO.

Ex Appii Sententiis.

Ne *quid* fraudis stuprique ferocia pariat.
Amicum *cum* vides, obliscere miserias,
Inimicis si *es* commentus, *nec* libens aeque.

Ex Livii Odyssea.

Mea puer, quid verbi *ex* tuo ore...
? Argenteo polubro, aureo *et* glutro.
Quae *haec* daps est? qui festus dies?...
Quae haec daps *est*? qui festus dies?...
Quando dies adveniet *quem* profata Morta est.
[Aut] in Pylum adveniens *aut* ibi ommentans.
[Aut] *in* Pylum adveniens aut ibi ommentans.
Ibidemque *vir* summus, adprimus, Patricoles.
Celsosque ocris arüaque putria *et* mare magnum.
? Me carpento vehente *in* [1] domum venisse.
Simul *ac* lacrimas de ore noegeo detersit.
Quamde mare saevum; vir[es] *et* cui sunt magnae.
Quamde mare saevum; vir[es] et cui *sunt* magnae.
Topper facit homines *ut* prius fuerunt.
? . . . . . *sic* quoque fitum est.
? Dusmo *in* loco . . .
. . . . . *cum* socios nostros.

Ex Naevii Bello Poenico.

Inerant signa expressa *quo* modo Titani.
Blande *et* docte percontat, Aenes *quo* pacto.
Postquam avem aspexit *in* templo Anchisa.
Sacra *in* mensa Penatium ordine ponuntur.
? . . . *sint* quae Lutati.
Sicilienses paciscit obsides *ut* reddant.
Honerariae honustae stabant *in* flustris.
Plerique omnes subigunt *sub* suum judicium.
Quod bruti *nec* satis sardare queunt...
Summe deum regnator, quianam [*me*] genuisti?
Flentes ambae, abeuntes lacrimis *cum* multis.
Conferre queant ratem aeratam *qui* peritet.
Quam *cum* stupro redire ad suos popularis.
Quam cum stupro redire *ad* suos popularis.

1. Traditur *vehementem domum*.

?Magnum stuprum populo fieri *per* gentis.
· Simul dvona eorum portant *ad* navis.

Ex Naevii epigrammate.

Immortales mortales *si* foret fas flere.
Obliti *sunt* Romae loquier lingua latina.

Ex Carmine Priami.

Veteres Casmenas, cascas *res*, volo profari.

Verba pontificum.

Diebus *te* quinque calo, Juno Covella.

Monosyllaba numquam sextam arsis sedem occupant (quamquam vix dubitandum est, quin si integra Livii Andronici Naeviique carmina haberemus tales exitus inveniremus versuum, *fas est*, *fas sit*); tertiam in his tantummodo exemplis:

Ex vaticiniis.

?Hostem, Romani, si *ex* agro pellere vultis.

Ex ea tibi, his *quae* nunc panduntur fatis.
Donum amplum victor *ad* mea templa portato.

Ex elogio Africani.

Quantam columnam, *quae* res tuas gestas loquatur ?

Ex Livii Odyssea.

Neque enim te oblitus *sum*, Laertie noster.
Carnis vinumque *quod* libabant anclabatur.

Ex Naevii Bello Poenico.

Exerciti in *ex-* -peditionem ducit.

Verba pontificum.

Septem diebus *te* calo, Juno Covella.

In his versibus ex vaticiniis petitis inter vocem monosyllabam et vocem insequentem hiatur :

Privati uti conferant pro *se*[1] atque suis.
Tum *tu* insiste audax hostium muris.

1. Num *sed*?

In uno versu ex Cn. Naevii Bello Poenico praepositio quae vocis compositae initium est pro monosyllabo singulari stat :

Exerciti in *ex-* -peditionem ducit.

β. — Voces monosyllabae extra arsin.

Apud poetas scenicos voces monosyllabae et in anacrusi et in reliquis thesibus stare possunt, sive synaloepham patiuntur sive ipsae pro thesi prove thesis dimidia parte numerantur. Sic Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 1 Si malos imitabo tum *tu* pretium pro noxa dabis. 3 Accensa *et* praeda per participes aequiter. 10 in sedes conlocat *se* regias. 23 Obsecro *te* Anciale matri ne *quid* tuae advorsus fuas. 31 *sed* qui *sunt* hi *qui* ascendunt altum ocrim? — Naevius ibid. : trag. 1 *Quod* tu *mi* gnate quaeso *ut* in pectus tuum. 4 Contempla placide formam *et* faciem virginis. 16 Tunc ipsos adoriant ne *qui hinc* Spartam referat nuntium. 17 Laetus sum laudari *me* abs *te* pater *a* laudato viro. 25 ite actutum *in* frundiferos locos. — Plautus in Trinummi prologo : 2 Sequor *sed* finem fore *quem* dicam ne scio. 4 *Nunc* ne *quis* erret vostrum paucis in viam. 11 Accipite *et* date vocivas auris *dum* eloquor. 13 *Is* rem paternam *me* adjutrice perdidit. Ibid. act. 1 sc. 1 v. 1 Amicum castigare *ob* meritam noxiam. 2 Immoene est facinus verum *in* aetate utile. 10 Neque quicquam *hic* vile nunc *est* nisi mores mali. 13 Faciunt *pars* hominum *quam* id *quod* prosint pluribus. 15 *Quae in* rebus multis opstant odiossaeque sunt.

Haud aliter in saturniis est. Jam sequuntur exempla in quibus synaloephae locus non est :

In primo, secundo, quarto, quinto pede.

Ex carminibus Saliorum.

? Divum *em* pa cante, divum deo supplicate.
? Quot[i] ibe *tet* .... tonare.

Ex carmine Arvalium.

NE VELUER,.. INCURRERE *in* PLEORIS.
SATUR *tu*, FERE MAR|MAR|S,... ENSALI *sta*...

Ex vaticiniis.

Amnem, Trojugena, fuge Cannam, *ne* te alienigenae
Manus cogant *in* campo Diomedis conserere.
Sed neque credes *tu* mihi donec compleris sangui.
Caro tua, *nam* mihi ita Juppiter fatust.

Vomicam *quae* gentium venit [ea] longe.
Vestros *qui* campos pascunt placide perdvelles.

Manu emissam *per* agros rigabis.....
Memor, *quam* per tot annos obsides urbem.
Memor, quam per *tot* annos obsides urbem.
Ex ea tibi, *his* quae nunc panduntur fatis.

Ex elogiis Scipionum.

MORS PERFECIT TUA *ut* ESSENT OMNIA BREVIA.
QUA RE LUBENS TE *in* GREMIU, SCIPIO, RECIPIT.

AETATE QUOM PARUA POSIDET *hoc* SAXSUM.
IS HIC SITUS *quei* NUNQUAM VICTUS EST VIRTUTEI

Ex elogio incerto.

Summas opes *qui* regum regias refregit.

Ex titulo Caecilii.

BENE REM GERAS *et* VALEAS, DORMIAS SINE QURA.

Ex titulo Atistiae.

QUOJUS[1] RELIQUIAE *quod* SUPERANT SUNT *in* HOC...

Ex tabula Gracchi.

In ea provincia caesa hostium *aut* capta.
Cujus rei ergo *hanc* tabulam Jovi dedit donum.

Ex tabula Mummii.

OB HASCE RES BENE GESTAS, QUOD *in* BELLO VO(VE)RAT[2],
HANC AEDEM *et* SIGNU HERC(U)LIS VICTORIS IMPERATOR.

1. Lapis *Quojus corporis reliquiae*...

2. In hoc versu *in* potius in debiliore arsis parte stare, quam extra arsin, dici deberet.

Ex dedicatione Vertulejorum.

PARENS TIMENS *heic* VOVIT, VOTO HOC SOLUTO.
SEMOL TE ORANT, *se* VOTI CREBRO CONDEMNES.

Ex Livii Odyssea.

Mea puer, *quid* verbi ex tuo ore.....
? Argenteo polubro, aureo *et* glutro.
Quae haec *daps* est? qui festus dies?.....
Quae haec daps est? *qui* festus dies?.....
? Quamde mare saevum; vir[es] et *cui* sunt magnae.
.... inferus *an* superus.
Topper citi *ad* aedis venimus Circae.

Ex Naevii Bello Poenico.

Exerciti *in* ex- -peditionem ducit.
Multi alii *e* Troja strenui viri.
? Blande et docte percontat, Aeneas *quo* pacto.
? Irque susum *ad* caelum sustulit suum rex.
Convenit, regnum simul atque locos *ut* haberent.
Sicilienses paciscit obsides *ut* reddant.
Et venit *in* mentem hominum fortunas.
..... *ex* auro vestemque citrosam.
Magnum stuprum populo fieri *per* gentis.
Apud emporium *in* campo hostium pro moene.
Apud emporium in campo hostium *pro* moene.
Multa alia *in* isdem inserinuntur.

Ex Naevii epigrammate.

Immortales mortales si foret *fas* flere.

Versus antiquus.

Quasi messor *per* messim unumquemque spicum.

In anacrusi.

Ex carmine Arvalium.

E NOS, LASES, JUVATE.
E NOS, MARMOR, JUVATO.
Ne VELUER... INCURRERE IN PLEORIS.

Ex vaticiniis.

Sed neque credes tu mihi donec compleris sangui.
Ex terra frugifera; piscibus atque avibus.

Qui jus populo plebeique [*is*] dabit summum.
Hoc si recte facitis gaudebitis semper.

Ne ninculus mederi queat.....

Tum tu insiste audax hostium muris.
Ex ea tibi, his quae nunc panduntur fatis.

Ex elogiis Scipionum.

Honc OINO PLOIRUME COSENTIONT R...
Hec CEPIT CORSICA ALERIAQUE URBE...

Mors PERFECIT TUA UT ESSENT OMNIA BREVIA.
Qua RE LUBENS TE IN GREMIU, SCIPIO, RECIPIT.

Is HIC SITUS QUEI NUNQUAM VICTUS EST VIRTUTEI.
Ne QUAIRATIS HONORE QUEI MINUS SIT MANDATUS.

Ex titulo Caecilii.

Hoc EST FACTUM MONUMENTUM MAARCO CAICILIO.

Ex titulo Eurysacis.

Est HOC MONIMENTUM.....

Ex tabula Gracchi.

In ea provincia caesa hostium aut capta.
Re felicissime gesta.....

Ex tabula Mummii.

Ob HASCE RES BENE GESTAS QUOD IN BELLO VO(VE)RAT.
Hanc AEDEM ET SIGNU HERC(U)LIS VICTORIS IMPERATOR.

Ex dedicatione Vertulejorum.

Quod RE SUA DIFEIDENS ASPERE AFLEICTA.

Ex Appii Sententiis.

Ne quid fraudis stuprique ferocia pariat.

Ex Livii Odyssea.

Quae haec daps est? qui festus dies?...
[*Aut*] in Pylum adveniens aut ibi ommentans.
Me carpento vehente in domum venisse.
Nam divina Monetas filia docuit.
Jam *in* altum expulsa lintre.....
At celer hasta perrumpit pectora ferro.

Ex Naevii Bello Poenico.

In-[1] auream -molabat victimam pulcram.
Id quoque paciscunt, moenia.......
Quod bruti nec satis sardare queunt....
Res divas edicit, praedicit castus.
Qui diu mare sudantes eunt atque sedentes.
Sin illos deserant fortissimos viros.

Ex Carmine Priami et carmine incerto.

Et Pri[a]mum.........
Cum victor Lemno classem Doricam appulisset.

Verba legati.

Tum patriae compotem me numquam siris esse.

In tertio et sexto pede.

Ex vaticiniis.

Cum[e] populus dederit *ex* publico partem.
Privati uti conferant *pro* se atque suis.
Fietque res melior nam *is* divus exstinguet.

Ex ea tibi his quae *nunc* panduntur fatis.
Ea in[du]staurata *ut* assolet facito.

Ex elogiis Scipionum.

CONSOL, CENSOR, AIDILIS HIC FUET A[PUD *VOS*].

CONSOL, CENSOR, AIDILIS QUEI FUIT APUD *VOS*.

Quantam columnam, quae *res* tuas gestas loquatur?

Ex titulo Atistiae.

? FUIT... UXOR *mi*[2], FEMINA OPTUMA VEIXSIT.

Ex tabula Regilli.

?...... victa fusa contusa fugata *est*[3].
Ea pugna pugnata *rex* Antiochus regnumque.

Ex tabula Gracchi.

Iterum triumphans *in* urbem Romam redi[i]t.

1. Traditur *immolabat auream*.
2. Lapis *mihei*.
3. Num *fugata 'st?* — Traditur *fugataque est*.

Ex Livii Odyssea.

Quando dies adveniet quem profata Morta *est*[1].
Igitur demum Ulixi *cor* frixit prae pavore.
Nexabant multa inter *se* flexu nodum dubio.
.... sic quoque fitum *est*[2].
...... vecorde *et* malefica vacerra.

Ex Naevii Bello Poenico.

Ireque susum ad caelum sustulit suum *rex*[3].
Simul alius aliunde rumitant inter *se*[4].

Aliunde.

Tum patriae compotem *me* numquam siris esse.

? Septem diebus *te* calo, Juno Covella.

In his versibus monosyllaba synaloepham patiuntur aut pati saltem possunt :

Ex vaticiniis.

Amnem, Trojugena, fuge Cannam, ne *te* alienigenae
Ferisque *quae* incolunt terras, iis fuat esca.

Hostem, Romani, *si* ex agro pellere vultis.
Fietque res melior, *nam* is divus exstinguet.

Ex elogio P. Scipionis.

Quei APICE INSIGNE DIALIS FLAMINIS GESISTEI.
QUIBUS *sei* IN LONGA LICUISET TIBE UTIER VITA.
QUA RE LUBENS *te* IN GREMIU, SCIPIO, RECIPIT.

Ex titulo Caecilii.

HOSPES, GRATUM EST *quom* APUD MEAS RESTITISTEI SEEDES.

Ex tabula Regilli.

? Equitatu elephantisque *cum* omnibus sociis[5].

Ex dedicatione Vertulejorum.

SEMOL *te* ORANT, SE VOTI CREBRO CONDEMNES.

1. Num *Morta 'st* ?

2. Num *fitum 'st* ?

3. Traditur *suas res*.

4. Traditur *sese*.

5. Voces *cum omnibus sociis* apud T. Livium alieno loco positae.

Ex Appii Sententiis.

.... *qui* animi compotem esse.
Inimicis *si* es[1] commentus, nec libens aeque.

Ex Livii Odyssea.

Neque enim *te* oblitus sum, Laertie noster.
? Simul ac lacrimas *de* ore noegeo detersit.
Jam in altum expulsa lintre..........

Ex Naevii Bello Poenico.

? Ibi foras *cum* auro illi[n]c exibant.

In hoc Naevii versu vox monosyllaba in anacrusi hiatum admittit :

Rem hostium concinnat...........

B. — Voces iambicae.

Voces iambicae, ut ceterae voces disyllabae omnes, aut arsin in syllaba altera habere possunt, aut eam in priore habere, aut extra arsin stare.

α. — Arsis in syllaba altera.

Apud poetas scenicos : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 1 Si *malos* imitabo tum tu pretium pro noxa dabis. 14 *Procat*, toleratis temploque hanc deducitis. 27 Ne *fame* perbitat. — Naevius ibid. : trag. 45 Propter amnem *aquam* creterris sumere ex fonte. Com. 11 Vicistis. Volup est. Quo *modo ?* Dicam tibi. 24 Alteris *nuces* in proclivi profundere. 32 Laudes *ago* cum votis me multat meis. 78 Ali dat anulum spectandum, et a *labris* alium invocat. 86 Salui et fortunati sitis duo *duum* nostrum patres. 93 Domos *patres* patriam ut colatis potius quam peregri probra. Plautus in Trinummi prologo : 2 *Sequor* sed finem fore quem dicam

1. Num *si 's?*

ne scio[1]. 17 *Senes* qui huc venient i rem vobis aperient. Ibid. act. 1 sc. 2 vers. 1 *Larem* corona nostrum decorari volo. 30 *Malis* te ut verbis multis multum objurigem. 47 *Jovi* coronam de capite ex Capitolio. 160 Juxtaque eam curo cum *mea*. Recte facis. 184 Pauci sint faxim qui *sciant* quod ne sciunt. 2,2,49 Quid is, egetne? *Eget*. Habuitne rem? Habuit. Qui eam perdidit? 71 Quando equidem nec tibi bene esse pote *pati* neque alteri. 84 Nam sapiens *quidem* pol ipsus fingit fortunam sibi.

In saturniis :

Arses secunda et quinta[2].

Ex carminibus Saliorum.

Cume *tonas*, Leucetie, praï tet tremonti.
Quot[i] *ib*[*e*] tet .... tonare.

Ex carmine Arvalium.

SATUR FU, FERE [MAR]MARS, LIMEN ?*sali*, STA BERBER.

Ex vaticiniis.

Ferisque quae incolunt terras, *iis* fuat esca.
Caro *tua*, nam mihi ita Juppiter fatust.

Qui jus populo plebeique [is] *dabit* summum.
Decem *viri* graeco ritu hostiis faciant.

? Ex ea *tibi* his quae nunc panduntur fatis.

Ex elogiis Scipionum.

? CONSOL, CENSOR, AIDILIS HIC *fuet* A[PUD VOS].

GNAIVOD *patre* PROGNATUS, FORTIS VIR SAPIENSQUE.
? CONSOL, CENSOR, AIDILIS QUEI *fuit* APUD VOS.

QUA RE *lubens* TE IN GREMIU, SCIPIO, RECIPIT.

QUOIEI VITA DEFECIT, NON *honos*, HONORE.
IS HIC *situs* QUEI NUNQUAM VICTUS EST VIRTUTEI.
ANNOS GNATUS XX IS *l*[*oc*]*eis* MANDATUS.

Ex elogio incerto.

Summas *opes* qui regum regias refregit.

1. Plauti tempore semper *ne scio* scribe, non *nescio*.
2. Exempla haec sunt caesurae Korschianae (vide infra I, II, 4).

Ex titulo Caecilii.

BENE REM *geras* ET VALEAS, DORMIAS SINE QURA.

Ex titulo Quinctii.

.... Jovi *dedit* donum.

Ex tabula Glabrionis.

Fundit, *fugat*, prosternit maximas legiones.

Ex tabula Regilli.

Inter ...... Ephesum, *Samum* Chiumque[1].
Ibique *eo* die naves longae.....

Ex tabula Gracchi.

Cujus rei ergo hanc tabulam Jovi *dedit* donum.

Ex dedicatione Vertulejorum.

QUOD, RE *sua* DIFEIDENS ASPERE AFLEICTA,
PARENS *timens* HEIC VOVIT, VOTO HOC SOLUTO.
DONU *danunt* HERC(O)LEI MAXSUME MERETO.

Ex Appii Sententiis.

Inimicis si es commentus, nec *libens* aeque.

Ex Livii Odyssea.

Virum *mihi*, Camena, insece versutum.
Mea *puer*, quid verbi ex tuo ore....
Tuque *mihi* narrato omnia disertim.
Matrem [*meam*] procitum plurimi venerunt.
Quando *dies* adveniet quem profata Morta est.
[Aut] in *Pylum* adveniens aut ibi ommentans.
[Aut] in Pylum adveniens aut *ibi* ommentans.
Celsosque *ocris* arŭaque putria et mare magnum.
Ibi *manens* sedeto donicum videbis
Me carpento vehente in *domum* venisse.
Tibi *deus* fer[eba]t[2] funera, Ulixes.
Topper *facit* homines ut [p]rius fuerunt.
Topper facit homines ut [*p*]*rius* fuerunt.
Topper *citi* ad aedis venimus Circae.
.... affatim edi, *bibi*, lusi.
? Dusmo in *loco*....

Ex Livii carmine in Junonem reginam.

Sancta *puer*, Saturni filia, regina.

1. Traditur *Ephesum camuchumque*.
2. Traditur [illegible]

Ex Naevii Bello Poenico.

Ibi *foras* cum auro illi[n]c exibant.
Inerant signa expressa quo *modo* Titani.
Sanctus *Jove* prognatus Putius Apollo[1].
Postquam *avem* aspexit in templo Anchisa.
? .... *eam* carnem.
Censet *eo* venturum obviam Poenum.
? Censet eo venturum ob *viam* Poenum.
Convenit, regnum simul atque *locos* ut haberent.
? Eï *venit* in mentem hominum fortunas.
Plerique omnes subigunt sub *suum* judicium.
Summe *deum* regnator, quianam [me] genuisti ?
Lucam *bovem*...........
Qui diu *mare* sudantes eunt atque sedentes.
Magni *metus* tumultus pectora possidit.
Novem *Jovis* concordes filiae sorores.
Patrem *suum* supremum optumum appellat.
Seseque *ii* perire mavolunt ibidem
Quam cum *stupro* redire ad suos popularis.
Quam cum stupro redire ad *suos* popularis.
Simul *dvona* eorum portant ad navis.

Ex Naevii epigrammate.

Immortales mortales si *foret* fas flere.

Versus Metellorum.

Dabunt *malum* Metelli Naevio poetae.

Ex carmine Priami.

Veteres Casmenas, cascas res, *volo* profari.

Aliunde.

Novum *vetus*[2] bibo, novo veteri[3] medeor.

Seorsim afferendi erant trimeter saturnius et saturnii distichi versus alter :

Ex carmine Arvalium.

E NOS, *Lases*, JUVATE.

Ex elogio L. Scipionis, Barbati f.

DVONORO OPTUMO FUISE *viro*.

1. Traditur *Sanctusque Delphis prognatus*.
2. Delevi *vinum*.
3. Delevi *morbo*.

Ex elogio Calatini.

Populi primarium fuisse *virum*.

Arses prima et quarta.

Nihil mirum, cum caesura post thesin plerumque sit locata, exempla in prima arsi multo plura esse quam in quarta.

Ex carminibus Saliorum.

Cume tonas, Leucetie, praï tet tremonti.
Quot[*i*] ibe tet..... tonare.

Ex carmine Arvalium.

Satur FU, FERE MAR[MAR]S, ...

Ex vaticiniis.

Manus cogant in campo Diomedis conserere[1].
Caro tua, nam mihi ita Juppiter fatust.

? Vomicam quae gentium *venit* [ea] longe.
Iis ludis faciendis praeerit praetor.
Decem viri graeco ritu hostiis faciant.

Quamvis †moventium *dvonum* negumate.

Romane, aquam Albanam *cave* lacu contineri.
Memor, quam per tot annos obsides urbem.

Ex elogiis Scipionum.

Honos, FAMA VIRTUSQUE, GLORIA ATQUE INGENIUM.

Quantam statuam faciet [*tibi*] populus Romanus?

Ex titulo Quinctii.

Ut[*i*] Titus Quinctius dictator...

Ex tabula Regilli.

Caput patrandae pacis haec pugna exeunti.

Ex tabula Gracchi.

In *ea* provincia caesa hostium aut capta.
Plenissimum praeda *domum* reportavit.

1. Traditur *Cogant... conserere manus*.

Ex dedicatione Vertulejorum.

Parens TIMENS HEIC VOVIT, VOTO HOC SOLUTO.
Semol TE ORANT, SE VOTI CREBRO CONDEMNES.

Ex Livii Odyssea.

Virum mihi, Camena, insece versutum.
Pater noster, Saturni filie.....
Mea puer, quid verbi ex tuo ore...
Neque *enim* te oblitus sum, Laertie noster.
Apud nympham Atlantis filiam Calypsonem.
Utrum genua amploctens virginem oraret.
Ibi manens sedeto donicum videbis.
Tibi deus fer[eba]t funera, Ulixes.

Ex Naevii Bello Poenico.

Ibi foras cum auro illi[n]c exibant.
? *Virum* praetor adveniens auspicat auspicium.
Fames acer augescit hostibus.....
? ... *senex* fretus pietati.
. .. atque *prius* pariet locusta.
Ferunt pulcras creterras, aureas lepistas.
Novem Jovis concordes filiae sorores.
Patrem suum supremum optumum appellat.
Simul dvona eorum portant ad navis.

Versus Metellorum.

Dabunt malum Metelli Naevio poetae.

Aliunde.

? Diebus te quinque *calo,* Juno Covella,
? Septem diebus te *calo,* Juno Covella.

Novum vetus[1] bibo, novo veteri[2] medeor.
? Novum vetus[1] bibo, *novo* veteri[2] medeor.

? *Quasi* messor per messim unumquemque spicum.

Arses tertia et sexta.

Ex vaticinio.

Manu emissam per *agros* rigabis.....
Victoriam *datam*, düello perfecto.

1. Delevi *vinum*.

2. Delevi *morbo*.

Ex elogiis Scipionum.

CONSOL, CENSOR, AIDILIS HIC FUET *a[pud]* VO[S].

CONSOL, CENSOR, AIDILIS QUEI FUIT *apud* VOS.

Ex titulo Caecilii.

HOSPES, GRATUM EST QUOM *apud* MEAS RESTITISTEI SEEDES.

Ex Appii Sententiis.

Amicum cum *vides*, obliscere miserias.

Ex Livii Odyssea.

? At celer hasta *volans*.......

Ex Naevii Bello Poenico.

Irque susum ad caelum sustulit *suum* rex[1]
?......... *simul* atrocia porricerent.
Victoribus *danunt*.. ....
Quod bruti nec *satis* sardare queunt......
Conferre queant *ratem* aeratam qui peritet.

Aliunde.

Novum vetus *bibo*, novo veteri medeor.

β. — Arsis in priore syllaba.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 23 Obsecro te Anciale matri ne quid *tuae* advorsus fuas. 26 *Ego* puerum interea[d] ancillae subdam lactantem meae. — Naevius ibid. trag. 17 Laetus sum laudari me abs te *pater* a laudato viro. Com. 39 *Cave* sis *tuam* contendas iram contra cum ira Liberi. 57 Diabathra in pedibus habebat, *erat* amictus epicroco. — Plautus in Trinummi prologo : 4 Sequor sed finem *fore* quem dicam nescio. Ibid. act. 1 sc. 1 v. 10 Neque quicquam hic vile nunc est *nisi* mores mali. 1,2,22 Vin conmutemus, *tuam* ego ducam et tu meam ? 25 Habeas ut nanctu's, nota *mala* res optuma est. 40 Qui *in* mentem venit *tibi* istaec dicta dicere ? 2,2,21 *Tuis* seruivi seruitutem imperiis praeceptis pater. 22 Pro ingenio *ego* me liberum esse

1. Traditur *Isque... suas res.*

ratus sum pro imperio tuo. 23 *Meum* animum tibi seruitutem seruire aequom censui. 25 *Utrum* itane esse mavelit ut eum animus aequum censeat. 26 An ita potius ut parentis *eum* esse et cognati velint. 32 Istaec *ego* mihi semper habui aetati integumentum meae. 37 Sarta tecta *tua* praecepta usque habui *mea* modestia. 38 Quid exprobras bene quod fecisti? *tibi* fecisti non mihi.

In saturniis nostris haec species maxime in quarta arsi reperitur, sexies in prima, quinquies vel minus in tertia, ter in secunda, semel in quinta, numquam in sexta (quod nemo mirabitur). Hic uniuscujusque arsis significatus est numerus :

Ex carmine Arvalium.

2 SATUR FU, *fere* MAR[MAR]S....

Ex vaticiniis.

3 Amnem, Trojugena, *fuge* Cannam, ne te alienigenae.
1,3 Sed *neque* credes tu *mihi* donec compleris sangui.
3 Caro tua, nam *mihi* ita Juppiter fatust.

4 Ne ninculus mederi *queat*......
1 ? Cave in *mare* manare suo flumine siris.

Ex elogiis Scipionum.

4 QUIBUS SEI IN LONGA LICUISET *tibe* UTIER VITA.
4 Quantam columnam, quae res *tuas* gestas loquatur?

Ex titulo Quinctii.

4 ?........ *Jovi* dedit donum.

Ex tabula Regilli.

4 ?........ *duae* quadraginta.

Ex tabula Gracchi.

4 ?Plenissimum praeda *domum* reportavit.
4 ?........ *Jovi* dedit donum.

Ex tabula Mummii.

4 DUCTU AUSPICIO IMPERIOQUE *ejus* ACHAJA CAPTA.

Ex Livii Odyssea.

4 ? Quae haec daps est, qui festus *dies*?. ..
1 At *celer* hasta perrumpit pectora ferro.

Ex Naevii Bello Poenico.

1 Jamque *ejus* mentem fortuna fecerat quietem.
4 Deum adlocutus, summi *deum* regis fratrem,
4 Neptunum regnatorem *marum*.......
3 ? .... *simul* atrocia porricerent.
3 ? Convenit, regnum *simul* atque locos ut haberent.
1 Id *quoque* paciscunt, moenia.......
5 Quod bruti nec satis sardare *queunt*.....
2 Conferre *queant* ratem aeratam qui peritet,
1 Qui *diu* mare sudantes eunt atque sedentes.
4 Qui diu mare sudantes *eunt* atque sedentes.

Aliunde.

4 ? Diebus te quinque *calo*, Juno Covella.
4 ? Septem diebus te *calo*, Juno Covella.
4 Terra pestem teneto, *salus* hic[e] maneto.
2 Camille, *metes*.....

γ. — Voces iambicae[1] extra arsin.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 16 Praestat[2] virtuti laus *gelu* sed multo ocius Verno tabescit. 19 etiam minitas ? mitte *ea* quae *tua* sunt *magis* quam mea. — Naevius ibid. : com. 45 *Ubi* vidi exanimabiliter timidus pedibus protinam me dedi. 72 Quae *ego* in theatro hic meis probavi plausibus *Ea* non audere quemquam regem rumpere. 95 *Deos* quaeso ut adimant et *patrem* et matrem meos. 125 An nata est sponsa praegnans ? vel *ai* vel nega. — Plautus in Trinummi prologo : 5 Deducam si *quidem* operam dare promittitis. Ibid. act. 1 sc. 1 v. 7 *Ita* plerique omnis jam

1. Meminerint qui haec legunt, sub nomine vocum *iambicarum* hic promiscue tractari illas quae iambum efficiant et illas quae pyrrhichium (vide supra p. 89).

2. Traditur *praestatur*. Intellego : Praesto est virtuti laus. Quo sensu ἅπαξ εἰρημένον esse confiteor quod posui *praestat*.

sunt intermortui. 9 *Quasi* herba inrigua succrevere uberrime. 10 *Neque* quicquam hic vile nunc est nisi mores mali. 14 *Ita* vincunt illud conducibile gratiae. 1, 2, 7 Adgrediar hominem. Quoja hic vox *prope* me sonat? 18 Vivit victuraque est. *Bene* hercle nuntias. 22 Vin conmutemus, tuam *ego* ducam et tu meam? 26 Nam *ego* nunc si ignotam capiam quid agam ne sciam.

In saturniis haec species locum habere non potest in thesi sexti pedis; haud ita rara est in reliquis pedum thesibus atque in anacrusi. Hic singulis versiculis numeri illarum thesium praeponi jussi sunt, quae in unoquoque eorum ex vocibus iambicis constant; anacrusis autem per 0 significata est :

Ex carminibus Saliorum.

4 Divum em pa cante, divum *deo* supplicate.

Ex carmine Arvalium.

0 ? *Satur* FU, FERE MARS. . . . .
1 ? SATUR FU, *fere* MARS. . . . .

Ex vaticiniis.

5 Ferisque quae incolunt terras, iis *fuat* esca.
3 Caro tua, nam mihi *ita* Juppiter fatust.

3 Hostem, Romani, si ex *agro* pellere vultis.
1 Privati *uti* conferant pro se atque suis.

4 Romane, aquam Albanam cave *lacu* contineri.
1,3 ? Cave in *mare* manare *suo* flumine siris.
3 Donum amplum victor ad *mea* templa portato.

Ex elogiis Scipionum.

0 *Dedet* TEMPESTATEBUS AIDE MERETO. . . . .

2 MORS PERFECIT *tua* UT ESSENT OMNIA BREVIA.
0 *Quibus* SEI IN LONGA LICUISET TIBE UTIER VITA.

NE QUAIRATIS HONORE QUEI *minus* SIT MANDATUS.

Ex titulo Caecilii.

3 HOSPES, GRATUM EST QUOM APUD *meas* RESTITISTEI SEEDES.
0 *Bene* REM GERAS ET VALEAS, DORMIAS SINE QURA.
5 BENE REM GERAS ET VALEAS, DORMIAS *sine* QURA.

Ex titulo Atistiae.

0 ? *Quojus* RELIQUIAE QUOD SUPERANT SUNT IN HOC.....

Ex titulo Quinctii.

1 Jovis *pater* atque divi omnes hoc dederunt.
1 Ul[i] *Titus* Quinctius dictator....

Ex tabula Regilli.

0 *Ea* pugna pugnata rex Antiochus regnumque.
0 ? *Ejus* rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.

Ex tabula Gracchi.

0 *Supra* octoginta millia.....
1 Cujus *rei* ergo hanc tabulam Jovi dedit donum.

Ex tabula Mummii.

2 OB HASCE RES *bene* GESTAS QUOD IN BELLO VO(VE)RAT.

Ex Livii Odyssea.

4 Mea puer quid verbi ex *tuo* ore.....
0 *Neque* enim te oblitus sum Laertie noster.
5 Celsosque ocris arüaque putria et *mare* magnum.
0 *Simul* ac lacrimas de ore noegeo detersit.
1 ? Quamde *mare* saevum; vir[es] et cui sunt magnae.
3 [Venit] Mercurius cumque *eo* filius Latonas.
5 .... sic *quoque* fitum est.

Ex Naevii Bello Poenico.

0 *Sacra* in mensa Penatium ordine ponuntur.
5 ? .... *eam* carnem.
0 *Deum* adlocutus summi deum regis fratrem.

Aliunde.

3 Hiberno puluere verno *luto* grandia farra.
0 ? *Quasi* messor per messim unumquemque spicum.

C. — Voces spondiacae.

Similiter in vocibus spondiacis[1] distinguendum est, atque factum est in iambicis.

1. Id est, ut supra p. 89 dictum est, in vocibus vere spondiacis et in illis quoque quae trochaeum efficiunt.

α. — Arsis in syllaba altera.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 1 Si malos imitabo tum tu pretium pro *noxa* dabis. 5 Tum *autem* lascivum Nerei simum pecus *Ludens* ad cantum classem lustratur [choro]. 12 se in terram saucius *fligit* cadens. 15 *Mirum* videtur quod sit factum jamdiu. 7 *Verno* tabescit (vide supra p. 108). 34 namque Taenari *celsos* ocris. Com. 2 hau *multo* secus. — Naevius ibidem : trag. 1 Quod tu mi gnate quaeso ut in *pectus* tuum. 3 *Omnes* formidant homines ejus valentiam. 16 Tunc *ipsos* adoriant, ne qui hinc Spartam referat nuntium. Com. 75 Quase in choro *ludens* datatim dat se et communem facit. 108 Etiam qui res *magnas* manu saepe gessit gloriose. 112 Libera *lingua* loquemur ludis Liberalibus. — Plautus in Trinummo : act. 1 sc. 1 vers. 8 Sed dum illi aegrotant, interim *mores* mali. 1,2,2 *Uxor*, venerare ut nobis haec habitatio. 5 Hic ille est senecta aetate qui *factust* puer. 20 Dum quidem hercle tecum nupta sit, *sane* velim. 145 *Illi* redemi rursum a me argentum dedi. 150 Παῦσαι vicisti castigatorem tuum. 2,2,68 De *magnis* divitiis si quid demas, plus fit an minus? 92 Scin tu *illum* quo genere gnatus sit? Scio, adprime probo. 4,2,1 Huic ego die *nomen* Trinummo facio, nam ego operam meam Tribus *nummis* hodie locavi ad artis naugatorias. Curc. 4,1,23 Vel qui *ipsi vortant* vel qui aliis ut vorsentur praebeant. 5,2,27 O *cives cives*. Quid clamas? Quid tibi istum tactio est? Trucul. 51 Cave *faxit volnus* tibi jam cui sunt dentes ferrei. Merc. 3,4,63 Cur *istuc coeptas* (vel *captas*) consilium? Quia enim me adflictat amor. 5,4,60 Neu *quisquam posthac* prohibeto adulescentem filium. Poen. 3,1,37 Tua *causa nemo* nostrorum est suos rapturus ramices. Amph. 1,1,155 Proin tu *istam cenam* largire si sapis esurientibus. 2,2,116 Egone *istuc dixi?* Tute istuc, etiam astante hoc Sosia. Pers. 5,2,6

Qui *illum* Persam atque *omnis Persas* atque etiam *omnis* personas.

In saturniis cum vox spondiaca in syllaba altera feritur, hoc in prima secundaque arsi fit plerumque, neque etiam rarum est ut duae deinceps positae spondiacae voces primum alterumque ictum accipiant. Non tam frequenter hanc vocum speciem invenimus in tertia, quarta, quinta arsi, numquam omnino in sexta. Neque (quod de arsibus altera tertiaque Buecheler observavit) duae deinceps spondiacae voces in posteriore syllaba umquam secundum et tertium vel quartum et quintum recipiunt ictum. Nam quod ad tertium quartumque ictum attinet, vocem spondiacam habes in carmine saliari post vocem spondiacam,

Divum em pa *can|te, di|vum* deo| supplicate,

et in tabula Mummii post vocem in spondeum desinentem,

CORINTO *dele|to Ro|mam* REDI|EIT TRIUMPHANS.

Arses prima et secunda[1].

Ex carminibus Saliorum.

Divum em pa cante, divum deo supplicate.

Ex carmine Arvalium.

E NOS, *Marmor*, JUVATO.

Ex vaticiniis.

Amnem, Trojugena, fuge Cannam, ne te alienigenae
Manus *cogant* in campo Diomedis conserere.
Sed neque *credes* tu mihi, donec compleris sangui
Campum, milliaque multa occisa tua.

Hostem, Romani, si ex agro pellere vultis.
Iis *ludis* faciendis praeerit praetor.
Hoc si *recte* facitis gaudebitis semper.
Vestros qui campos pascunt placide perdvelles.

Quamvis †moventium dvonum negumate.

?..... *disque* sipatam rivis exstingues.

1. In arsi secunda exempla habes caesurae Korschianae (infra I, II, 4).

Ex elogiis Scipionum.

Consol, *censor*, AIDILIS HIC FUET A...

Gnaivod PATRE PROGNATUS, FORTIS VIR SAPIENSQUE.
Quojus forma VIRTUTEI PARISUMA FUIT.
Consol, *censor*, AIDILIS QUEI FUIT APUD VOS.
SUBIGIT *omne* LOUCANAM OPSIDESQUE ABDOUCIT.

HONOS, *fama* VIRTUSQUE, GLORIA ATQUE INGENIUM.
QUIBUS SEI IN *longa* LICUISET TIBE UTIER VITA.
FACILE *facteis* SUPERASES GLORIAM MAJORUM.
Qua re LUBENS TE IN GREMIU, SCIPIO, RECIPIT
Terra, *Publi*, PROGNATUM PUBLIO, CORNELI.

Magna SAPIENTIA MULTASQUE VIRTUTES.
Quoiei vita DEFECIT, NON HONOS, HONORE.
Annos gnatus XX IS L[OC]EIS MANDATUS.

Quantam statuam faciet [tibi] populus romanus?

Ex elogio incerto.

Summas opes qui regum regias refregit.

Ex titulo Caecilii.

HOC EST *factum* MONUMENTUM MAARCO CAICILIO.
Hospes, GRATUM EST QUOM APUD MEAS RESTITISTEI SEEDES.

Ex tabula Glabrionis.

Fundit, fugat, prosternit maximas legiones.

Ex tabula incerta.

Magnum numerum triumphat hostibus devictis.

Ex tabula Regilli.

Classis regis Antiochi ante Asiae.....
Inter..... Ephesum, Samum Chiumque.
Dvello magno dirimendo, regibus subigendis.
? *Ejus* rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.

Ex tabula Gracchi.

? *Cujus* rei ergo hanc tabulam Jovi dedit donum.

Ex dedicatione Vertulejorum.

DECUMA *facta* POLOUCTA, LEIBEREIS LUBENTES
Donu DANUNT HERC(O)LEI MAXSUME MERETO,
SEMOL TE *orant*, SE VOTI CREBRO CONDEMNES.

Ex Appii Sententiis.

Ne quid *fraudis* stuprique ferocia pariat.

Ex Livii Odyssea.

Pater *noster*, Saturni filie.....
Tuque mihi narrato omnia disertim.
Matrem [meam] procitum plurimi venerunt.
Quando dies adveniet quem profata Morta est.
Tumque remos jussit re[l]ligare struppis.
Atque escas habe[a]mus mentionem...
Partim errant, nequinont Graeciam redire.
Apud *nympham* Atlantis filiam Calypsonem.
Igitur *demum* Ulixi cor frixit prae pavore.
Quamde mare saevum; vir[es] et cui sunt magnae,
... *topper* confringent inportunae undae.
Topper facit homines ut [p]rius fuerunt.
Topper citi ad aedis venimus Circae.
At celer *hasta* perrumpit pectora ferro.
Carnis vinumque quod libabant anclabatur.
Deque manibus dextrabus......

Ex Livii carmine in Junonem reginam.

Sancta puer, Saturni filia, regina.

Ex Naevii Bello Poenico.

Eorum *sectam* sequuntur multi mortales.
? Inerant *signa* expressa quo modo Titani.
Runcus atque Purpureus, filii Terras.
Multi alii e Troja strenui viri.
Blande et *docte* percontat, Aenes quo pacto.
Jamque ejus *mentem* fortuna fecerat quietem.
? *Prima* incedit Cereris Proserpina puer.
Deinde pollens sagittis inclitus Arquitenens
Sanctus Jove prognatus Putius Apollo.
Sacra in *mensa* Penatium ordine ponuntur.
Exta ministratores......
Irque susum ad caelum sustulit suum rex [1].
? Vicissatim *volvi* victoriam.....
Virum *praetor* adveniens auspicat auspicium.
Censet eo venturum obviam Poenum.
? Ei *venit* in mentem hominum fortunas.
Fames *acer* augescit hostibus.
Magnam domum decoremque ditem vexarant.
Plerique *omnes* subigunt sub suum judicium.
Summe deum regnator, quianam [me] genuisti.

1. Traditur *Isque... suas res*.

Noctu Trojad exibant, capitibus opertis,
Flentes ambae, abeuntes lacrimis cum multis.
Lucam bovem .....
[*Topper s*]*aevi* capesset flammam Volcani.
Ferunt *pulchras* creterras, aureas lepistas.
Magni metus tumultus pectora possidit.
Scapos atque verbenas sagmina sumpserunt.
Magnum stuprum populo fieri per gentis.
Multa[1] alia in isdem inserinuntur.

Ex Naevii epigrammate.

Flerent divae Camenae Naevium poetam.

Aliunde.

Septem diebus te calo, Juno Covella.
Terra pestem teneto, salus hic[e] maneto.
Quasi *messor* per messim unumquemque spicum.

Arsis tertia.

Ex carminibus Saliorum.

Divum em pa *cante*, divum deo supplicate.

Ex carmine Arvalium.

NE.... *Marmars*, INCURRERE IN PLEORIS.

Ex vaticinio.

Decemviri *graeco* ritu hostiis faciant.

Ex titulo Atistiae.

FUIT... *uxor* MIHEI, FEMINA OPITUMA VEIXSIT.

Ex tabula Gracchi.

?Plenissimum *praeda* domum reportavit.

Ex tabula Mummii.

HANC AEDEM ET SIGNU *Herc(u)lis* VICTORIS IMPERATOR

Ex Livii Odyssea.

Nexabant multa *inter* se flexu nodum dubio.

Ex Naevii epigrammate.

Obliti sunt *Romae* loquier lingua latina.

1 Traditur *millia*.

Verba pontificum.

? Diebus te *quinque* calo, Juno Covella.

Arsis quarta.

Ex carminibus Saliorum.

Divum em pa cante, *divum* deo supplicate.

Ex vaticiniis.

Amnem, Trojugena, fuge *Cannam*, ne te alienigenae.
Sed neque credes tu mihi *donec* compleris sangui.
Ferisque quae incolunt *terras*, iis fuat esca.

? Vomicam quae gentium *venit* [ea] longe.

Quandoque Hispania *princeps* dominusque rerum.

Ex elogio L. Scipionis, Barbati f.

DEDET TEMPESTATEBUS *aide* MERETO...

Ex titulo Quinctii.

? Trientem tertium *pondo* coronam....

Ex tabula Mummii.

CORINTO DELETO *Romam* REDIEIT TRIUMPHANS.

Ex Livii Odyssea.

.... affatim *edi*, bibi, lusi.

Ex Naevii Bello Poenico.

? ..... *transit* Melitam Romanus.
Convenit, regnum simul *atque* locos ut haberent.

Ex carmine rusticorum.

Hiberno puluere, *verno* luto, grandia farra.

Arsis quinta[1].

Ex vaticiniis.

..... deferet amnis in *pontum* magnum.

1. Haec sunt exempla caesurae Korschianae (infra I, II, 4).

Privati uti conferant pro se *atque* suis.
? Fietque res melior, nam is *divus* exstinguet.

? Sacraque patria, quorum ob *cura* missa.

Ex elogio Africani.

Quantam columnam, quae res tuas *gestas* loquatur?

Ex tabula Mummii.

OB HASCE RES BENE GESTAS QUOD IN *bello* VO(VE)RAT.

Ex Naevii Bello Poenico.

? Postquam avem aspexit in *templo* Anchisa.
Qui diu mare sudantes eunt *atque* sedentes.
.... senex *fretus* pietati
Deum adlocutus, summi deum *regis* fratrem.

Verba quibus arcetur dolor pedum.

Terra pestem teneto, salus *hic*[*e*] maneto.

Arsis sexta.

Ex Naevii Bello Poenico.

Simul alius aliunde rumitant *inter* se.

β. — Arsis in priore syllaba.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii altera editione : tragoed. 3 Accensa et *praeda* per participes aequiter. 6 Ludens ad *cantum classem* lustratur [choro]. 15 Mirum videtur quod sit *factum* jam diu. 18 Conflugae ubi conventu *campum totum* inumigant. 23 Obsecro te Anciale *matri* ne quid tuae advorsus fuas. — Naevius ibid. : tragoed. 1 Quod tu mi *gnate quaeso* ut in pectus tuum. 4 Contempla placide *formam* et speciem virginis. 5 Excidit orationis *omnis* confidentia. 8 De subito *famam tollunt* si quam *solam* videre in via. 17 *Laetus* sum laudari me abs te pater a laudato viro. — Plautus in Trinummi prologo : 2 Sequor sed *finem* fore quem *dicam* nescio. 4 Nunc ne quis *erret vostrum paucis* in viam.

Ibid. act. 1 sc. 1 vers. 2 Inmoene est facinus *verum* in aetate utile. 3 Ita *vincunt illud* conducibile gratiae. 15 Quae in *multis rebus opstant* odiossaecque sunt. 1,2,18 Vivit victuraque est. Bene *hercle* nuntias. Deosque *oro* ut *vitae* tuae superstes suppetat. Dum quidem hercle *tecum nupta* sit sane velim. Vin conmutemus, tuam ego *ducam* et tu meam? Nempe enim tu hercle me imprudentem obrepseris, Habeas ut *nanctus*, *nota* mala res optuma est.

Versus saturnii :

Arses prima et quarta.

Ex carminibus Saliorum.

Cume tonas, Leucetie, *praï* tet tremonti.

Ex vaticiniis.

Ex *terra* frugifera, piscibus atque avibus.
Fietque res melior, nam is *divus* exstinguet.
?....... postremus *dicas*, primus taceas.
.... *rivis* exstingues.
Donum *amplum* victor ad mea templa portato.
Donum amplum victor ad mea *templa* portato.

Ex elogiis Scipionum.

HONC *oino* PLOIRUME COSENTIONT R.....
HEC *cepit* CORSICA ALERIAQUE URBE...
GNAIVOD PATRE PROGNATUS *fortis* VIR SAPIENSQUE.
IS HIC SITUS QUEI NUNQUA *victus* EST VIRTUTEI.

Ex titulo Caecilii.

HOC EST FACTUM MONUMENTUM *Maarco* CAICILIO.

Ex titulo Quinctii.

Jovis pater atque divi *omnes* hoc dederunt.

Ex tabula Regilli.

Classis regis Antiochi *ante* Asiae...
Ea *pugna* pugnata rex Antiochus regnumque.

Ex tabula Gracchi.

.... *adque* liberatis.
Iterum triumphans in *urbem* Romam red[i]it.

Ex tabula Mummii.

OB *hasce* RES BENE GESTAS QUOD IN BELLO VO(VE)RAT
HANC *aedem* ET SIGNU HERC(U)LIS VICTORIS IMPERATOR.

Ex dedicatione Vertulejorum.

PARENS TIMENS HEIC VOVIT, *voto* HOC SOLUTO.
SEMOL TE ORANT, SE VOTI *crebro* CONDEMNES.

Ex Livii Odyssea.

Igitur demum Ulixi cor *frixit* prae pavore.
Nexabant multa inter se *flexu* nodum dubio.
Jam in *altum* expulsa lintre...
?[Erat Ulixi] vestis *pulla*, purpurea, ampla.

Ex Naevii Bello Poenico.

Eorum sectam sequuntur *multi* mortales.
Ibi foras cum auro *illi*[*n*]*c* exibant.
Blande et docte percontat, *Aenes* quo pacto
Trojam *urbem* liquerit.......
?Ammullus, gratulabat *divis*...
Exercitu insulam integram *urit*, populat, vastat.
Honerariae honustae *stabant* in flustris.
Magnam domum decoremque *ditem* vexarant.
Quod *bruti* nec satis sardare queunt......
Res *divas* edicit, praedicit castus.
[Topper s]aevi capesset *flammam* Volcani.
Sin *illos* deserant fortissimos viros.
Simul dvona eorum *portant* ad navis.

Ex carmine incerto.

Cum *victor* Lemno classem Doricam appulisset.

Aliunde.

Tum patriae compotem me *numquam* siris esse.
?Quasi *messor* per messim unumquemque spicum.

Arsis secunda.

Ex vaticinio.

Donum amplum *victor* ad mea templa portato.

Ex tabula Regilli.

Inspectante *ipso* Antiocho, exercitu omni.
Ejus rei ergo *aedem* Laribus Permarinis vovit.

Ex tabula Gracchi.

Cujus rei *ergo* hanc tabulam Jovi dedit donum.

Ex tabula Mummii.

HANC AEDEM ET *signu* HERC(U)LIS VICTORIS IMPERATOR.

Ex Livii Odyssea.

?Quamde mare *saevum ;* vir[es] et cui sunt magnae.
Nexabant *multa* inter se flexu nodum dubio.

Ex Naevii Bello Poenico.

Convenit, *regnum* simul atque locos ut haberent.

Ex carmine incerto.

Cum victor *Lemno* classem Doricam appulisset.

Arsis tertia.

Exempla afferre supersedimus, praeter unum in quo vox trochaica synaloepham patitur, ex Livii Andronici Odyssea petitum :

[Venit] Mercurius *cumque* eo filius Latonas.

Arsis quinta.

Ex vaticinio.

?....... postremus dicas, *primus* taceas.

Ex tabula Gracchi.

Iterum triumphans in urbem *Romam* red[i]it.

Ex Livii Odyssea.

Mea puer, quid verbi ex tuo *ore*..... ..

Nexabant multa inter se flexu *nodum*[1] dubio.

Ex Naevii Bello Poenico.

.... Manius Valerius *consul* partem.

Verba legati.

Tum patriae compotem me numquam *siris* esse.

Arsis sexta.

Exempla sunt permulta, quae quilibet exitus versuum recensens facile reperiet.

γ. — Voces spondiacae extra arsin.

Vox spondiaca extra arsin stare potest, quando syllaba ejus altera synaloepham patitur.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 7 *Jamne* oculos specie laetavisti optabili? 11 Clytemestra juxtim tertias *natae* occupant. 30 *Florem* anc[u]labant Liberi ex carchesiis. 37 Quo Castalia per struices saxeas *lapsu* accidit. — Naevius ibid. : trag. 38 Nae ille mei feri ingeni [iram] atque animi *acrem* acrimoniam. Com. 8 Quasi dedita opera quae ego volo ea tu non vis, quae ego *nolo* ea cupis. 26 Tibi serui *multi* apud *mensam* astant, ille *ipse* astat quando edit. 107 Dictator ubi *currum* insidit pervehitur usque ad oppidum. — Plautus in Trinummo : prol. 12 Adulescens quidam est qui in *hisce* habitat aedibus. Ibid. act. 1 sc. 2 v. 4 *Teque* ut quam primum possit videam emortuam. 9 Sin aliter es inimici *atque* irati tibi. 15 *Credo* hercle te gaudere si quid mihi mali est. 182 Famigeratori res sit cum *damno* et malo. 2,2,24 Quid homo cum animo *inde* ab ineunte aetate depugnat suo. 26 An

1. Traditur *nodorum*.

ita potius ut parentis eum *esse* et cognati velint. 34 Neu *noctu* irem obambulatum neu suom adimerem alteri. 104 Sed ad istam adde gratiam unum? Quid id est autem *unum?* Eloquar.

In saturniis haec species inveniri non potest in pede sexto; in secundo exempla nobis desunt; contra praesto sunt in reliquis pedibus maximeque in anacrusi.

In pedibus 1,3,4,5.

Ex vaticiniis.

5 Ex terra frugifera, piscibus *atque* avibus.

3 Decemviri graeco *ritu* hostiis faciant.

Ex titulo Caecilii.

1 HOSPES, *gratum* EST QUOM APUD MEAS RESTITISTEI SEEDES.
4 Caput patrandae pacis haec *pugna* exeunti.

Ex tabula Gracchi.

3 In ea provincia *caesa* hostium aut capta.
3 Re felicissime *gesta*.....

Ex Naevii epigrammate.

1 ? Itaque *postquam* est Orci traditus thesauro.

In anacrusi.

Ex carminibus Saliorum.

? *Divum* em pa[trem] cante, divum deo supplicate.

Ex vaticinio.

Donum amplum victor ad mea templa portato.

Ex tabulis Regilli, Gracchi, Mummii.

Ductu auspicio imperio felicitate ejus.

[*Ductu*] imperio auspicioque legio exercitusque.

Ductu AUSPICIO IMPERIOQUE EJUS ACHAJA CAPTA.

Ex Livii Odyssea.

? *Dusmo* in loco.....

Ex Naevii Bello Poenico.

Blande et docte percontat, Aenes quo pacto
Trojam urbem liquerit.....
Jamque ejus mentem fortuna fecerat quietem.

D. — Voces in spondeum exeuntes.

Voces spondeo (vel trochaeo : vide supra p. 89) longiores extra arsin stare non possunt. Arsin habent igitur aut in ultima, aut in paenultima, aut etiam, si ultima synaloepham patitur, in antepaenultima vel quarta ab exitu syllaba.

α. — Arsis in ultima.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 6 Ludens ad cantum classem *lustratur* [choro]. 13 Quin quod parere vos.. *majestas* mea. 23 Obsecro te Anciale matri ne quid tuae *advorsus* fuas. 26 Ego puerum interea ancillae subdam *lactantem* meae. 28 numquam *limavit* caput. 38 lacteam *immulgens* opem. 40 Puerarum manibus *confectum* pulcherrime. Comoed. 1 Pulicesne an cimices an pedes, *responde* mihi. — Naevius ibidem : trag. 17 Laetus sum laudari me abs te pater a *laudato* viro. 33 *decoratas* feris. 49 Dryante regem *prognatum* patre. Com. 22 Suopte utrosque decuit *acceptos* cibo. 75 Quase in choro ludens datatim dat se et *communem* facit. 83 ubi isti duo *adulescentes* habent. 106 Pati necesse est multa *mortales* mala. 107 Dictator ubi curru *insidit* pervehitur usque ad oppidum. 127 Ea licet senile tractet *detritum* rutabulum. Plautus in Trinummo : 1,2,1 Larem corona nostrum

decorari volo. 9 Sin aliter es inimici atque *irati* tibi. 22 Faxo haud tantillum dederis *verborum* mihi. 33 Nisi tu me mihimet censes *dicturum* male. 34 Nam si in te aegrotant artes *antiquae* tuae. 45 Suspitio est in pectore *alieno* sita. 135 Fecisset edepol ni haec *praesensisset* canes. 139 Adversum quam ejus me *opsecravisset* pater. 150 Παῦσαι vicisti *castigatorem* tuom. 156 Sed quid ais? Quid vis? Ubi nunc *adulescens* habet? 161 Numquid priusquam abeo me *rogaturu's?* Vale. 169 Quod quisque in animo habet aut *habiturust* sciunt. 2, 2,32 Istaec ego mihi semper habui aetati *integumentum* meae. 62 Ut ita te *aliorum* miserescat ne tis alios misereat. 77 Cui *egestatem* tolerare vis? loquere *audacter* patri. 97 Egone *indotatam* te uxorem ut patiar? *Patiundumst* pater. 2,4,8 Quam si tu obicias *formicis* papaverem. 139 Sues moriuntur *angina* acerrume. 3, 2, 38 In *occulto* jacebis cum te maxume clarum voles. 53 Facile est *inventu*, datur ignis etsi ab *inimico* petas. 4, 2,101 Usque aqua *advorsa* per amnem. 130 Abi sis *nugator*, nugari nugatori postulas. — Terentius, Phorm. 4,3,14 Visumst mihi ut ejus *temptarem* sententiam.

Ultima syllaba vocis in spondeum desinentis recipere posset saturnii arses secundam, tertiam, quintam, sextam. Sextam tamen non reciperet, nisi deesset in altero hemistichio caesura Korschiana (infra I, II, 4); meliusque arsis sexta locaretur in ejusdem vocis paenultima : mirum igitur non est, quod in sexta arsi exempla deficiunt. — In tertia arsi haec habemus sex :

Ex vaticinio.

Romane, aquam *Albanam* cave lacu contineri,
? Cave in mare *manare* suo flumine siris.

Ex tabula Regilli.

Ea pugna *pugnata* rex Antiochus regnumque.

Ex tabula Gracchi.

Iterum *triumphans* in urbem Romam red[i]it.

Ex tabula Mummii.

CORINTO *deleto* ROMAM REDIEIT TRIUMPHANS.

Ex Livii Odyssea.

Igitur demum *Ulixi* cor frixit prae pavore.

Quamquam *Ulixi* in novissimo alteram syllabam corripit.

In arsibus secunda et quinta haec reperimus[1] :

Ex vaticiniis.

? Manus cogant in campo *Diomedis* conserere.
Campum, milliaque multa *occisa* tua.

Manu *emissam* per agros rigabis......
Ex ea tibi, his quae nunc *panduntur* fatis.

Ex elogio Calatini.

Populi primarium *fuisse* virum.

Ex elogiis Scipionum.

DVONORO OPTUMO *fuise* VIRO.

QUEI APICE *insigne* DIALIS FLAMINIS GESISTEI,
MORS *perfecit* TUA UT ESSENT OMNIA BREVIA.

NE *quairatis* HONORE QUEI MINUS SIT MANDATUS.

Ex Livii Odyssea.

Ibidemque vir summus, *adprimus*, Patricoles.
Me *carpento* vehente in domum venisse.
Nam *divina* Monetas filia docuit.
? Quoniam audivi paucis *gavisi*......

Ex Naevii Bello Poenico.

Bicorpores Gigantes *magnique* Atlantes.
Silüicolae homines *bellique* inertes.
? Blande et docte percontat, *Aen[e]as* quo pacto.
? Prima *incedit* Cereris Proserpina puer.
Vicissatim volui victoriam.....
Sicilienses paciscit obsides ut reddant.
Res divas edicit, *praedicit* castus.
?.............. *amborum* uxores.
? *Caluptramque* ex auro *vestemque* citrosam.
Redeunt, referunt petita *rumore* secundo.

1. Haec sunt exempla caesurae Korschianae (infra I, II, 4).

Ex Naevii epigrammate.

Immortales mortales si foret fas flere.

β. — Arsis in paenultima.

Poetae scenici: Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 1 Si malos *imitabo* tum tu pretium pro noxa dabis. 3 *Accensa* et praeda per participes aequiter *Partita* est. 5 Tum autem *lascivum* Nerei simum pecus. 7 Jamne oculos specie *laetavisti* optabili. 30 Florem *anc[u]labant* Liberi ex carchesiis. — Naevius ibidem : trag. 4 *Contempla* placide formam et speciem virginis. 17 Laetus sum *laudari* me abs te pater a laudato viro. 24 Vos qui *regalis* corporis custodias. 32 Ut in *venatu vitulantis* ex suis. Com. 43 utinam nasum *abstulisset* mordicus. — Plautus in Trinummi prologo : 5 *Deducam* si quidem operam dare promittitis. 11 Accipite et date *vocivas* auris dum eloquor. 12 *Adulescens* quidam est qui in hisce habitat aedibus. 13 Is rem *paternam* me *adjutrice* perdidit. 16 Sed de *argumento* ne *exspectetis* fabulae. Ibid. act. 1 sc. 1 v. 1 *Amicum castigare* ob meritam noxiam. 4 *Concastigabo* pro conmerita noxia. 9 Quasi herba inrigua *succrevere* uberrume. 12 *Nimioque* hic pluris *pauciorum* gratiam. 15 Quae in rebus multis opstant *odiossaeque* sunt *Remoramque* faciunt rei *privatae* et publicae.

Saturnii versus praebent exempla permulta in omnibus sedibus. Hic ultimas hemistichiorum arses neglеximus; subjunximus exempla in prima, secunda, quarta, quinta versuum arsi :

Ex carmine Arvalium.

1 *Semunis* ALTERNEI *advocapit* CONCTOS.

1 ? *Triumpe*, TRIUMPE, TRIUMPE.

Ex vaticiniis.

5 Sed neque credes tu mihi donec *compleris* sangui.

2 Hostem, *Romani*, si ex agro pellere vultis.
1 *Quotannis* comiter Apollini fiant.
1 *Privati* uti conferant pro se atque suis.
1 *Fietque* res melior, nam is divus exstinguet.

1 *Romane*, aquam Albanam cave lacu contineri,
2 ? Cave ĭn mare *manare* suo flumine siris.
4 Manu emissam per agros *rigabis*.....
2 Tum tu *insiste* audax hostium muris.
4 Victoriam datam, *dŭello* [1] perfecto.

1,5 *Quandoque* Hispania princeps *dominusque* rerum.

Ex elogiis Scipionum.

1 *Dvonoro* OPTUMO FUISE VIRO.
1 *Luciom* SCIPIONE FILIOS BARBATI.

5 SUBIGIT OMNE LOUCANAM *opsidesque* ABDOUCIT.

4 MAGNA SAPIENTIA *multasque* VIRTUTES.
1 *Aetate* QUOM PARUA POSIDET HOC SAXSUM.

2 Quantam *columnam*, quae res tuas gestas loquatur?

Ex titulo Caecilii.

5 HOSPES, GRATUM EST QUOM APUD MEAS *restitistei* SEEDES.

Ex titulo Eurysacis.

2 EST HOC *monimentum*.....

Ex titulo Quinctii.

4 Ut[i] Titus Quinctius *dictator*.....
1,5 ? *Trientem* tertium pondo *coronam*.....

Ex tabula Regilli.

5 Ductu, auspicio, imperio, *felicitate* ejus.
1 *Equitatu* elephantisque cum omnibus sociis.
1 *Ibique* eo die naves longae.....
2 Caput *patrandae* pacis haec pugna exeunti.
5 Ejus rei ergo aedem Laribus *Permarinis* vovit.

Ex tabula Gracchi.

2 Populi *romani*..... Sardiniam subegit.
2 Supra *octoginta* milia.....
4 Exercitum..... *saluomque* atque incolumem.
2 Iterum *triumphans* in urbem Romam red[i]it.

1. Traditur *bello*.

Ex tabula Mummii.

5 DUCTU, AUSPICIO IMPERIOQUE EJUS *Achaja* CAPTA.
1 *Corinto* DELETO ROMAM REDIEIT TRIUMPHANS.
4 HANC AEDEM ET SIGNU HERC(U)LIS *Victoris* IMPERATOR.

Ex Appii Sententiis.

1 *Amicum* cum vides, obliscere miserias,
1 *Inimicis* si es commentus, nec libens aeque.

Ex Livii Odyssea.

2 Neque enim te *oblitus* sum, Laertie noster.
5 Quando dies adveniet quem *profata* Morta est.
5 Tumque remos jussit *re*[*l*]*ligare* struppis.
1 *Ibidemque* vir summus, adprimus, Patricoles.
5 Atque escas habe[a]mus *mentionem*....
1 *Celsosque* ocris arüaque putria et mare magnum.
2 ? Namque *nihilum* pejus macerat humanum.
5 ..... topper confringent *inportunae* undae.
1 *Nexabant* multa inter se flexu nodum dubio.
2 Jam in altum *expulsa* lintre.....
2 ? Quoniam *audivi* paucis gavisi.....
1 *Mandisset* impius Cyclops.....
2,4 Carnis *vinumque* quod *libabant* anclabatur.

Ex Naevii Bello Poenico.

5 Exerciti in *ex- -peditionem* ducit.
2 ? Prima *incedit* Cereris Proserpina puer.
1 ? *Ammullus,* gratulabat divis.....
1 *Convenit* regnum simul atque locos ut haberent.
2 Id quoque *paciscunt,* moenia......
4 Quod bruti, nec satis *sardare* queunt.....
2 Deum *adlocutus,* summi deum regis fratrem,
1 *Neptunum* regnatorem marum.....
1 *Conferre* queant ratem aeratam qui peritet.
4 Conferre queant ratem *aeratam* qui peritet.

Ex Naevii epigrammate.

1 *Obliti* sunt Romae loquier lingua latina.

Ex Carmine Priami.

2 Veteres *Casmenas,* cascas res, volo profari.

Aliunde.

1 *Diebus* te quinque calo, Juno Covella.
2 Septem *diebus* te calo, Juno Covella.

1 *Hiberno* puluere, verno luto, grandia farra,
1 *Camille*, metes.....

5 Quasi messor per messim *unumquemque* spicum
1 *Collegit*.....

γ. — Arsis in antepaenultima.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 14 Procat, toleratis *temploque* hanc deducitis. — Naevius ibid. : tragoed. 10 *indigne* exigor patria innocens. 48 ut videam *Volcani* opera haec flammis fieri flora. Com. 10 *Potioremque* habui libertatem multo quam pecuniam. 60 Pol haud *parasitorum* aliorum simile est. 74 Quanto *libertatem* hanc hic superat seruitus. 78 Ali dat anulum *spectandum*, et a labris alium invocat. 81 utrubi *cenaturi* estis, hicine an in triclinio? — Plautus in Trinummo : act. 1 sc. 1 vers. 2 Inmoene est facinus verum in *aetate* utile. 7 Ita *plerique* omnes jam sunt intermortui. 1,2,141 Qui emisset ejus *essetne* ea pecunia? 178 Ego de eorum verbis *famigeratorum* insciens. 185 *Occlusioremque* habeant stultiloquentiam. 81 *Mentire* edepol, gnate, atque id nunc facis haud consuetudine. 90 An eo *egestatem* ei tolerabis si quid ab illo acceperis ?

Exempla in saturniis nostris :

Ex tabula Regilli.

Inspectante ipso Antiocho, exercitu omni.

Ex Naevii Bello Poenico.

?........ *amborum* uxores.

Fortasse in carmine fratrum Arvalium *triumpe* secunda correpta pronuntiandum est :

TRIŬMPE *triŭmpe triŭmpe*
TRIŬMPE *triŭmpe* [*triŭmpe*].

δ. — Arsis in quarta ab exitu syllaba.

Plautus in Trinummo : 2,2,52 Praeterea *aliquantum* animi causa in deliciis disperdidit. 91 Eo pater. Pol ego istam volo me *rationem* edoceas. Licet.

Hujus arsis exempla in saturniis nostris desunt.

E. — Voces anapaesticae.

Voces anapaesticae (vel quae tribrachum efficiunt; vide supra p. 89) arsin recipere possunt in ultima, in paenultima, in antepaenultima syllaba; praeterea, si ultima synaloepham patitur, possunt stare extra arsin.

α. — Arsis in ultima.

Poetae scenici : Livius Andronicus in altera Ribbeckii editione : trag. 35 Haud ut quem Chiro in Pelio *docuit* ocri. — Naevius ibid. : tragoed. 36 Ignotae *iteris* sumus, tute scis. 40 Oderunt di *homines* injuros. Egone an ille injurie. 56 *Dubii* faventem per fretum introcurrimus. 57 Diabathra in *pedibus* habebat, erat amictus epicroco. Comoed. 26[1] Neque admodum a *pueris* abscessit neque admodum adulescentulust. 43 *utinam* nasum abstulisset mordicus. 49 *animae* pauxillulum in me habet. 55 *Edepol* Cupido. 93 Domos patres patriam ut colatis potius quam *peregri* probra. 114 Tantum ibi molae *crepitum* faciebant, tintinnabant compedes. — Plautus in Trinummo : act. 1 sc. 1 v. 13 *Faciunt* pars hominum quam id quod prosint pluribus. 1,2,25 *Habeas* ut nanctu's, nota mala res optuma est. 1,2,166 Atque egomet

me adeo cum illis una *ibidem* traho. 174 Non flocci faciunt dum illud quod *lubeat* sciant. 2,2,24 Meum *animum* tibi seruitutem seruire aequom censui. 29 Tu si *animum* vicisti potius quam animus te est quod gaudeas. 52 Nihil istorum. Quid igitur? Per comitatem *edepol* pater. 67 Ne *pigeat* fecisse, ut potius pudeat si non feceris. 76 Non *edepol* tibi pernegare possum quidquam quod velis. 2,3,7 Suae senectuti acriorem *hiemem* parat.

Saturniorum arses quinque primae eam speciem admittunt; in sexta arsi exempla desunt.

Arses prima et secunda[1].

Ex vaticiniis.

Vomicam quae gentium venit [ea] longe.
Cum[e] *populus* dederit ex publico partem.
Qui jus *populo* plebeique [is] dabit summum.

Sacraque patria, quorum ob cura missa

Ex elogio Calatini.

Populi primarium fuisse virum.

Ex elogiis Scipionum.

Subigit OMNE LOUCANAM OPSIDESQUE ABDOUCIT

Facile FACTEIS SUPERASES GLORIAM MAJORUM

Quantam *statuam* faciet [tibi] populus romanus?

Ex tabula incerta.

Magnum *numerum* triumphat hostibus devictis.

Ex tabula Gracchi.

Iterum triumphans in urbem Romam red[i]it.

Ex dedicatione Vertulejorum.

Decuma FACTA POLOUCTA LEIBEREIS LUBENTES.

1. In secunda arsi habes exempla caesurae Korschianae (infra I, II, 4).

Ex Livii Odyssea.

Igitur demum Ulixi cor frixit prae pavore.
Utrum *genua* amploctens virginem oraret.
? Namque *nihilum* pejus macerat homonem.
? *Quoniam* audivi paucis gavisi....
Deque *manibus* dextrabus....

Ex Naevii Bello Poenico.

Inerant signa expressa quo modo Titani.
Simul *alius* aliunde rumitant inter se.
Multi *alii* e Troja strenui viri.
Multa *alia* in isdem inserinuntur.
Redeunt, referunt petita rumore secundo.

Ex Naevii epigrammate.

Itaque postquam est Orci traditus thesauro.

Ex Carmine Priami.

Veteres Casmenas, cascas res, volo profari.

Arsis tertia.

Ex vaticinio.

Hoc si recte *facitis* [1], gaudebitis semper
? Fietque res *melior*, nam is divus exstinguet.
Cum[e] populus *dederit* ex publico partem.

Ex elogio Africani.

Quantam statuam *faciet* [tibi] populus romanus ?

Ex Livii Odyssea.

Igitur demum *Ulixi* cor frixit prae pavore.

Ex Naevii Bello Poenico.

? Prima incedit *Cereris* Proserpina puer.
? Vicissatim *volüi* victoriam....

Arsis quarta.

Ex Naevii epigrammate.

Obliti sunt Romae *loquier* lingua latina.

1. Traditur *facietis*.

Ex tabula Regilli.

Inter .... *Ephesum*, Samum Chiumque.

Verba quae dicebantur die Meditrinaliorum.

? Vetus novum[1] bibo, *veteri* novo[2] medeor.

Arsis quinta[3].

Ex elogiis Scipionum.

DEDET TEMPESTATEBUS AIDE *mereto*.....

?Quantam statuam faciet [tibi] *populus* romanus?

Ex tabula Regilli.

?Classis regis Antiochi ante *Asiae*[4].....

Ex tabula Mummii.

CORINTO DELETO ROMAM *redieit* TRIUMPHANS.

Ex Livii Odyssea.

.. .... cum *socios* nostros.

Ex Naevii Bello Poenico.

? ..... transit *Melitam* Romanus.
..... atque prius *pariet* locusta.

Verba quae dicebantur die Meditrinaliorum.

? Novum vetus[5] bibo, novo *veteri*[6] medeor.

β. — Arsis in paenultima.

Perrara sunt apud poetas scenicos exempla. Naevius in Ribbeckii editione altera : trag. 57 Diabathra in *pedibus* habebat, erat amictus epicroco. Nisi fallor *bus* per arsin

1. Traditur *vetus novum vinum bibo*.
2. Traditur *veteri novo morbo medeor*.
3. Exempla haec sunt caesurae Korschianae (infra I, II, 4).
4. Traditur *antea sic*.
5. Traditur *novum vetus vinum bibo*.
6. Traditur *novo veteri vino morbo medeor*.

producitur, itaque feriendum : |in pedi|bus ha|bebat. Apud Plautum Terentiumque alia sunt exempla, quae difficilius removeas. Sed in saturniis, cum syllaba vocis cujuslibet ultima per arsin produci possit hiatumque cum insequente vocali efficere, nullum ex nostris quidem fragmentis est, in quo opus sit paenultimam brevem vocis trisyllabae ferire. In his igitur sine ulla dubitatione, quamquam Buecheler contra sensit, ultimam nos semper feriri jubemus :

Ex elogiis Scipionum.

Subigit OMNE LOUCANAM OPSIDESQUE ABDOUCIT.

Facile FACTEIS SUPERASES GLORIAM MAJORUM.

Ex Livii Odyssea.

Utrum *genua* amploctens virginem oraret.
Deque *manibu'* dextrabus .....

Ex Naevii Bello Poenico.

Multa *alia* in isdem inserinuntur.

Ex Naevii epigrammate.

Itaque postquam est Orci traditus thesauro.

γ. — Arsis in antepaenultima.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 1 Si malos imitabo tum tu *pretium* pro noxa dabis. 7 Jamne *oculos specie* laetavisti optabili ? 19 *etiam minitas?* mitte ea quae tua sunt magis quam mea. 36 *Mulier* quisquis es te *volumus*. 41 Quinquertiones praeco in *medium* provocat. Naevius ibid : tragoed. 3 Omnes formidant *homines* ejus valentiam. 4 Contempla *placide* formam et *faciem* virginis. 9 Quin ut quisque est *meritus* praesens *pretium* pro factis ferat. 13 *sonitu* claro fulgorivit Juppiter. 16 Tunc ipsos adoriant ne qui hinc Spartam *referat* nuntium. Com. 35 Ubi vidi exanimabiliter *timidus pedibus protinam* me dedi. 93 Domos patres patriam ut colatis *potius* quam peregri probra.

136 *animum* amore capitali compleverunt. — Plautus in Trinummi prologo : 5 Deducam si quidem *operam* dare promittitis. 12 Adulescens quidam est qui in hisce *habitat* aedibus. 14 Quoniam ei qui me *aleret* nil video esse relicui. 71 Senes qui huc *venient* i rem vobis aperient. Ibid. act. 1 sc. 1 vers. 1 Amicum castigare ob *meritam* noxiam Inmoene est *facinus* verum in aetate utile. 13 Faciunt pars *hominum* quam id quod prosint pluribus. 16 Remoramque *faciunt* rei privatae et publicae. 1,2,4 Teque ut quam primum possit *videam* emortuam. 140 An ego *alium dominum paterer fieri* hisce aedibus? 2,2,27 Si *animus hominem pepulit* actum est, *animo* seruit non sibi. 81 *Agedum* eloquere quid dare illi nunc vis? Nil quicquam pater.

In saturniis talis anapaestus frequens est in tertia sextaque sede, haud rarus in quarta, in reliquis vix reperitur.

Arses tertia et sexta.

Ex vaticiniis.

Ex terra frugifera, piscibus atque *avibus*.

Decemviri graeco ritu hostiis *faciant*.
? Fietque res *melior*, nam is divus exstinguet.

Ex elogiis Scipionum.

MORS PERFECIT TUA UT ESSENT OMNIA *brevia*.
QUA RE LUBENS TE IN *gremiu*, SCIPIO, RECIPIT.
QUA RE LUBENS TE IN GREMIU, SCIPIO, *recipit*.

? AETATE QUOM *pariia* POSIDET HOC SAXSUM.

Ex titulo Caecilii.

BENE REM GERAS ET *valeas*, DORMIAS SINE QURA.

Ex titulo Atistiae.

QUOJUS (CORPORIS) RELIQUIAE QUOD *superant* SUNT IN HOC....

Ex tabula Regilli.

Equitatu elephantisque cum omnibus *sociis*.
Ejus rei ergo aedem *Laribus* Permarinis vovit.

Ex tabula Gracchi.

Iterum triumphans in urbem Romam *redi[i]t.*
Cujus rei ergo hanc *tabulam* Jovi dedit donum.

Ex dedicatione Vertulejorum.

DONU DANUNT HERC(O)LEI MAXSUME *merctо.*

Ex Appii Sententiis.

?......... qui *animi* compotem esse
Ne quid fraudis stuprique ferocia *pariat.*

Ex Livii Odyssea.

Matrem [meam] *procitum* plurimi venerunt.
?Ibidemque vir summus, adprimus, *Patroclus.*
?Simul ac *lacrimas* de ore noegeo detersit.
Nexabant multa inter se flexu nodum *dubio.*
Nam divina Monetas filia *docuit.*
.... inferus an *superus.*
Topper facit *homines* ut [p]rius fuerunt.

Ex Naevii Bello Poenico.

Silüicolae *homines* bellique inertes.
Plerique omnes *subigunt* sub suum judicium.
Magnum stuprum *populo* fieri per gentis.

Arsis quarta.

Ex vaticinio.

?Vestros qui campos pascunt *placide* perdvelles.

Ex tabula Gracchi.

[Ductu] imperio auspicioque *legio* exercitusque.

Ex Appii Sententiis.

?........ qui *animi* compotem esse.

Ex Livii Odyssea.

Celsosque ocris arüaque *putria* et mare magnum.

Ex Naevii Bello Poenico.

Eï venit in mentem *hominum* fortunas.

Summe deum regnator, *quianam* [me] genuisti?
Flentes ambae, abeuntes *lacrimis* cum multis.

Arses prima, secunda, quinta.

Ex Livii Odyssea.

2 ?... *quoniam* audivi paucis gavisi.

Ex Naevii Bello Poenico.

5 ?Exercitu insulam integram urit, *populat*[1], vastat.

Ex Carmine Priami.

1 Et *Pri*[*a*]*mum*. .....

Verba legati.

1 Tum *patriae* compotem me numquam siris esse

δ. — Voces anapaesticae extra arsin.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 26 Ego *puerum* interea[d] ancillae subdam lactantem meae. — Naevius ibidem : trag. 10 indigne exigor *patria* innocens. 65 Vos qui accolitis Histrum *fluvium* atque algidam. Com. 2 Hujus autem gnatus dicitur *geminum* alterum. 93 Domos patres *patriam* ut colatis potius quam peregri probra. — Plautus in Trinummi prologo : 14 *Quoniam* ei qui me aleret nil *video* esse relicui. Ibid. act. 1 sc. 2 vers. 16 Omnibus amicis quod mihi est *cupio* esse item. 47 Jovi coronam de *capite* ex Capitolio. 2,2,25 Utrum *itane* esse mavelit ut eum animus aequom censeat. 72 Scio *equidem* istuc ita solere fieri, verum gnate mi. 77 Cui egestatem tolerare vis? *loquere* audacter patri. 100 Historiam *veterem* atque antiquam haec mea senectus sustinet. 2,4,70 Si illi congestae sint *epulae* a cluentibus. 134 *Alii* exsulatum abierunt *alii* emortui.

1. Traditur *populatur*.

In fragmentis nostris haec species reperitur in anacrusi atque in thesibus primi, secundi et quarti pedis :

Ex elogiis Scipionum.

4 ? DEDET TEMPESTATEBUS AIDE *mereto*... ...
0 QUEI *apice* INSIGNE DIALIS FLAMINIS GESISTEI.

Ex tabula Regilli.

4 ? Classis regis Antiochi ante *Asiae*... .

Ex Livii Odyssea.

1 ? Utrum *genua* amploctens virginem oraret.
0 ? *Quoniam* audivi paucis gavisi.......

Ex Naevii Bello Poenico.

1 ? Multi *alii* e Troja strenui viri.
2 [Ut] septimum *decimum* annum ilico sed[er]ent.

F. — Voces in anapaestum exeuntes.

Hae voces (id est, quae in verum anapaestum desinunt et quae in tribrachum; vide supra p. 89) extra arsin stare non possunt; arsin admittunt in ultima, antepaenultima, quarta ab exitu syllaba; nam in paenultima exempla omnino deficiunt.

α. — Arsis in ultima syllaba.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 26 Ego puerum *interea*[*d*] ancillae subdam lactantem meae. Naevius ibid. : trag. 25 Agitatis ite actutum in *frundiferos* locos. 46 Pallis *patagiis* crocotis malacis mortualibus. Com. 14 Secus si umquam quicquam feci *carnificem* cedo. — Plautus in Trinummo : 1,2,38 Omnibus amicis morbum tu *incuties* gravem. 147 Ego me fecisse *confiteor*, Megaronides. 2,2,39 Benefacta benefactis aliis *pertegito* ne perpluant. 50 Publicisne

affinis fuit an *maritumis* negotiis? 89 Tu modo ne me *prohibeas* accipere si quid det mihi. 91 Eo pater. Pol ego istam volo me rationem *edoceas*. Licet. 100 *Historiam* veterem atque antiquam haec mea senectus sustinet. 2,4,54 Qui condicionem hanc *repudies?* nam illum tibi. 75 Et quod illi placeat *praeripiam* potissimum. 3,1,11 *Flagitium* quidem hercle fiet nisi dos dabitur virgini.

Saturnius hanc speciem recipere non potest in arsibus prima et quarta; in sexta arsi exempla deficiunt; in secunda, tertia et quinta haec habemus[1] :

Ex carmine Arvalium.

2 ? NE *velueris*[2], MARMARS, INCURRERE IN PLEORIS.

Ex tabula Regilli.

5 Ea pugna pugnata rex *Antiochus* regnumque.

Ex tabula Gracchi.

5 Populi romani...... *Sardiniam* subegit.

Ex Livii Odyssea.

5 .... vecorde et *malefica* vacerra.
5 ?....... vestis pulla, *purpurea*, ampla.

Ex Naevii Bello Poenico.

2 *Silüicolae* homines bellique inertes.
2 *Reconciliat* captivos plurimos idem.
5 Noctu Trojad exibant *capitibus* opertis.
2 ? Apud *emporium* in campo, hostium pro moene.

Ex carmine rusticorum.

3 ? Hiberno *pulüere*, verno luto, grandia farra.

β. — Arsis in antepaenultima.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 3 Accensa et praeda per *participes* aequiter.

1. In secunda arsi et in quinta habes exempla caesurae Korschianae infra I, II. 4.

2. Traditur *uelueruemarmarsinsincurrere*.

23 Obsecro te *Anciale* matri ne quid tuae advorsus fuas. 37 Quo *Castalia* per struices saxeas lapsu accidit. — Naevius ibid.: trag. 14 numquam hodie *effugies* quin mea Manu moriare. 16 Tunc ipsos *adoriant* ne qui hinc Spartam referat nuntium. 26 *Ingenio* arbusta... 35 *Thyrsigerae* Bacchae Bacchico cum schemate. 65 Vos qui *accolitis* Histrum fluvium atque algidam. Com. 1 *Acontizomenus* fabula est prime proba. 35 Ubi vidi *exanimabiliter* timidus pedibus protinam me dedi. — Plautus in Trinummo : prol. 11 *Accipite* et date vocivas auris dum eloquor. Ibid. 1,1,3 Et *conducibile*, nam ego amicum hodie meum Concastigabo pro *commerita* noxia. 9 Quasi herba *inrigua* succrevere uberrume. 1,2,7 *Adgrediar* hominem. Quoja hic vox prope me sonat? 1,2,98 Nec qui *deterior* esset faceres copiam. 164 Neque *confidentiloquius* neque perjurius. 2,2,68 De magnis *divitiis* si quid demas, plus fit an minus? 85 Eo non multa quae ne vult *eveniunt* nisi fictor malust. 89 Tu modo ne me prohibeas *accipere* si quid det mihi.

In saturniis nostris admittunt hanc speciem frequenter sedes tertia et sexta, raro secunda et quarta, numquam prima et quinta.

Arses tertia et sexta.

Ex carminibus Saliorum.

Cume tonas, *Leucetie*, praï tet tremonti.

Ex vaticinio.

Amnem, Trojugena, fuge Cannam, ne te *alienigenae*
?Manus cogant in campo Diomedis *conserere*.
Ex terra *frugifera*, piscibus atque avibus.

Ex elogio P. Scipionis.

HONOS, FAMA VIRTUSQUE, GLORIA ATQUE *ingenium*.

Ex titulo Caecilii.

HOC EST FACTUM MONUMENTUM MAARCO *Caicilio*.

Ex tabula Regilli.

Classis regis *Antiochi* ante Asiae....
Inspectante ipso *Antiocho*, exercitu omni.

Ex Appii Sententiis.

Amicum cum vides, obliscere *miserias*.

Ex Livii Odyssea.

Quando dies *adveniet* quem profata Morta est.
[Aut] in Pylum *adveniens* aut ibi ommentans.
? Ibidemque vir summus, adprimus, *Patricoles*.
Celsosque ocris *ariaque* putria et mare magnum.

Ex Naevii Bello Poenico.

Runcus atque *Purpureus*, filii Terras.
Virum praetor *adveniens* auspicat auspicium.
Virum praetor adveniens auspicat *auspicium*.
Plerique omnes subigunt sub suum *judicium*.

Arses secunda et quarta.

Ex vaticinio.

Amnem, *Trojugena*, fuge Cannam, ne te alienigenae.
Campum *milliaque* multa occisa tua.

Ex Livii Odyssea.

[Venit] *Mercurius* cumque eo filius Latonas.

Ex Naevii Bello Poenico.

..... Manius *Valerius* consul partem.

γ. — Arsis in quarta ab exitu syllaba.

Poetae scenici : Naevius in Ribbeckii editione altera : trag. 57 *Diabathra* in pedibus habebat, erat amictus epicroco. — Plautus in Trinummo : prol. 8 Primum mihi Plautus nomen *Luxuriae* indidit. 2,2,22 Pro *ingenio* ego me liberum esse ratus sum, pro inperio tuo. 2,2,34 Neu noctu irem obambulatum neu suum *adimerem* alteri.

52 *Praeterea* aliquantum animi causa in deliciis disperdidit. 63 *Deserere* illum et dejuvare in rebus adversis pudet. 175 Di fortunabunt vostra *consilia*. Ita volo. 3,2,39 Pernovi equidem, Lesbonice, ingenium tuum *ingenuum* admodum. 77 Mea opera hinc proterritum te meaque *avaritia* autument. 83 Quid tibi interpellatio aut in *consilium* huc accessio est?

In saturniis haec species non reperitur nisi in prima sede et fortasse in quinta.

Ex tabulis Regilli, Gracchi, Mummii.

Ductu[1] *auspicio* imperio felicitate ejus.

[Ductu] *imperio* auspicioque legio exercitusque.

DUCTU *auspicio* IMPERIOQUE EJUS ACHAJA CAPTA.

Ex Livii Odyssea.

? . . . . vestis pulla, *purpurea*, ampla.

Ex Naevii Bello Poenico.

? Apud *emporium* in campo, hostium pro moene.

G. — Voces quae creticum (vel dactylum) efficiunt aut exeunt in creticum (vel dactylum).

Hae voces extra arsin stare non possunt. Recipiunt arsin aut in ultima[2] aut in antepaenultima : nam paenultimae exempla apud poetas scenicos rara sunt neque fere extra primum versuum iambicorum pedem reperiuntur[3], in saturniis nostris omnino desunt[4]. Arsis autem in antepaenultima

1. Traditur *Auspicio imperio felicitate ductuque ejus.*

2. Ultima si arsin recipit, tunc antepaenultima quoque feritur; sed hunc priorem ictum consulto hic neglexímus.

3. Sic Naevius in Ribbeckii editione altera, com. 66 : *Desine* socri tuo, fratri patrueli meo.

4. Nisi in uno versu ex Ap. Claudii Caeci Sententiis *obliviscere* quis servare malit quam emendare *obliscere* :

Amicum cum vides, ob|livi|scere mi|serias.

positae duae sunt species, prout ultima synaloepham patiente pes trochaeus est, vel synaloepha non facta dactylus.

α. — Arsis in ultima.

Poetae scenici: Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera: trag. 10 in sedes *conlocat* se regias. 11 Clutemestra juxtim, *tertias* natae occupant. 12 se in terram *saucius* fligit cadens. 34 namque *Taenari* celsos ocris. 35 Haud ut quem Chiro in *Pelio* docuit ocri. — Naevius ibidem: tragoed. 5 *Excidit* orationis omnis confidentia. 10 indigne *exigor* patria innocens. 24 Vos qui regalis *corporis* custodias. 35 Thyrsigerae Bacchae *Bacchico* cum schemate. — Plautus in Trinummo : 1,1,8 Sed dum illi aegrotant *interim* mores mali. 1,2,69 Fuitne hic tibi amicus *Charmides*? Est et fuit. 76 Mihi commendavit *virginem* gnatam suam. 84 In eandem tute *accederes* infamiam, Malumque ut ejus cum tuo *misceres* malo. 2,2,25 Utrum itane esse *mavelit* ut eum animus aequum censeat. 35 Ne tibi *aegritudinem*, pater, parerem parsi sedulo. 87 Vitae agundae esse *expetit* sed hic admodum adulescentulust. 88 Non aetate verum ingenio *apiscitur* sapientia. 2,4,1 Minus *quindecim* dies sunt cum pro hisce aedibus.

In saturnio versu syllaba talis vocis ultima neque primum neque quartum ictum accipere potest, exemplaque sub sexto ictu deficiunt.

Contra in tertia sede, id est ante caesuram, exempla reperiuntur plus viginti :

Ex vaticiniis.

Ferisque quae *incolunt* terras, iis fuat esca.

Vomicam quae *gentium* venit [ea] longe.
Quotannis *comiter* Apollini fiant.
Privati uti *conferant* pro se atque suis.

? Quamvis †*moventium* dvonum negumate.

Quandoque *Hispania* princeps dominusque rerum.

Ex elogio Calatini.

..... *plurimae* consentiunt gentes.

Ex elogiis Scipionum.

HONC OINO *ploirume* COSENTIONT R.....
HEC CEPIT *Corsica* ALERIAQUE URBE.....
DEDET *Tempestatebus* AIDE MERETO.....

MAGNA *sapientia* MULTASQUE VIRTUTES.

Ex titulo Quinctii.

Ut[i] Titus *Quinctius* dictator...
Trientem *tertium* pondo coronam...

Ex tabula Gracchi.

In ea *provincia* caesa hostium aut capta.
Re *felicissime* gesta ...
... *vectigalibus* ... restitutis.

Ex Livii Odyssea.

.... *affatim* edi, bibi, lusi.
Mandisset *impius* Cyclops .....

Ex Naevii Bello Poenico.

Trojam urbem *liquerit* .....
Sin illos *deserant* fortissimos viros.

Verba legati.

Tum patriae *compotem* me numquam siris esse.

Ex carmine rusticorum.

? Hiberno *pulvere*, verno luto, grandia farra.

In altero distichorum versu.

Ex elogio L. Scipionis, Barbati f.

DVONORO *optumo* FUISE VIRO.

Ex elogio Calatini.

Populi *primarium* fuisse virum.

Atque in secunda quintaque sede ingens exemplorum est multitudo[1] :

Ex carmine Arvalium.

? .... *incurrere in* PLEORIS.
? SATUR FU, FERE MAR[MAR]S .... *ensali* STA BERBER.

Ex vaticiniis.

Ex terra frugifera; *piscibus* atque avibus.
Caro tua, nam mihi ita *Juppiter* fatust.

Hostem, Romani, si ex agro *pellere* vultis.
Apollini vovendos censeo ludos.
Apollini vovendos *censeo* ludos.
Quotannis comiter *Apollini* fiant.
..... populus dederit ex *publico* partem.
Iis ludis faciendis *praeerit* praetor.
Decemviri graeco ritu hostiis faciant.
Decemviri graeco ritu *hostiis* faciant.
Hoc si recte facitis *gaudebitis* semper.

Ne *ninculus* mederi queat.....

Cave in mare manare suo *flumine* siris.
Tum tu insiste audax *hostium* muris.
Memor, quam per tot annos *obsides* urbem.
Victoriam datam; düello perfecto
Ea in[du]staurata ut *assolet* facito.

Ex elogiis Calatini et Scipionum.

... plurimae *consentiunt gentes.*

HONC OINO PLOIRUME *cosentiont* R....
LUCIOM SCIPIONE *filios* BARBATI.

Cornelius LUCIUS SCIPIO BARBATUS.
CORNELIUS LUCIUS *Scipio* BARBATUS.
QUOJUS FORMA VIRTUTEI *parisuma* FUIT.
Taurasia CISAUNA SAMNIO CEPIT.
TAURASIA CISAUNA *Samnio* CEPIT.

QUEI APICE INSIGNE DIALIS *flaminis* GESISTEI.
MORS PERFECIT TUA UT ESSENT *omnia* BREVIA.
QUIBUS SEI IN LONGA LICUISET TIBE *utier* VITA,
FACILE FACTEIS SUPERASES *gloriam* MAJORUM.
QUA RE LUBENS TE IN GREMIU, *Scipio*, RECIPIT
TERRA, PUBLI, PROGNATUM *Publio*, CORNELI.

1. Exempla haec sunt caesurae Korschianae (infra I, II, 4).

AETATE QUOM PARUA *posidet* HOC SAXSUM.

Ex elogio incerto.

Summas opes qui regum *regias* refregit.

Ex titulo Caecilii.

BENE REM GERAS ET VALEAS, *dormias* SINE QURA.

Ex tabula Glabrionis.

Fundit fugat, prosternit *maximas* legiones.

Ex tabula incerta.

Magnum numerum triumphat *hostibus* devictis.

Ex tabula Regilli.

?Inspectante ipso Antiocho, *exercitu* omni,
Equitatu elephantisque, cum *omnibus* sociis.
Dvello magno dirimendo, *regibus* subigendis.

Ex tabula Gracchi.

?In ea provincia caesa *hostium* aut capta.
Plenissimum praeda domum reportavit.

Ex dedicatione Vertulejorum.

?QUOD RE SUA DIFEIDENS *aspere* AFLEICTA.
DECUMA FACTA POLOUCTA, *leibereis* LUBENTES
DONU DANUNT HERC(O)LEI *maxsume* MERETO.

Ex Appii Sententiis.

?.... qui animi *compotem* esse,
Ne quid fraudis stuprique *ferocia* pariat.
Amicum cum vides *obli(vi)scere* miserias.

Ex Livii Odyssea.

Virum mihi, Camena, *insece* versutum.
? Pater noster, Saturni *filie* ....
Neque enim te oblitus sum, *Laertie* noster.
Argenteo polubro, aureo et glutro.
?Argenteo polubro, *aureo* et glutro.
Tuque mihi narrato *omnia* disertim.
Matrem [meam] procitum *plurimi* venerunt.
Partim errant, nequinont *Graeciam* redire.
Apud nympham Atlantis *filiam* Calypsonem.
? Utrum genua amploctens *virginem* oraret.
Ibi manens sedeto *donicum* videbis.
Simul ac lacrimas de ore *noegeo* detersit.

Namque nihilum pejus *macerat* homonem.
[Venit] Mercurius cumque eo *filius* Latonas.
Nam divina Monetas *filia* docuit.
. . . . *inferus* an superus
? Tibi deus fer[eba]t *funera* Ulixes?
Topper citi ad aedis *venimus* Circae.
At celer hasta (volans) perrumpit *pectora* ferro.

Ex Livii carmine in Junonem reginam.

Sancta puer, Saturni *filia*, regina.

Ex Naevii Bello Poenico.

? Inerant signa expressa, *quomodo* Titani,
  Bicorpores Gigantes magnique Atlantes,
Runcus atque Purpureus, *filii* Terras.
  Exerciti in ex- -peditionem ducit.
Multi alii e Troja *strenui* viri.
Jamque ejus mentem fortuna *fecerat* quietem.
Prima incedit Cereris *Proserpina* puer,
Deinde pollens sagittis *inclitus* Arquitenens
Sanctus Jove prognatus *Putius* Apollo.
Irque susum ad caelum *sustulit* suum rex.
Sacra in mensa Penatium *ordine* ponuntur.
  In *auream*[1] molabat victimam pulcram.
In auream[1] molabat *victimam* pulcram.
..... simul *atrocia* porricerent.
  Victoribus danunt .....
  Rem *hostium* concinnat.....
? Vicissatim volui *victoriam* .....
Virum praetor adveniens *auspicat* auspicium.
Censent eo venturum *obviam* Poenum.
  [Ut] *septimum* decimum annum ilico sed[er]ent.
[Ut] septimum decimum annum *ilico* sed[er]ent.
  Superbiter contemptim conterit legiones.
Superbiter contemptim *conterit* legiones.
? Id quoque paciscunt, *moenia*....
Reconciliat captivos *plurimos* idem.
Sicilienses paciscit *obsides* ut reddant.
Fames acer augescit *hostibus* .....
Honerariae honustae stabant in flustris.
Ferunt pulcras creterras, *aureas* lepistas.
Magni metus tumultus *pectora* possidit.
Novem Jovis concordes *filiae* sorores.

1. Traditur *immolabat auream*.

? Patrem suum supremum *optumum* appellat.
Scapos atque verbenas *sagmina* sumpserunt.
Seseque ii perire *mavolunt* ibidem.
Simul alius aliunde *rumitant* inter se.
Sin illos deserant *fortissimos* viros
Magnum stuprum populo *fieri* per gentis.
Apud emporium in campo, *hostium* pro moene.

Ex Cn. Naevii epigrammate.

Flerent divae Camenae *Naevium* poetam.
Itaque postquam est Orci *traditus* thesauro.

Versus Metellorum.

Dabunt malum Metelli *Naevio* poetae.

β. — Arsis in antepaenultima, synaloepha ultimae facta.

Poetae scenici : Livius Andronicus in Ribbeckii editione altera : trag. 30 Florem anc[u]labant *Liberi* ex carchesiis. 38 *lacteam* immulgens opem. — Naevius ibidem : trag. 11 *fulmine* icit Juppiter. 44 Namque *ludere* ut laetantis inter se[se] vidimus Propter amnem, aquam creterris *sumere* ex fonte... Com. 1 Acontizomenus *fabula* est prime proba. 8 Quasi *dedita* opera quae ego volo ea tu non vis, quae ego nolo ea cupis. 49 animae *pauxillulum* in me habet. 81 utrubi cenaturi estis *hicine* an in triclinio? — Plautus in Trinummo : 1,2,3 Bona fausta felix *fortunataque* evenat. 18 Vivit *victuraque* est. Bene hercle nuntias. 28 Nam ego *dedita* opera huc ad te venio. 39 Ut te videre *audireque* aegroti sient. 45 Suspitio est in *pectore* alieno sita. 66 Haec cum *audio* in te dici discrucior miser. 2,2,22 Pro ingenio ego me *liberum* esse ratus sum pro imperio tuo. 87 Vitae agundae esse expetit, sed hic *admodum* adulescentulust. 101 Verum ego quando te et amicitiam et *gratiam* in nostram domum. 111 Non *optuma* haec sunt neque ut ego aequum censeo. — Terentius in Phormione sic adhibuit terminationes dactylicas (nam de creticis taceo) quinque et quadraginta locis.

In saturniis nostris pauca sunt exempla certa. Nam in plerisque hiari potest, ut ultima ictum accipiat ; *exercitu*

apud Naevium ex emendatione est; pro *Penatium* apud eumdem multi legere volunt *Penatum* (quamquam *Penatium* tuentur *integram* in alio Naevii versu, *millia* in tabula Gracchi, ne de *ritu* loquar, in caesura synaloepham patientia); atque in pluribus fragmentis frustula tantum versuum habemus. Omnia tamen sive dubia sive certiora exempla subjunximus, adscripto arsium numero:

Ex carmine Arvalium.

4 ?.......... *incurrere* IN PLEORIS.

Ex elogio P. Scipionis P. f.

4 HONOS FAMA VIRTUSQUE *gloria* ATQUE INGENIUM.

Ex titulo Atistiae.

4 FUIT... UXOR MIHEI, *femina* OP(I)TUMA VEIXSIT.

Ex tabula Gracchi.

4 ?In ea provincia caesa *hostium* aut capta.
3 Supra octoginta *milia*.....
4 ?*Exercitum*... saluomque atque incolumem.

Ex dedicatione Vertulejorum.

4 ?QUOD RE SUA DIFEIDENS *aspere* AFLEICTA.

Ex Appii Sententiis.

5 ?... qui animi *compotem* esse.

Ex Livii Odyssea.

4 ?Pater noster, Saturni *filie*.....
4 ?Argenteo polubro, *aureo* et glutro.
4 ?Utrum genua amploctens *virginem* oraret.

Ex Naevii Bello Poenico.

3 Sacra in mensa *Penatium* ordine ponuntur.
1,2,3 *Exercitu(s) insulam integram* urit, populat, vastat.
4 ?Vicissatim volui *victoriam*....
4 ?Id quoque paciscunt, *moenia*.....
4 ?Patrem suum supremum *optumum* appellat.

Ex carmine incerto.

4 Cum victor Lemno classem *Doricam* appulisset.

γ. — Arsis in antepaenultima, absque ultimae synaloepha.

Poetas scenicos apertissimum est a dactylis refugisse quos una vox vel vocis terminatio efficeret, ut *omnia*, praece *re*. Terentius exempli gratia, ut supra p. 88 dictum est, tales voces quadragies quinquies in Phormione ita admisit, ut syllaba ultima synaloepham pateretur; at in eadem comoedia ne semel quidem dactylus terminatione dactylica efficitur[1]. Tamen apud Plautum legimus Amph. prol. 55 Comoedia ut sit *omnibus* isdem versibus. Rud. 4,3,86 Estne hic *vidulus* ubi cistellam tuam inesse ajebas? Is est. Stich. 1,2,57 *Omnibus* os obturent ne quis merito male dicat sibi. Poen. 4,2,83 *Omnia* memoras, quo id facilius fiat manu eas adserat. Trin. 5,2,3 Nam exaedificavisset me ex his *aedibus* absque te foret. Aliaque similia sunt exempla[2]. Sed quisquis Plautinam fabulam in manibus sumet atque per se ipse tales locos quaeret, non poterit quin summam eorum raritatem miretur, fateaturque poetam consulto alias formas elegisse[3].

In saturniis unum est exemplum ex titulo aetatis inferioris ceterum corrupto, in Atistiae *panario* illo insculpto :

FUIT... UXOR MIHEI, FEMINA *op(i)tuma* VEIXSIT.

1. Nam 3,2,43 recte Lachmann ad Lucretium p. 116 *decipi* pro *decipis* emendavit.

2. Vide Geppert, *Plautinische Studien* 1 p. 139 ss.

3. In Asinariae Plautinae prologo v. 11, *Demophilus scripsit, Macc[i]us vortit barbare*, legere quidam volunt *Măcius*, ne vox dactylica pedis trochaici locum obtineat. Sic nuper et Ussing in editione Plauti I p. 353 (Havniæ 1875) post Buechelerum (Neue Jahrbuecher fuer Philologie XCVII p. 217). Sed sive *Maccius* sive *Macius* scribes (illud autem melius quam hoc, quia prologus, ut videtur, ea aetate conscriptus est qua jam omnes scriptores litteras consonantes geminare didicerant), tamen *Macciu'* pronuntiandum erit, sicut in senatus consulto de Bacchanalibus *Dvellonai* effere debes pro *Dvelonai*, *habuisse* pro *habuise*, *Baccanalibus* pro *Bacanalibus*. — Nihil tamen hoc ad Plautum priscosque poetas scenicos : rationem, si cui placet, ab auctore prologi repetat.

Alterum est in carmine rusticorum, quod plerique ab saturnia poesi abjudicaverunt:

Hiberno puluere, verno luto, *grandia* farra.

Nos *exercitu* scribentes exemplum Naevianum removimus *Exercitus insulam integram.* In vaticinio de ludis Apollini vovendis sic primum scripseramus:

Hoc si recte facietis *gav*[*ī*]*debiti'* semper;

quod rejecimus, ubi clare intelleximus omnes ejus vaticinii versus paenultima thesi carere.

LIBER ALTER

DE RE METRICA

§ 1. — De arsi.

Saturnii arses aut longae sunt aut solutae. Id est, aut ex singulis syllabis productis constant aut ex binis correptis. Utraque arsis forma in omnibus sedibus reperitur ; ubique arsis longa frequentior est quam soluta.

Nonnumquam constat arsis soluta ex brevi breviante et longa breviata, ut in tertia arsi *mihĭ*, *eunt*, fortasse *sagĭttis*, in quarta *queat*, *pari*suma, *tibe* utier, *tuas*, *Jovi*, *duae*, *quod in* bello, *fero*cia, *dies*, *male*fica, *Proser*pina, *deum*, *marum*, *salus*, fortasse *domum*, *calo*, in secunda *queant*, *metes*, in quinta *queunt*, in prima fortasse *diu*. — Tamen in *eunt*, *dies* similibusque vocibus etiam synizesis fieri potest, ut arsis non solvatur.

Arsium longarum exempla afferre non utile est. Haec sunt exempla arsium solutarum :

A. — Arses hemistichiorum ultimae.

In hemistichio priore.

Ex carminibus Saliorum.

Cume tonas, Leu*cetie*, praï tet tremonti.

Ex vaticinio.

Amnem, Trojugena, *fuge* Cannam, ne te alienigenae.
Sed neque credes tu *mihi,* donec compleris sangui.
Ex terra fru*gife*ra, piscibus atque avibus.
Caro tua, nam *mihi i*ta Juppiter fatust.

Ex elogiis Scipionum.

QUA RE LUBENS TE IN *gremiu*, SCIPIO, RECIPIT.

? AETATE QUOM *parüa* POSIDET HOC SAXSUM.

Ex titulo Caecilii.

Noctu *Tro*jad exibant capitibus opertis.
Flentes *am*bae, abeuntes lacrimis cum multis.
Ferunt *pul*chras creterras, aureas lepistas.
Scapos *at*que verbenas sagmina sumpserunt.
Sin il*los* deserant fortissimos viros.
?Cum tu *ar*quitenens sagittis pollens Dea[na].

Naevii epigramma.

Immor*ta*les mortales si foret fas flere,

★ Hic lectio immutata

Flerent *di*vae Camenae Naevium poetam :
Itaque *post*quam est Orci traditus thesauro,
Obli*ti* sunt Romae loquier lingua latina.

Ex carmine incerto.

Cum vi*ctor* Lemno classem Doricam appulisset.

Aliunde.

Terra *pe*stem teneto, salus hic[e] maneto.
Hiber*no* puluere, verno luto, grandia farra.
Tum patri*ae* compotem me numquam siris esse.

In hemistichio altero.

Ex carminibus Saliorum.

? Divum em pa cante, divum *deo* supplicate.

Ex vaticiniis.

Amnem, Trojugena, fuge Cannam, *ne* te alienigenae
*Manus cogant in campo Dio*me*dis conserere.
Sed neque credes tu mihi, donec *com*pleris sangui.
Campum, milliaque* multa oc*ci*sa· tua
.... deferet amnis in *pon*tum· magnum.

Privati uti conferant pro se *at*que· suis
Vestros* qui campos pascunt placi*de* per·dvelles.

.... ri*vis* ex·stingues.
Ex ea tibi, his quae nunc pan*dun*tur· fatis,
Victoriam datam; *düel*lo* per·fecto.
Sacraque patria, quorum ob* *cu*ra· missa.

Ex elogio Africani.

Quantam columnam, quae res tuas *ge*stas loquatur?

Ex titulo Caecilii.

HOC EST FACTUM MONUMENTUM MAAR*CO* CAI·CILIO.

Ex titulo Quinctii.

Jovis pater atque divi o*mnes* hoc dederunt.

Ex tabula Regilli.

Caput patrandae pacis haec *pu*gna exeunti.

* Hic lectio immutata.

Ex tabula Gracchi.

[Ductu], imperio auspicioque legio *ex*ercitusque.
Iterum triumphans in ur*bem* Romam red[i]it.

Ex tabula Mummii.

OB HASCE RES BENE GESTAS, QUOD IN *bel*LO· VORAT*.

Ex dedicatione Vertulejorum.

? PARENS TIMENS HEIC VOVIT, VO*to* HOC SOLUTO.
SEMOL TE ORANT, SE VOTI CRE*bro* CON·DEMNES.

Ex Appii Sententiis.

?....... qui ani*mi* compotem esse.

Ex Livii Odyssea.

Ibidemque vir summus, ad*pri*mus, Patricoles.
? Igitur demum Ulixi cor fri*xit* prae pavore.
Quamde mare saevum ; vir[es] et *cui* sunt· magnae,
...... topper confringent in*por*tunae· undae.
Nexabant multa inter se fle*xu* nodum* dubio.
? Quoniam audivi, paucis ga*vi*si....
? At celer hasta volans perrum*pit* pectora ferro.
Carnis, vinumque quod liba*bant*, anclabatur.

Ex Naevii Bello Poenico.

Eorum sectam sequuntur mul*ti* mor·tales.
Ibi foras cum auro il*li*[*n*]*c* ex·ibant.
Bicorpores Gigantes ma*gni*que Atlantes.
Silüicolae homines bel*li*que inertes.
.... ex auro ve*stem*que citrosam.
Cum tu arquitenens sagittis pol*lens* De·a[na].
? Blande et docte percontat, Ae*nes* quo· pacto.
? Ammullus ; gratulabat* di*vis*.....
Postquam avem aspexit in *tem*plo An·chisa.
Exercitu insulam integram u*rit*, populat*, vastat.
Ei venit in mentem homi*num* for·tunas.
Honerariae honustae sta*bant* in· flustris.
Magnam domum decoremque di*tem* ve·xarant.
Res divas edicit, prae*di*cit· castus.
.... senex *fre*tus pietati
Deum adlocutus, summi deum *re*gis· fratrem.
Summe deum regnator, quia*nam* [me] genuisti ?

* Hic lectio immutata.

...... am*bo*rum u·xores.
Flentes ambae, abeuntes lacri*mis* cum· multis.
Simul dvona eorum por*tant* ad· navis.
Redeunt, referunt petit*e* ru*mo*re secundo.

Ex Naevii epigrammate.

Obliti sunt Romae loquier *lin*gua latina.

Aliunde.

.... calo, *Ju*no Covella.
Terra pestem teneto, salus *hic*[e] maneto.
Tum patriae compotem me num*quam* siris esse.

Thesis soluta.

In hemistichio priore.

Ex vaticiniis.

Cum[e] *popu*lus[1] dederit ex publico partem,
Privati *uti* conferant pro se atque suis.
Qui jus *popu*lo[1] plebeique [is] dabit summum.

Sacraque *patri*a, quorum ob* cura missa.

Ex elogiis Scipionum.

MAGNA *sapi*ENTIA MULTASQUE VIRTUTES.

Quantam *statu*am faciet [tibi] populus Romanus ?

Ex titulo Eurysacis.

EST HOC *moni*MENTUM......

Ex titulo Quinctii.

Ut[i] *Titus* Quinctius dictator.....

Ex tabula incerta.

Magnum *nume*rum triumphat hostibus devictis.

Ex tabula Regilli.

*Ductu, au*spicio*, imperio, felicitate ejus.
Equitatu *ele*phantisque *cum omnibus sociis.

1. An *poplus*, *poplo* ?

* Hic lectio immutata.

Ex tabula Gracchi.

[Ductu], im*perio* auspicioque legio exercitusque.

Ex tabula Mummii.

DUCTU, AUS*picio* IMPERIOQUE EJUS ACHAJA CAPTA.

Ex Livii Odyssea.

Utrum *genn*a amploctens virginem oraret.
Simul ac *lacri*mas de ore noegeo detersit.

Ex Naevii Bello Poenico.

Multi *ali*i e Troja strenui viri.
? Exer*citus* insulam integram urit, populat*, vastat.
Recon*cili*at captivos plurimos idem.
Simul *ali*us aliunde rumitant inter se.
Apud em*pori*um in campo, hostium pro moene.
Multa *ali*a in isdem inserinuntur.
? Cum tu ar*quite*nens sagittis pollens Dea[na].
Redeunt, *refe*runt petita rumore secundo.

In hemistichio altero.

Ex carminibus Saliorum.

? Divum em pa cante, divum *deo* supplicate.

Ex vaticinio.

Romane, aquam Albanam cave *lacu* contineri.

Ex elogiis Scipionum.

DEDET TEMPESTATEBUS AIDEM *mere*TO[D' VOTAM].

NE QUAIRATIS HONORE, QUEI *minus* SIT MANDATUS.

Quantam statuam faciet [tibi] *popu*lus [1] romanus ?

Ex tabula Regilli.

Ea pugna pugnata rex An*tio*chus regnumque.

Ex tabula Gracchi.

Populi romani...... Sar*dini*am subegit.

* Hic lectio immutata.

1 An *poplus?*

Ex tabula Mummii.

CORINTO DELETO ROMAM *red*IEIT TRIUMPHANS.

Ex Livii Odyssea.

. . . . cum *soc*ios· nostros.

Ex Naevii Bello Poenico.

?. . . . . transit *Mel*itam Romanus.

Aliunde.

Novum vetus* bibo, novo *veteri**· medeor.
Hiberno puluere, verno *luto*, grandia farra.

D. — Anacrusis hemistichii prioris.

Anacrusis brevis.

Ex carminibus Saliorum.

? *Cu*me tonas, Leucetie, praï tet tremonti.

Ex carmine Arvalium.

*Sa*TUR FU . . . . .

Ex vaticiniis.

**Ma*nus cogant in campo Diomedis conserere.
*Fe*risque quae incolunt terras, iis fuat esca
*Ca*ro tua, nam mihi ita Juppiter fatust.

*A*pollini vovendos censeo ludos,
**Quot*annis comiter Apollini fiant
? *Cu*m[e] populus dederit ex publico partem.
*I*is ludis faciendis praeerit praetor.
*De*cemviri graeco ritu hostiis faciant.

*Ma*nu emissam per agros rigabis......
*Me*mor, quam per tot annos obsides urbem.

Ex elogiis Scipionum.

*Du*ONORO OPTUMO FUISE VIRO.

*Ho*NOS, FAMA VIRTUSQUE, GLORIA ATQUE INGENIUM

* Hic lectio immutata.

Is HIC SITUS, QUEI NUNQUAM VICTUS EST VIRTUTEI.

Ex tabula Regilli.

*Ib*ique eo die naves longae.....
*Ca*put patrandae pacis haec pugna exeunti.

Ex tabula Gracchi.

*Su*pra octoginta millia.....

Ex tabula Mummii.

*Co*RINTO DELETO ROMAM REDIEIT TRIUMPHANS;
Ob HASCE RES BENE GESTAS QUOD IN BELLO VORAT*.

Ex dedicatione Vertulejorum.

*Pa*RENS TIMENS HEIC VOVIT, VOTO HOC SOLUTO.
*Se*MOL TE ORANT, SE VOTI CREBRO CONDEMNES.

Ex Appii Sententiis.

*A*micum cum vides, obliscere miserias.

Ex Livii Odyssea.

*Vi*rum mihi, Camena, insece versutum.
*Pa*ter noster, Saturni filie.....
*Me*a puer, quid verbi ex tuo ore ... ?
*A*pud nympham Atlantis filiam Calypsonem.
*U*trum genua amploctens virginem oraret.
*I*bi manens sedeto, donicum videbis.
*Ti*bi deus* fer[eba]t funera, Ulixes.

Ex Naevii Bello Poenico.

**I*bi foras cum auro illinc exibant.
*Bi*corpores Gigantes magnique Atlantes.
*Sa*cra in mensa Penatium ordine ponuntur;
*In** auream molabat victimam pulchram;
?*Rem* hostium concinnat.....
*Vi*cissatim volui victoriam.....
*Vi*rum praetor adveniens auspicat auspicium.
*Su*perbiter contemptim conterit legiones.
*Re*conciliat captivos plurimos idem.
*Si*cilienses paciscit obsides ut reddant.
?*Ei* venit in mentem hominum fortunas.
*Fa*mes acer augescit hostibus.....
*De*um adlocutus, summi deum regis fratrem.

* Hic lectio immutata.

*Fe*runt pulchras creterras, aureas lepistas.
*No*vem Jovis concordes filiae sorores.
*Pa*trem suum supremum optumum appellat
*Si*mul alius aliunde rūmitant inter se.
*Si*mul dvona eorum portant ad navis.
*Si*lüicolae homines belŭque inertes.

Versus Metellorum.

*Da*bŭnt malum Metelli Naevio poetae.

Aliunde.

*No*vum vetus* bibo, novo veteri* medeor.
? *Ca*mille, metes.....

Anacrusis longa.

Ex carminibus Saliorum.

*Di*vum em pa cante, divum deo supplicate.

Ex carmine Arvalium.

*Se*MUNIS ALTERNEI ADVOCAPIT CONCTOS.

Ex vaticiniis.

*A*mnem Trojugena fuge Cannam, ne te alienigenae.
Sed neque credes tu mihi, donec compleris sangui
*Cam*pum, milliaque* multa occisa tua.
Ex terra frugifera, piscibus atque avibus.

*Ho*stem, Romani, si ex agro pellere vultis.
*Pri*vati uti conferant pro se atque suis.
Qui jus populo plebeique [is] dabit summum.
Hoc si recte facitis, gaudebitis semper
*Fi*etque res* melior, nam is divus exstinguet.
**Ve*stros qui campos pascunt placide perdvelles.

Ne ninculus mederi queat....

*Quam*vis... dvonum negumate.

*Ro*mane, aquam Albanam cave lacu contineri.
Tum tu insiste audax hostium muris.
Ex ea tibi, his quae nunc panduntur fatis,
*Vi*ctoriam datam, düello perfecto
*Do*num amplum victor ad mea templa portato.

* Hic lectio immutata.

Ex elogiis Scipionum.

Honc OINO PLOIRUME COSENTIONT R[OMAI].
*Luc*IOM SCIPIONE FILIOS BARBATI;
*Con*SOL, CENSOR, AIDILIS HIC FUET A[PUD VOS];
Hec CEPIT CORSICA ALERIAQUE URBE...

*Cor*NELIUS LUCIUS SCIPIO BARBATUS,
*Gnai*VOD PATRE PROGNATUS, FORTIS VIR SAPIENSQUE,
*Quo*JUS FORMA VIRTUTEI PARISUMA FUIT,
*Con*SOL, CENSOR, AIDILIS QUEI FUIT APUD VOS,
*Tau*RASIA, CISAUNA SAMNIO CEPIT.

Mors PERFECIT TUA UT ESSENT OMNIA BREVIA.
Qua RE LUBENS TE IN GREMIU, SCIPIO, RECIPIT
*Ter*RA, PUBLI, PROGNATUM PUBLIO, CORNELI.

*Ma*GNA SAPIENTIA MULTASQUE VIRTUTES
*Ae*TATE QUOM PARUA POSIDET HOC SAXSUM,
*Quoi*EI VITA DEFECIT, NON HONOS, HONORE.
*An*NOS GNATUS XX IS LOCEIS MANDATUS,
Ne QUAIRATIS HONORE, QUEI MINUS SIT MANDATUS.

*Quan*tam statuam faciet [tibi] populus romanus,
*Quan*tam columnam, quae res tuas gestas loquatur?

Ex elogio incerto.

*Sum*mas opes qui regum regias refregit.

Ex titulo Caecilii.

Hoc EST FACTUM MONUMENTUM MAARCO CAICILIO;
*Hos*PES, GRATUM EST, QUOM APUD MEAS RESTITISTEI SEEDES.

Ex tabula Glabrionis.

*Fun*dit, fugat, prosternit maximas legiones.

Ex tabula incerta.

*Ma*gnum numerum triumphat hostibus devictis.

Ex tabula Regilli.

**Duc*tu, auspicio, imperio, felicitate ejus.
*Clas*sis regis Antiochi .....
*In*ter ... Ephesum, Samum* Chiumque,
*In*spectante ipso Antiocho, exercitu omni.

Ex tabula Gracchi.

Re felicissime gesta .....

* Hic lectio immutata

*Ex*ercitum... saluomque atque incolumem,
*Ple*nissimum praeda domum reportavit.

Ex tabula Mummii.

*Du*CTU, AUSPICIO IMPERIOQUE EJUS ACHAJA CAPTA.
*Han*C AEDEM ET SIGNU HERCLIS* VICTORIS IMPERATOR.

Ex dedicatione Vertulejorum.

Quod RE SUA DIFEIDENS ASPERE AFLEICTA.
*Don*U DANUNT HERCLEI* MAXSUME MERETO.

Ex Appii Sententiis.

Ne quid fraudis stuprique ferocia pariat.

Ex Livii Odyssea.

*Ar*genteo polubro, aureo et glutro.
*Tu*que mihi narrato omnia disertim.
Quae haec daps est? qui festus dies?..........
*Ma*trem [meam] procitum plurimi venerunt.
*Quan*do dies adveniet quem profata Morta est.
*Tum*que remos jussit re[l]ligare struppis.
*At*que escas habe[a]mus mentionem .....
*Par*tim errant, nequinont Graeciam redire.
*Cel*sosque ocris, arŭaque putria, et mare magnum.
Me carpento vehente in domum venisse.
*Nam*que nihilum pejus macerat *homonem
*Quam*de mare saevum .....
*Ne*xabant multa inter se flexu nodum dubio.
Nam divina Monetas filia docuit.
*Top*per facit homines ut [p]rius fuerunt.
*Top*per citi ad aedis venimus Circae.
*Man*disset impius Cyclops.........
At celer hasta perrumpit pectora ferro.
*Car*nis vinumque quod libabant anclabatur.

Ex Livii carmine in Junonem reginam.

*San*cta puer, Saturni filia, regina.

Ex Naevii Bello Poenico.

*Run*cus atque Purpureus, filii Terras.
*Dein*de pollens sagittis inclitus arquitenens.
Cum tu arquitenens sagittis pollens Dea[na].
*Ex*erciti in ex- -peditionem ducit.

* [illegible]

*Mul*ti alii e Troja strenui viri.
*Blan*de et docte percontat, Aenes quo pacto
*Tro*jam urbem liquerit....
*San*ctus Jove prognatus, Putius Apollo.
*Jam*que ejus mentem fortuna fecerat quietem.
*Pri*ma incedit Cereris Proserpina puer.
**Ir*que susum ad caelum sustulit suum rex*.
*Post*quam avem aspexit in templo Anchisa.
*E*xta ministratores..........
*Vi*ctoribus danunt...........
*E*xercitu* insulam integram urit, populat*, vastat.
*Cen*set eo venturum obviam Poenum.
Id quoque paciscunt, moenia.........
*Ma*gnam domum decoremque ditem vexarant.
*Ple*rique omnes subigunt sub suum judicium.
Quod bruti, nec satis sardare queunt....
Res divas edicit, praedicit castus.
*Sum*me deum regnator, quianam [me] genuisti?
*No*ctu Trojad exibant, capitibus opertis,
*Flen*tes ambae, abeuntes lacrimis cum multis.
*Sca*pos atque verbenas sagmina sumpserunt.
*Se*seque ii perire mavolunt ibidem
Quam cum stupro redire ad suos popularis.
Sin illos deserant fortissimos viros,
*Ma*gnum stuprum populo fieri per gentis.
**Mul*ta alia in isdem inserinuntur.
*Ma*gni metus tumultus pectora possidit.
*Ne*ptunum regnatorem marum.......

Ex Naevii epigrammate.

*Im*mortales mortales si foret fas flere,
*Fle*rent divae Camenae Naevium poetam.
*Ob*liti sunt Romae loquier lingua latina.

Ex Carmine Priami et carmine incerto.

Et Pri[a]mum.....
Cum victor Lemno classem Doricam appulisset.

Aliunde.

*Se*ptem diebus *te calo, Juno Covella.
*Ter*ra pestem teneto, salus hic[e] maneto.
*Hi*berno pulvere, verno luto, grandia farra.
Tum patriae compotem me numquam siris esse.

---

* Hic lectio immutata.

Anacrusis soluta.

Ex vaticiniis.

*Vomi*cam quae gentium venit... longe.

? *Cave in* mare manare suo flumine siris*.
*Sacra*que patria, quorum ob* cura missa.

Ex elogiis Calatini et Scipionum.

? *Popu*li[1] primarium fuisse virum.

Dedet TEMPESTATEBUS AIDE MERETO...

*Subi*GIT OMNE LOUCANAM OPSIDESQUE ABDOUCIT.

QUEI *apic*E INSIGNE DIALIS FLAMINIS GESISTEI.
Quibus SE IN LONGA LICUISET TIBE UTIER VITA,
*Faci*LE FACTEIS SUPERASES GLORIAM MAJORUM.

Ex titulo Caecilii.

Bene REM GERAS ET VALEAS, DORMIAS SINE QURA.

Ex tabula Regilli.

*Equi*tatu elephantisque, *cum omnibus sociis.
? *Ea* pugna pugnata rex Antiochus regnumque.
? *Duel*lo magno dirimendo, regibus subigendis.
? *Ejus* rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.

Ex tabula Gracchi.

? *Popu*li[1] Romani..... Sardiniam subegit;
*In e*a provincia caesa hostium aut capta.
*Ite*rum triumphans in urbem Romam re di[i]t,
? *Cujus* rei ergo hanc tabulam Jovi dedit* donum.

Ex dedicatione Vertulejorum.

*Decu*MA FACTA POLOUCTA LEIBEREIS LUBENTES.

Ex Appii Sententiis.

*Ini*micis si es commentus, nec libens aeque.

Ex Livii Odyssea.

*Neque e*nim te oblitus sum, Laertie noster.
*Ibi*demque vir summus, adprimus, Patricoles.

* Hic lectio inmutata.

1. An *popli*?

Igitur demum Ulixi cor frixit prae pavore.
Quoniam audivi, paucis gavisi . . .

Ex Naevii Bello Punico.

Eorum sectam sequuntur multi mortales.
Inerant signa expressa, quo modo Titani,
[illegible] homines [illegible] in [illegible].
Apud emporium in campo, hostium pro moene
[illegible], referunt pedes [illegible].

Ex Naevii epigrammate.

Itaque postquam est Orci traditus thesauro.

Ex Carmine Priami.

Veteres Casmenas, cascam rem, volo profari.

E. — De anacrusi hemistichii alterius, quam post thesin pedis tertii Buecheler posse existimavit.

Putavit Franciscus Buecheler saturnios versus ita constitui posse, ut non solum deficiente pedis tertii thesi hemistichio alteri anacrusis adderetur, ut:

[illegible]

sed etiam subiungeretur anacrusis thesi: quod si verum esset tales invenire deberemus versus :

Magnam sapientiamque — multasque virtutes.

Sic igitur versus alterum et tertium tabulae Mummianae Buecheler scandere vult :

Corintod deleto — Romam redieit triumphans,
Ob hasce res bene gestas — quod in bello voverat.

« Peccatum, ait, a Ritschelio dormitante », quippe qui, sicut nos in hoc opere fecimus, voci debitos duos arses tribuerit in antepaenultima et in ultima syllaba. Duae igitur quaestiones [illegible] quae Buecheleri opinionem

sustineant: quarum altera est, melius *deleto* in media quam in extremis percuti; altera, re vera post arsin thesinque GE-STAS in lapide etiam anacrusin QUOD exstare. Priori nos quidem ponderis aut parum aut nihil tribuimus; etenim, quid Latine duriusculum sit quid suavius, neque Germanis neque Gallicis auribus recte judicabitur; nec magis a poetis scenicis disci potest, qui versus a saturnio longe dissimiles soliti sunt condere. Nam in scenicis versibus bini pedes, singuli in saturnio metra singula efficiunt (supra p. 10-11, p. 13), itaque in scenicis versibus aliter efferuntur pedes pares, imparesque, uno eodemque modo in saturnio; praeterea quamquam ex versibus scenicis quidam caesuram post arsin habere possunt, tamen numquam ut saturnius habent post arsin tertiam. Sane alteri rationi multo plus inesse videbatur auctoritatis; nosque, etsi per se incredibile erat in uno versu duas deinceps theses poni (nam quod sic in Nibelungorum longis versibus fit diciturve fieri, nihil ad nos), tamen in certis fragmentis primum haesimus, timuimusque ne, quod animus quidem non timide rejiciebat atque respuebat, id vi et quasi violentia veritatis admittere cogeremur. At nobis tum de vi brevium breviantium nondum satis constabat; contra ubi intelleximus *quŏd ĭn bello* nihil habere offensionis, eo tandem devenimus, ut viri doctissimi inventum prorsus repudiaremus. Sed ea rerum species est, ut dubitatio in animo legentium tolli nequeat, nisi sedulo omnia fragmenta percenseantur. Ergo hic versus congessimus, quotquot ad Buecheleranum exemplar non solum videntur feriri debere, sed etiam feriri possunt; qui sunt hi:

Ex carminibus Saliorum.

1 Divum em pa| *cante*, *di*|vum deo supplicate.

Ex carmine Arvalium.

2 ? NE VELUERIS|, *Marmars*, *in*|CURRERE IN PLEORIS[1].

1. Lapis : LVELVERVEMARMARSINSINCVRREREINPLEORI.

Ex vaticiniis.

3 Sed neque credes| *tu mihi* *do*|nec compleris sangui.
4 Caro tua|, *nam mihi* *ita*| Juppiter fatust.

5 Hostem, Romani, si| *ex agro* *ex*|pellere vultis.
6 Cum[e] populus| *dederit* *ex*| publico partem.
7 Hoc si recte faci|*etis* *gau*|debitis semper.
8 Fietque res|*melior*, *nam is*| divus exstinguet.

9 Ne ninculus me|*deri* *que*|at...

10 Romane, aquam Al|*banam* *ca*|ve lacu contineri.
11 Cave in mare ma|*nare* *suo*| flumine siris.
12 Ex ea tibi|, *his quae* *nunc*| panduntur fatis.
13 Ea in[du]stau|*rata* *ut*| assolet facito.

Ex elogiis Scipionum.

14 QUOJUS FORMA VIR|*tutei* *pa*|RISUMA FUIT.

15 QUIBUS SEI IN LONGA LICU|*iset* *tibe*| UTIER VITA.

16 NE QUAIRATIS HO|*nore* *quei*| MINUS SIT MANDATUS.

17 Quantam statuam| *faciet* [*ti*|bi] populus romanus,
18 Quantam columnam|, *quae res* *tu*|as gestas loquatur?

Ex tabula Regilli.

19 Ductu auspicio im|*perio* *fe*|licitate ejus.
20 Inspectante ipso An|*tiocho*, *ex*|ercitu omni.
21 ......|*captae* *du*|ae quadraginta.
22 Ea pugna pu|*gnata* *rex*| Antiochus regnumque.

Ex tabula Gracchi.

23 Plenissimum| *praeda* *do*|mum reportavit.
24 Cujus rei ergo hanc| *tabulam* *Jo*|vi dedit donum.

Ex tabula Mummii.

25 CORINTO DE|*leto* *Ro*|MAM REDIEIT TRIUMPHANS.
26 OB HASCE RES BENE| *gestas* *quod*| IN BELLO VO(VE)RAT.
27 HANC AEDEM ET SIGNU| *Herc(u)lis* *Vi*|CTORIS IMPERATOR.

Ex Appii Sententiis.

28 Ne quid fraudis stu|*prique* *fe*|rocia pariat.

Ex Livii Odyssea.

29 Mea puer quid| *verbi ex* *tuo*| ore...
30 Neque enim te obli|*tus sum*, *La*|ertie noster.

31 Quae haec daps est, qui| *festus* *di*|es....
32 Igitur demum U|*lixi* *cor*| frixit prae pavore.
33 Nexabant multa in|*ter se* *fle*|xu nodorum dubio.
34 ... Mercurius|, *cumque* *eo*| filius Latonas.

Ex Naevii Bello Poenico.

35 Prima incedit| *Cereris* *Pro*|serpina puer.
36 Exercitu(s) insulam| *integram* *u*|rit, populatur, vastat.
37 Vicissatim| *volui* *vi*|ctoriam.....
38 Deum adlocutus|, *summi* *de*|um regis fratrem.
39 Neptunum regna|*torem* *ma*|rum .....
40 Qui ... mare su|*dantes* *e*|unt atque sedentes.

Ex Naevii epigrammate.

41 Obliti sunt| *Romae* *loqui*|er lingua latina.

Aliunde.

42 Diebus te| *quinque* *ca*|lo, Juno Covella.
43 Septem die|*bus te* *ca*|lo, Juno Covella.
44 Terra pestem te|*neto*, *sa*|lus hic[e] maneto.

Nunc eos versus singillatim inspiciemus. Praeterquam quod nonnulli ex emendatione sunt constituti (2.5.13.17. 19.20.24) plerique absque regula Buecheleri scandentur, modo concesseris in terminatione tertio ictu feriri posse voces spondiacas (1.2.21.23.27.37.41.42), vel in spondeum exeuntes (10.11.22.25.37), vel anapaesticas (6.8.17. 24.32.35.37), vel in anapaestum exeuntes (19), eodem ictu feriri posse monosyllaba (12.30.43) prioremque syllabam vocum iambicarum (3.4), in caesura hiari (29) et synaloepham fieri (13.20.34.36). Illa vero doctrina de *brevibus breviantibus*, de qua supra p. 26 ss., minima difficultate excusantur versus 9.10.11.13.14.15.16.18. 21.22.23.24.26.31.32.34.35.38.39.40.42.43.44 : nam cur non in saturniis *marŭm* ut apud Plautum *virŭm*, cur non *parĭssuma* ut apud Plautum *simĭllumae*? Jam igitur perpauci restant versus in quibus haerere possimus :

7 Hoc si recte facietis gaudebitis semper.
28 Ne quid fraudis stuprique ferocia pariat.
33 Nexabant multa inter se flexu nodorum dubio.
36 Exercitu(s) insulam integram urit populatur vastat.

In 36 necesse est aliquid immutare (ut *populat* pro *populatur*); nam quis credet thesin tertii pedis novamque anacrusin tam arte conjungi in recitando, ut synaloepha fiat? In 33 fatemur emendationem a nobis comprobatam *nodum* esse incertam ; sed nihil prohibet quin sic legamus :

......ne|xabant| multa in|ter se
Fle|xu no|dorum| dubio|.........

In 7 ergo et in 28 solis impedimur. Nam cum ante Appii versum legatur *qui animi compotem esse*, minime dubium est quin a voce *Ne* versus incipiat ; pariter in vaticinio distinctio versuum certa est. At in utroque de ipsis vocibus vix dubitari potest aut de ordine vocum (nam *si hoc* pro *hoc si* nemo sani judicii proposuerit); nisi quod his, a quibus Livius Macrobiusque vaticinium sumpserunt, propter insequens futurum *gaudebitis*, proclive fuit *facietis* pro *facitis* scribere ; quod pravum fuit, cum in praesens tempus a vate Romani jubeantur (*conferant*, *faciant*, non *conferunto, faciunto*) aeque atque in futurum, contra in futurum tantummodo (*gaudebitis*) res prosperae promittantur. Reposito igitur *facitis* abit Buechelerana anacrusis in thesin tertii pedis. Appii autem saturnium supra p. 37 ita legi jussimus, ut in *ferocia* secunda syllaba, quamquam natura producta, vi brevis breviantis corriperetur. Nam, puto, potius vetustissimo omnium Latinorum poetarum libertas inusitatior concedenda est, quam propter unum ejus poetae fragmentum lex per se veri dissimillima etiam aetati inferiori tribuenda.

§ 3. — De caesura.

Caesuram nos et pro *caesura* et pro *dihaeresi* promiscue dicimus ; quo enim plura nomina praeter necessitatem adhibentur, eo sane scriptor doctior videri potest, at quae scribit intellectu fiunt difficiliora.

Caesura plerumque post tertii pedis thesin locatur; exempla afferre inutile est. Saepe tamen posita est post arsin longam. In uno ex vaticiniis Marcianis non dubitari potest quin caesura post arsin solutam locum habeat; qua forma fortasse etiam Naevius usus est. Semel in tabula triumphali Regilli post arsin solutam syllaba prioris hemistichii ultima synaloepham patitur ante alterius hemistichii anacrusin. Caesurae post arsin exempla haec sunt :

Caesura post arsin longam.

Ex carminibus Saliorum.

Divum em pa cante, divum deo supplicate.

Ex carmine Arvalium.

.... INCURRERE IN PLEORIS.
? SATUR FU, FERE MARS, LIMEN SALI, STA BERBER.

Ex vaticiniis.

Ferisque quae incolunt terras, iis fuat esca.

? Hostem, Romani, si ex- agro -pellere[1] vultis,
Vomicam quae gentium venit [ea] longe.
Quotannis comiter Apollini fiant;
Cum[e] populus dederit ex publico partem,
Privati uti conferant pro se atque suis.
Hoc si recte facitis[2] gaudebitis semper.
Fietque res[3] melior, nam is divus exstinguet.

? Quamvis †moventium dvonum negumate.

Romane, aquam Albanam cave lacu contineri.
Manu emissam per agros rigabis [rivis rite].
Victoriam datam, [4]düello perfecto.
Ea[5] in[du]staurata, ut assolet, facito.

Ex elogiis Calatini et Scipionum.

..... plurimae consentiunt gentes
Populi primarium fuisse virum.

1. T. Livius *si expellere*, Macrobius *si ex agro expellere*.

2. Traditur *facietis*.

3. T. Livius *res vestra melior*, Macrobius *res publica melior*.

4. Traditur *bello*.

5. Traditur *est*.

HONC OINO PLOIRUME COSENTIONT R...
DVONORO OPTUMO FUISE VIRO.
HEC CEPIT CORSICA ALERIAQUE URBE...,
DEDET TEMPESTATEBUS AIDE MERETO...

MAGNA SAPIENTIA MULTASQUE VIRTUTES.

?Quantum statuam faciet [tibi] populus romanus?

Ex titulo Quinctii.

Ut[i] Titus Quinctius dictator.....
? Trientem tertium pondo coronam auri[1].

Ex tabula Regilli.

Ductu[2], auspicio, imperio, felicitate ejus.
Inter ..... Ephesum, Samum Chiumque[3].
Ibique eo die naves longae .....
?Ea pugna pugnata rex Antiochus regnumque.

Ex tabula Gracchi.

... vectigalibus ... restitutis,
? Exercitum... saluomque atque incolumem.
?Plenissimum praeda domum reportavit.
Iterum trium·phans in urbem Romam red[i]it.

Ex tabula Mummii.

CORINTO DELETO ROMAM REDIEIT TRIUMPHANS.
HANC AEDEM ET SIGNU HERCLIS[4] VICTORIS IMPERATOR.

Ex Appii Sententiis.

Amicum cum vides, obliscere miserias.

Ex Livii Odyssea.

Neque enim te oblitus sum, Laertie noster.
?Quae haec daps est? qui festus dies?...
?Igitur demum Ulixi cor frixit prae pavore.
..... vecorde et malefica vacerra.
?At celer hasta volans[5] perrumpit pectora ferro.
Carnis vinumque quod libabant anclabatur.

1. Traditur *auream*.
2. Apud Livium *ductuque* post *felicitate* positum.
3. Traditur *Ephesum Camuchumque*.
4. Lapis *Herculis*.
5. Legendum videtur :

At celer hasta perrumpit pectora ferro.

Ex Naevii Bello Poenico.

..... Manius[1] Valerius consul partem.
Trojam urbem liquere ....
?Prima incedit Cereris Proserpina puer.
..... simul atrocia porricerent.
Victoribus danunt ....
? .... transit Melitam Romanus[2].
Vicissatim volui victoriam.....
Quod bruti, nec satis sardare queunt...
? ... atque prius pariet locusta.
Sin illos deserant fortissimos viros.

Ex Naevii epigrammate.

Obliti sunt Romae loquier lingua latina.

Aliunde.

? Diebus te[3] quinque calo, Juno Covella.
Septem diebus te[3] calo, Juno Covella.

Novum vetus[4] bibo, novo veteri[5] medeor.
Vetus novum[4] bibo, veteri novo[6] medeor.

Hiberno puluere, verno luto, grandia farra.

? Tum patriae compotem me numquam siris esse.

Praeterea versiculus afferendus est ex Naevii Bello Poenico unus, in quo vox composita per caesuram dividitur :

Exerciti in ex- -peditionem ducit.

Caesura post arsin solutam.

Ex vaticinio.

Amnem, Trojugena, fuge Cannam, ne te alienigenae.
? Sed neque credes tu mihi[7] donec compleris sangui[8].

1. Traditur *Marcus*.
2. Legi potest et sic : ... transit Melitam Romanus.
3. Pro *diebus te* bis traditur *dictae*. — Legi potest et sic :

Diebus te· quinque calŏ, Juno Covella.
Septem diebus te calŏ, Juno Covella.

4. Delevi *vinum*.
5. Delevi *vino morbo*.
6. Delevi *morbo*.
7. An *mi* ?
8. Traditur *sanguine*.

Ex tabula Regilli.

Inspectante ipso Antiocho, exercitu omni.

Ex Naevii Bello Poenico.

?Convenit, regnum simul atque locos ut haberent.
?... .... simul atrocia porricerent.

Nulla thesis umquam ita solvitur ut ultimam syllabam vocis polysyllabae contineat (supra p. 54 et 88); ergo caesura in media thesi stare non potest. Noli igitur *prique fe* pro dactylo habere in hoc versu ex Ap. Claudii Caeci Sententiis :

Ne quid fraudis stuprique ferocia pariat.

§ 4. — De caesura Korschiana.

Animadverterunt Weil et Benloew, cum L. Scipioni Barbati filio duplex titulus in sepulcro incisus sit, alter prosa oratione in quo fuisse ille dicatur AIDILES, COSOL, CESOR, alter versibus saturniis in quo CONSOL, CENSOR, AIDILIS, metri gratia poetam ordinem honorum legitimum immutavisse. De qua re fusius disseruit Theodorus Korsch, demonstravitque in utroque hemistichio post secundam arsin omnes poetas libenter dihaeresin, vel, ut nos dicere malumus, caesuram ponere. Id facile perspiciet quisquis catalogos nostros supra in libro I, § 7, p. 101, 116, 125, 131, 133, 139, 145, perlustraverit[1]. — Nota caesuram illam Korschianam ante eas theses locum habere, quae supprimi possunt.

Illa caesura, quam Korschius invenit, carent in hemistichio priore (praeter eos versus qui post tertiam arsin praecipuam caesuram habent, supra p. 208) hi tantummodo :

Ex carmine Arvalium.

SEMUNIS ALTERNEI ADVOCAPIT CONCTOS.

1. Qui vi accentuum in latina poesi nihil non tribuunt, hoc explicare dignentur priusquam sua somnia pro praeclarissimis et minime dubiis inventis haberi postulent.

Ex vaticiniis.

? Campum, milliaque multa[1] occisa tua.
Ex terra frugifera, piscibus atque avibus.

? Hostem, Romani, si ex agro pellere vultis.
? Vestros qui campos pascunt placide perdvelles[2].

Donum amplum victor ad mea templa portato.

Ex elogiis Scipionum.

LUCIOM SCIPIONE FILIOS BARBATI.

Quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur?

Ex titulo Quinctii.

Jovis pater atque divi omnes hoc dederunt.

Ex titulo Eurysacis.

EST HOC MONIMENTUM MARCEI VERGILEI EURYSACIS.

Ex tabula Regilli.

? Equitatu elephantisque cum omnibus sociis[3].
?..... victa, fusa, contusa, fugata[4] est.
? [Demersae, incensae,] captae duae quadraginta.
Caput patrandae pacis haec pugna exeunti.
Ejus rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.

Ex tabula Gracchi.

[Ductu], imperio auspicioque legio exercitusque.
Supra octoginta milia.....
Iterum triumphans in urbem Romam redi[i]t.

Ex tabula Mummii.

DUCTU, AUSPICIO IMPERIOQUE EJUS ACHAJA CAPTA.

Ex Livii Odyssea.

? Quamde mare saevum; vir[es] et cui sunt magnae.
[Venit] Mercurius cumque eo filius Latonas.
Jam in altum expulsa lintre...
? Quoniam audivi, paucis gavisi....
Carnis vinumque quod libabant anclabatur.

1. Traditur *multaque millia*.
2. Traditur *perduelles uestros, qui uestros campos pascunt placide*.
3. Hic ordo vocum immutatus.
4. Traditur *fugataque*.

Ex Naevii Bello Poenico.

Exta ministratores......
? Exercitu[1] insulam integram urit, populat[2], vastat.
Id quoque paciscunt, moenia....
Res divas edicit, praedicit castus.
Deum adlocutus, summi deum regis fratrem,
Neptunum regnatorem marum....

Ex Carmine Priami et carmine incerto.

Veteres Casmenas, cascas res, volo profari.
Cum victor Lemno classem Doricam appulisset.

Verba pontificum.

Septem diebus te[3] calo, Juno Covella.

Consulto sine dubitatione poetae hunc ordinem verborum elegerunt in his versibus :

Ex elogiis Scipionum.

Consol censor aidilis	*non* Aidilis consol censor.
Gnaivod patre prognatus	*non* Patre prognatus Gnaivod.
Quojus forma virtutei	*non* Quojus virtutei forma.
Subigit omne Loucanam	*non* Loucanam subigit omne.
Facile facteis superases	*non* Superases facile facteis.
Terra Publi prognatum	*non* Prognatum terra Publi.
Quoiei vita defecit	*non* Quoiei defecit vita.

Ex elogio incerto.

Summas opes qui regum	*non* Opes qui regum summas.

Ex titulo Caecilii.

Hoc est factum monumentum	*non* Hoc est monumentum factum.

Ex tabula Glabrionis.

Fundit fugat prosternit	*non* Fugat prosternit fundit.

Ex tabula incerta.

Magnum numerum triumphat	*non* Triumphat magn. numerum.

Ex Appii Sententiis.

Ne quid fraudis stuprique	*non* Fraudis stuprique ne quid.

1. Traditur *exercitus*.
2. Traditur *populatur*.
3. Traditur *septem dictae*.

Ex Livii Odyssea.

Atque escas habe[a]mus	*non* Atque habe[a]mus escas.
Utrum genua amploctens	*non* Utrum amploctens genua.
Nam divina Monetas	*non* Monetas nam divina.

Ex Livii carmine in Junonem reginam.

Sancta puer Saturni	*non* Puer Saturni sancta.

Ex Naevii Bello Poenico.

Eorum sectam sequuntur	*non* Eorum sequuntur sectam.
Inerant signa expressa	*non* Inerant expressa signa.
Runcus atque Purpureus	*non* Purpureus atque Runcus.
Blande et docte percontat	*non* Percontat blande et docte.
Jamque ejus mentem fortuna	*non* Jamque ejus fortuna mentem.
Deinde pollens sagittis	*non* Sagittis deinde pollens.
Censet eo venturum	*non* Eo venturum censet.
Sicilienses paciscit	*non* Paciscit Sicilienses.
Fames acer augescit	*non* Fames augescit acer.
Summe deum regnator	*non* Deum regnator summe.
Noctu Trojad exibant	*non* Exibant noctu Trojad.
Ferunt pulchras creterras	*non* Ferunt creterras pulchras.
Scapos atque verbenas	*non* Verbenas atque scapos.

Ex Naevii epigrammate.

Immortales mortales	*non* Mortales immortales.
Flerent divae Camenae	*non* Camenae divae flerent.

Caesura Korschiana carent in hemistichio altero hi versus :

Ex carminibus Saliorum.

Divum em pa cante, divum deo supplicate.

Ex carmine Arvalium.

SEMUNIS ALTERNEI ADVOCAPIT CONCTOS.

Ex vaticiniis.

Amnem, Trojugena, fuge Cannam, ne te alienigenae.
Sed neque credes tu mihi donec compleris sangui[1].

Fietque res melĭor, nam is divus exstinguet
? Vestros qui campos pascunt placide perdvelles[2].

1 Traditur *sanguine*.

2. Hic ordo vocum immutatus.

? Quamvis †moventium dvonum negumate[1].

? .... postremus dicas, primus taceas.

Romane, aquam Albanam cave lacu contineri.
.... rivis exstingues.
Victoriam datam, dūello perfecto.
Donum amplum victor ad mea templa[2] portato.

Quandoque Hispania princeps dominusque rerum.

Ex elogio L. Scipionis Cn. f. Cn. n.

MAGNA SAPIENTIA MULTASQUE VIRTUTES[3].

Ex titulo Caecilii.

HOC EST FACTUM MONUMENTUM MAARCO CAICILIO.
HOSPES, GRATUM EST QUOM APUD MEAS RESTITISTEI SEEDES.

Ex titulo Atistiae.

FUIT.... UXOR MIHEI, FEMINA OPITUMA VEIXSIT.

Ex titulo Quinctii.

? Trientem tertium pondo coronam auri[4].

Ex tabula Regilli.

? Ductu, auspicio, imperio, felicitate[5] ejus.
...... captae duae quadraginta.
Caput patrandae pacis haec pugna exeunti.
Ejus rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.

Ex tabula Gracchi.

..... imperio auspicioque legio exercitusque.
.... adque liberatis.
.... restitutis.
Plenissimum praeda domum reportavit.

Ex tabula Mummii.

DUCTU, AUSPICIO IMPERIOQUE EJUS ACHAJA CAPTA.
HANC AEDEM ET SIGNU HERC(U)LIS VICTORIS IMPERATOR.

1. An *ne gumate?*
2. An *tempula?*
3. In titulo mutilo C.I.L. I, 37 pariter [.... *Sci-*]*pionem*.
4. Traditur *auream*.
5. Traditur *Auspicio imperio felicitate ductuque ejus*.

Ex dedicatione Vertulejorum.

SEMOL TE ORANT, SE VOTI CREBRO CONDEMNES.

Ex Livii Odyssea.

Quando dies adveniet quem profata Morta est.
Tumque remos jussit re[l]ligare struppis[1].
? Atque escas habe[a]mus mentionem...
? Nexabant multa inter se flexu nodum[2] dubio.
Carnis vinumque quod libabant anclabatur.

Ex Naevii Bello Poenico.

Eorum sectam sequuntur multi mortales.
Ibi foras cum auro illi[n]c exibant.
...... Manius Valerius consul partem
Exerciti in ex- -peditionem ducit.
? ... Ammullus gratulabat[3] divis.
Exercitu[4] insulam integram urit, populat[5], vas
Ei venit in mentem hominum fortunas.
Magnam domum decoremque ditem vexarant.
[Topper s]aevi capesset flammam Volcani.
Multa alia in isdem inserinuntur.

Ex carmine incerto.

Cum victor Lemno classem Doricam appulisset.

Aliunde.

Tum patriae compotem me numquam siris esse.
Hiberno puluere, verno luto, grandia farra.
Quasi messor per messim unumquemque spicum.

In hac versus parte poetae caesuram Korschianam etiam servare malunt quam thesin quarti pedis brevem facere. Sic legimus in elogio Africani et in Naeviano epigrammate :

tuas gestas loquatur	*non* tuas loquatur gestas.
loquier lingua latina	*non* loquier latina lingua.

1. An *jussit*| *religa*|*re*| *struppis ?*
2. Traditur *nodorum*.
3. Traditur *gratulabatur*.
4. Traditur *exercitus*.
5. Traditur *populatur*.

PARS ALTERA

DE VERSIBUS SATURNIIS

LIBER PRIOR

DE TESTIMONIIS

Multorum scriptorum multa fragmenta mox laudaturi debemus lectores monere, non id nos esse conatos ut ipsius Varronis, Festi, Nonii, Macrobii, aliorum, genuinum autographumque textum restitueremus (quod opus illi perficere studeant, qui eorum auctorum editiones parant), verum id ante omnia, ut librorum manu scriptorum lectiones cum omnibus mendis quam maxime serviliter exprimentes subjiceremus oculis. Ne nos igitur quis reprehendere velit, quod virorum doctissimorum, qui emendandis veteribus auctoribus operam navaverunt, optimas saepe easdemque certissimas correctiones aut ignoravisse aut sprevisse videamur : consulto eas, quae ad rem nostram nihil attinebant, ab hoc libro exsulare jussimus; si qua contra nobis usui quodam modo fore visa est, aequum credidimus, priusquam remedium mendi ostenderemus, ipsum mendum ita exhibere ut legentibus apertissimum esset.

§ 1. — De fragmentis quae in lapidibus servata sunt.

Carmen fratrum Arvalium.

Litterae lapidis (vide in proxima pagina tabulam) qui tempore demum imperatoris Elagabali incisus est, saepe lectu difficillimae sunt, ut ex Ritscheliana tabula patet; multa insunt menda, cum modo VELVERVE modo VELVAERVE, modo SINSINCVRRERE modo SERPINCVRRERE, modo PLEORIS modo DLEORES, modo EVREAE modo FVRERE, modo MARMOR modo MAMOR scriptum inveniamus. Multo plus igitur conjectandi arti tribuendum est quam in titulis per lapides servatis fere conceditur. Nos quidem sic putamus esse legendum :

.... libellis acceptis carmen descindentes tripodaverunt in verba haec :

E| nos La|ses ju|vate (*ter*).
[*Sensus* :] E! nos, Lares, juvate!

Ne| velue|ris[1] Mar|mars[2] in|curre|re in| pleoris (*ter*).
[*Sensus* :] Ne volueris, Mars, incurrere in plures.

Sa|tur fu| fere Mar|mars[3] nive[4]| ensa|li, sta... (*ter*).
[*Sensus* :] Satur esto, fere Mars, neve insili, sta...

Se|munis| al|ternei| advo|capit| conctos (*ter*).
[*Sensus* :] Semones alterne advocabit cunctos.

E| nos Mar|mars[5] ju|vato (*ter*).
[*Sensus* :] E! nos, Mars, juvato.

Trium|pe trium|pe tri|umpe (*bis*[6]).
[*Sensus* :] Triumphe! triumphe! triumphe!

1. Lapis *ueluerue*, *ueluaerue*. Nos *velueris* (vel *veluereis*).

2. Lapis *Marmasinsin currere, marmar... nsincurrere, marmar serpincurrere* (vel *sersincurrere*). *Sin* ex errore repetitum existimamus esse.

3. Lapis *Mars*, contrario errore, usitatiore dei substituto nomine.

4. Lapis *limen sali. Nive ensali* Jordan, *Kritische Beitraege zur Geschichte der lateinischen Sprache* p. 203.

5. Lapis *marmor, mamor*.

6. Lapis *triumpe* quinquies tantummodo.

Ritschl, Priscae latinitatis monumenta tab. XXXVI A. Corpus inscriptionum latinarum I n° 28. Jordan, Kritische Beitraege zur Geschichte der lateinischen Sprache p. 192 ex testimonio Alberti Bormann.

///LVSISVCCINCTILIBELLIS.ACCEPTISCARMENDESCINDENTES TRIPODAVERVNTINVERBAHAEC ENOS LASES IVVATE

///NOSLASES IVVATE ENOS LASES IVVATE NEVE LVAERVEMARMASINSIN.CVRREREINDLEORESNEVELVERVEMARMAR

////NSIN CVRREREINPLEORIS NEVELVERVE MARMAR.SERPINCVRREREINPLEORIS[1]S ATVR.EVREAEMARSLIMEN

//////ESTABERBER SATVR.FVFEREMARSIIMEN SALLSTA BERBEAISCV[2]VR FVFEREMARS LIMENSAVISIABERBER

/////VNISALTERNEIADVOCADITCONCTOS SEMUNISALTERNEIADVOCAPITCONCTOS SIMVNISALTTRVIEADVOCAIIT

//////OSENOSMARMORIVVATO ENOSMA[3]... RIVVATO ENOSMAMOR . IVVATOTRIVMPETNVM PETRIVMPETRIVM

///////// MTEPOST TRIPODATIONEMDEINDESIGNORVIPVBLICI . INTROIER ETLIBELLOSACCEPERVNT

Quintilianus 1,4,13 : « nam ut *Valesii*, *Fusii* in *Valerios* *Furios*que venerunt, ita *arbos*, *labos*, » *vapos* etiam et *clamos* ac LASES..... fuerunt. » Terentius Scaurus p. 13, 13 Keil : « Item » †*Furvos* dicimus quos antiqui †*Fuscos*, et *aras* quas illi *asas*, et *Lares* quos †LASSES. »

1. *Pleores* apud Jordan.
2. Prius *v* super *c* incisum.
3. Litterae inter *a* et *r* me quidem judice legi nequeunt.

In *advocapit* (si quidem haec vox genuina est) *p* scriptum est pro *b*, ut *t* pro *d* in *Alixentrom*, *Casentera*, *Catamitus*, *c* pro *g* in *Catamitus, amurca*; ad Martem id futurum referendum est; ideo rursus ille per futurum imperativi supplicatur; quasi per dialogum a singulis viris singuli versus cantantur (ideo carmen dicitur *descindi*). *Semones*, quos Mars advocaturus est, eosdem esse arbitror atque *Lases*.

Nuper de carmine fratrum Arvalium disseruit Jordan (*Kritische Beitraege zur Geschichte der lateinischen Sprache*). Item coram Academia Inscriptionum initio hujus anni Michael Bréal explanationem totius carminis proposuit; sed is metri rationem non habuit; quin a « carmine » ipso, quod fratres Arvales « descindentes » canebant, aliena judicavit verba *semunis alternei advocapit conctos;* quasi prosa oratione ita liceret adjectivum *conctos* a substantivo *semunis* sejungere, qua de re valde dubito. Quod nos vetera novaque interpretamenta taciti modo sequimur modo praetermittimus, hoc mirari noli : nam carminis fratrum Arvalium explicatio volumen requireret integrum.

Elogia Scipionum.

Ritschl, Priscae latinitatis monumenta, tab. XXXVIII E.
Corpus inscriptionum latinarum I n° 32, VI n° 1287.

HONC OINO. PLOIRVME . COSENTIONT.R
DVONORO . OPTVMO.FVISE.VIRO.
LVCIOM.SCIPIONE.FILIOS.BARBATI
CONSOL.CENSOR.AIDILIS.HIC.FVET.A
HEC.CEPIT.CORSICA . ALERIAQVE.VRBE
DEDET.TEMPESTATEBVS.AIDE.MERETO

Incisum est hoc epigramma in sepulcro L. Cornelii Scipionis, L. Barbati f., Cn. n.; ille fuit consul anno ab urbe condita 495, ante Christum natum 259, censor anno post. Versus ipso in titulo more hodierno distincti sunt; integri secundus tertiusque, reliqui fracto lapide mutili. In tertio FILIOS a lapicida, ab ipso carminis auctore potius puto scriptum fuisse FILIO, quod *filium* valeret, ut OINO *unum*, DVONORO *bonorum*, OPTVMO *optumum*, VIRO *virum;* itaque sic interpretare : « Hunc unum plurimi consentiunt, Romae[1] bonorum optimum fuisse virum, Lucium Scipionem filium Barbati. Consul, censor, aedilis hic fuit apud vos (cf. infra p. 228); hic cepit Corsicam Aleriamque urbem..., dedit Tempestatibus aedem merito.... » — Simillimum fuit elogium A. Atilii Calatini, qui consul fuit anno post L. Scipionem uno, scilicet ante Christum natum 258, iterumque anno 254 : hujus viri sepulcrum in via Appia extra portam Capenam haud ita longe a sepulcro Scipionum urbique ut videtur propius exstructum fuit; elogium elogio Scipionis ut tempore et loco proximum ita eodem fere argumento conceptum :

Cicero, Tusculanae quaestiones 1,7,13 : « An tu egres-

1. *Romae*, non *Romani* supple, ubi lapis solam litteram *R* servavit. Cf. apud T. Livium 29,11,6 et 29,14,8 « qui vir optimus *Romae* esset », — « *in tota civitate* virum bonorum optimum esse ». Intellege autem *fuisse Romae*, non *consentiunt Romae*.

» sus porta Capena, quom Calatini, Scipionum[1], Metello-
» rum sepulcra vides, miseros putas illos? » Idem Cicero, De finibus 2,35,116 s. : « ... Non ELOGIA MONUMEN-
» TORUM[2] id significant, velut hoc ad portam UNO CUM[3]
» PLURIMAE CONSENTIUNT GENTES POPULI PRIMARIUM FUISSE
» VIRUM. Idne consensisse de Calatino plurimas gentes ar-
» bitramur, primarium populi fuisse, quod praestantissimus
» fuisset in conficiendis voluptatibus? » Idem Cicero, Cato major 17,61 : « Apex est autem senectutis auctoritas. Quanta
» fuit in L. Caecilio Metello! quanta in ATILIO CALA-
» TINO! in quem illud ELOGIUM : UNICUM PLURIMAE CON-
» SENTIUNT GENTES POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM[4]. No-
» tum est totum carmen[5] incisum in sepulcro. Jure igitur
» gravis, cujus de laudibus omnium esset fama consen-
» tiens. »

Equidem in primis utriusque elogii versibus (nam primos versus laudare Ciceronem satis apparet) disticha saturnia dactylicis similia agnosco, id est, in quibus post alterius versus arses tertiam et sextam omittantur theses. Nam ut feritur distichum dactylicum :

|*Parve, nec*| *invide*|*o,* *sine*| *me, liber*|, *ibis in*| *urbem*|,
|*Ei mihi*|, *quod domi*|*no*( )| *non licet*| *ire tu*|*o*( )|,

1. Ex ordine nominum colligitur sepulcrum Calatini urbi propius stetisse.

2. Litteris quadratis majoribus exprimuntur in hoc Libro Priore eae voces, quae carmina saturnia, auctores, monumenta designant. Litteris quadratis minoribus exprimuntur ipsa carminum saturniorum fragmenta.

3. Madvig in editione tertia : « Codices fide digni : *ad portam uno cum* » (Pall. 1,4,5,6, Davisiani plures, Oxx. χψ, Spir. [B]; Gud. 2 *imo cum*, Pal. 2 » *uno complurimae*); paucissimi *uno cui* (Pal. 3, unus fortasse et alter » Dav., U, ut videtur. Quod vulgo legebatur ante Orellium : *ad portam :* » *Uno ore cui plurimae* cet., nescio a quo editore invectum sit (*ore uno cui* » Junt. Si recte Oxx. notarunt, in Eξ legebatur : *ad portam : ore cui pluri-* » *mae*, sed valde dubito)..... In Catone codices etiam antiquissimi habent : » *Atilio Calatino, in quem illud elogium unicum plurimae consentiunt* » cet. »

4. Codex Parisiensis 6332, quem contuli, fol. 86 r° b *virium* (saec. x).

5. Sic codices Parisiensis 6332, Erfurtensis. *Notum totum est carmen* codices Monacenses 4611 et 15964, Rhenaugiensis 127. *Notum totum carmen est* codex Monacensis 7809. Male *totum* delet Carolus Halm.

ita et saturnia disticha feriri debent :

Honc| oino| ploiru|me co|sentl|ont| R[omai]|
Dvo|noro| optu|mo( )| fūi|se vi|ro( )|.

†U|no cum| pluri|mae con|senti|unt| gentes|
Popu|li pri|mari|um( )| fūis|se vi|rum( )|.

Quin fortasse casu non est factum ut in saturniis distichis, sicuti persaepe in ovidianis, utraque versuum qui syncopam passi sunt hemistichia homoeoteleuto inter se jungerentur; quod talis syncopae quodammodo signum est similiterque reperitur in Horatii asclepiadeis, ut |*Terra*|*rum domi*|nos()| *evehit*| *ad de*|os()|, atque iambicis post archilochios positis, ut *Tra*|*huntque*| *sic*()|cas()| *machi*|*nae ca*|*ri*()|nas()| . — Prima verba in Calatini elogio corrupta sunt, *uno cum* vel *unicum;* hodie vulgo *hunc unum* legere volunt propter illud elogii Corneliani HONC OINO, quamquam intellegi vix potest quo pacto amanuenses in eumdem errorem inciderint et qui libros De Finibus et qui Catonem majorem descripserunt. — Fortasse, qua de re primus Buecheler cogitavit[1], Cicero veteris sermonis formas servaverat (*oino* ergo vel *uno* pro *unum*), sive eas recte intellegebat, sive *uno* pro vetere dativo habens *uno consentiunt* ita interpretabatur : *uni tribuunt consentientes.* Utut igitur est, ille qui carmen conscripsit hoc videtur voluisse : *unum complurimae consentiunt gentes.*

Sed fors quaeres : Si tituli ambo a distichis incipiunt, qui fit ut in elogio Scipionis neque tertius versus et quartus neque quintus et sextus similia disticha efficiant? nam sic feriendi sunt :

3 Lu|cīom| Scipi|one| fili|o(s) Bar|bati.
4 Con|sol, cen|sōr, ai|dili-| hic fu|ēt a|[pud vos],
5 Hec| cepit| Corsi|ca A|leriaque| urbe| [clasid[2]],
6 Dedet| Tempe|state|bus ai|de mere|to[d] votam].

1. Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXXVII (1863) p. 328.

2. *Clasid*, id est *classe*, supplevit Buecheler. Litterae C in lapide vestigium aliquod videtur exstare.

Ibi syncopam versus quartus neque in tertio pede neque in sexto admittit; sextus si in tertio pede admittere credatur *Dedet*| *Tempe*|*state*|*bus*() |, feriendum sit |*aide*| *mereto*|, neque plus una syllaba in sexta sede suppleri possit. Ego etsi quo difficultatem removerem non haberem, nihilominus responderem sine ulla dubitatione syncopam pati tertium pedem in *Dvo*|*noro*| *optu*|*mo*() et *Popu*|*li* *pri*|*mari*|*um*(), immo etiam de sexti pedis syncopa in *fuis*|*se* *vi*|*ro*() vel *fuis*|*se vi*|*rum*() dubitari non posse, sive in *viro* et *virum* corriperetur *i* sive ut apud Naevium (supra p. 85) produci deberet; certam igitur distichorum lectionem esse; quamvis forma carminis concinnior excogitari posset, quam quae ex uno disticho et quattuor versibus singularibus constaret, jure tamen nos negare nequire quod ipsi oculis nostris distincte perspiceremus. Quid autem? illa difficultas levissima videbitur, si nobiscum admiseris epigramma ex duabus partibus esse conflatum. Scilicet distichum vetustius est, versus singulares quattuor sunt recentiores. Poeta, qui carminis componendi negotium suscepit, ex alio elogio distichum integrum exscripsit, neque verba neque pedes immutare ausus vel curans; versus 3,5,6 propter nomina propria ex se ipse non potuit quin fingeret; versum quartum aut itidem finxit aut aliunde excerpsit.

At distichum si poeta alibi scriptum invenit, ubi, inquies, id fuit? Haud longe, puto, a Scipionis nostri sepulcro; nam patris Barbati vetustius epigramma, malo nostro erasum in lapide, duorum versuum, id est unius distichi longitudinem aequabat, sicuti in tabula Ritscheliana primo aspectu manifestum fit; hoc autem epigramma minime dubito quin (praeter forsitan quae rei sunt orthographicae) sic conceptum fuerit :

Honc oino ploirume cosentiont Romai
Dvonoro optumo fuise viro.

Nam id nomen (ut ita dicam), *vir* vel *virum bonorum optimus*, in domo Scipionum hereditarium fuit.

Pomponius enim in Digestis (1,2,2,35-38) vetustissimos urbis Romae juris consultos nominat : 1° Papirium, quem supra § 2 dixit regnante Tarquinio Superbo vixisse ; 2° Ap. Claudium decemvirum ; 3° Appium Claudium Appiae viae conditorem, qui consul annis ante Christum natum 307 et 296 fuit ; 4° « *post eos* » Sempronium cognomine Σοφόν, anno 304 consulem ; 5° *Gaium Scipionem Nasicam*, « *qui optimus a senatu appellatus est*, cui etiam publice domus in Sacra Via data est, quo facilius consuli posset » ; 6° Quintum Mucium, « qui ad Carthaginienses missus legatus, cum essent duae tesserae positae, una pacis altera belli, arbitrio sibi dato utram vellet referret Romam, utramque sustulit et ait Carthaginienses petere debere utram mallent accipere » ; 7° « *post hos* » Ti. Coruncanium, qui consul fuit anno 280. Duplicem hic de temporibus errorem sibi docti videre visi sunt : eadem aetate, qua Sempronius Sophus vixit, atque ante Coruncanii aetatem, a Pomponio duos locatos esse viros, qui re vera multis annis et Sempronio et Coruncanio recentiores fuissent ; praeterea eorum nomina sive ab ipso Pomponio sive ab amanuensibus esse corrupta, nam Gaios Scipiones non fuisse, pro Q. Mucio legendum esse Q. Maximum ; *Publium* illum *Scipionem Nasicam* superioris Africani patruelem hic tangi, qui centum post Sempronium Sophum consulem annis (204) a senatu *vir* (vel *virum*, id est *virorum*) *bonorum optimus* appellatus est[1], cumque eo Q. Fabium Maximum, qui anno 218[2] in sinu togae pacem et bellum Carthaginiensibus portavit.

Nos errorem in praenomine *Gaio* latere facile concedimus ; in reliquis erravisse Pomponium nobis persuadere non possumus. Nam quis fidem hominis doctissimi, Antoninorum aequalis, ita pro nihilo nos habere docebit, ut eum credamus duos clarissimos viros vetustiores fecisse saeculo toto atque integro, quorum nomina in fastis consu-

1. T. Liv. 29,14,8.
2. T. Liv. 21,18,13.

laribus legerentur, qui per se magna fruerentur fama, quique tempore Hannibalis floruissent et in negotiis secundi belli Punici gerendis essent partibus haud parvis functi? Neque (ut primum de Q. Mucio et Q. Maximo agamus) fabulae apud Pomponium Liviumque servatae satis apte inter se conveniunt; Maximus enim Carthaginienses prior eligere jubet, post ipse jussus eligit bellum; contra Mucius jubetur antequam jubeat; Maximus pacem bellumque in sinu togae *portat*, ante Mucium sunt duae tesserae *positae*, quarum unam ad senatum referre debet. Cur igitur Q. Mucium negemus fuisse ante Q. Fabium Maximum? Forsitan ille ex majoribus illorum Muciorum fuit, qui saeculo ante Christum natum altero juris peritissimi habiti sunt. Is (nisi de tesseris deque sinu togae meras fabulas habemus) initio belli Punici primi anno 264, Maximus initio secundi anno 218 Carthaginem missus est, Muciique Maximus tum meminerat. Quod autem Mucius anno 264 Carthaginem missus senior esse debet Coruncanio, qui jam anno 280 fuerat consul, id fortasse animum nostrum minime impediret, si exstarent libri T. Livii de bello Punico primo; sed etiam iis deperditis in tali difficultate haerendum non est.

Nunc redeamus ad Scipionem. Praenomen *Gaius* emendet cui libebit; hoc enim ad nos nihil refert. Agnomen *Nasica* in suspitione est, quia ante Africani patruelem non reperitur; sed quis scit an idem agnomen tamen habuerint ejus majores ejusve cognati? Nam similiter duos cognatos *Scipiones* invenimus *Barbatos* (quod agnomen ut *Nasica* a conformatione faciei ductum), *Publium* anno ante Christum natum 306 dictatorem et *Lucium Cn. f.* anno 298 consulem[1]. Fac autem id omnino certum esse, ante Africani patruelem nullum fuisse Nasicam ; nonne proclivius est agnomen ex T. Livio in Pomponii textum invectum putare[2], quam ipsum

1. Vide Mommsen, *Corpus inscr. latinarum* I p. 12-13.

2. Similiter apud Pomponium in Digestis 1,2,2,2 praenomen invectum est *Sextus* ex 1,2,2,42, cum duo Papirii inter se confunderentur, *Sextus* scilicet atque ille, quem Pomponius 1,2,2,36 *Publium*, Dionysius Halicarnasensis Antiq. 3,36 Γάϊον appellat.

Pomponium erroris turpissimi arguere? Relictis ergo ejus modi argutiis, de nominibus tacendum est, de re ipsa disputandum. Quae res in T. Livii annalibus multo magis miranda videtur multoque incredibilior quam unus et alter scribarum interpolatorumque error. Matrem scilicet deum is ex oraculi responso excipere hospitio debuit, *qui vir optimus Romae esset* (T. Liv. 29,11,6); patres judicaverunt *in tota civitate virum bonorum optimum esse* (29,14,8) non senem auctoritate gravem, non ducem victoriis clarum, non principem senatus, verum *adulescentem nondum quaestorium*; neque homo est qui sciat *id quibus virtutibus inducti ita judicarint* (29,14,9). At, puto, Scipionis parum curabant virtutes; nomen potius respexerunt, quod ille ab avo L. Scipione et, nisi fallor, a proavo Barbato per hereditatem acceperat, *Romae virum bonorum optimum*.

Hanc disputationem ut paucis verbis nunc comprehendam, *Romae vir* vel *virum bonorum optimus* appellatus fuit circa annum 300 ante Christum natum ille Scipio, qui in Digestis *Gaius* et *Nasica* vocatur, quique juris peritissimus fuit; itidem medio saeculo tertio L. Scipio, L. Barbati filius; itidem exeunte saeculo, anno 204, hujus nepos P. Scipio Nasica. Ergo eadem appellatione frui debuit lege Corneliae domus L. Barbatus, eaque in elogio eraso Barbati restituenda est, quod elogium ex uno disticho constabat; denique is, qui Lucii filii elogium confecit, integrum distichum in usum suum convertit.

Ex his apparet, Calatini elogium ad instar titulorum Cornelianorum effictum esse potius quam elogium L. Scipionis ad instar Atiliani.

Ritschl, Priscae latinitatis monumenta, tab. XXXVII B. Corpus inscr. latinarum I n° 30, VI n° 1285.

//

///////////////////////CORNELIVS.LVCIVS.SCIPIO . BARBATVS.GNAIVOD . PATRE

PROGNATVS.FORTIS.VIR SAPIENSQVE—QVOIVS. FORMA.VIRTVTEI.PARISVMA

FVIT — CONSOL. CENSOR.AIDILIS.QVEI . FVIT.APVD.VOS — TAVRASIA.CISAVNA

SAMNIO . CEPIT — SVBIGIT . OMNE . LOVCANAM . OPSIDESQVE . ABDOVCIT

De vetustiore disticho, in lapide eraso, vide supra p. 224. Consul fuit L. Cornelius Cn. f. Scipio Barbatus anno ab urbe condita 456, ante Christum natum 298, censor anno a. C. n. 290; ejus morte recentior titulus erasus, eraso recentior quem habemus. Hunc autem docti etiam recentiorem putant quam elogium L. Scipionis, nostri Barbati filii (supra p. 221), quod anno a. C. n. 258 posterius est. — Ne forte nomina Barbati soluta oratione fuisse scripta putes, vetat ordo gentilicii et praenominis; nam nisi metro cogeretur qui titulum composuit, ponere debebat *L. Cornelius*, ita ut praenomen et nomini gentilicio praeiret et mera nota *L.* indicaretur.

Carmen incisum in sepulcro L. Cornelii Cn. f. Scipionis Barbati sic constitue, ipso lapide duce, in quo lineolis versiculi distinguuntur (vide in opposita pagina tabulam) :

Cor|neli|us Lu|cius| Scipi|o Bar|batus;
Gnai|vod[1] pa|tre pro|gnatus|, fortis| vir sapi|ensque;
Quo|jus for|ma vir|tutei| parisu|ma[2]| fuit;
Con|sol[3], cen|sor, ai|dilis[4]| quei fu|et[5] a|pud vos;
Tau|rasi|a, Ci|sauna[6]|, Samni|o[7]| cepit,
Subi|git o|mne[8] Lou|canam| opsi|desque ab|doucit[9].

Pro *fortis* pronuntiandum est *fortĭ* (supra p. 25). Ea aetate adhuc pronuntiabatur *censōr*, *fuīt* (p. 44), item *Lucīus* (p. 76). In versu tertio lege *fūit*, in quarto potius *fŭit* (p. 78).

Versus alterum, tertium, sextum etiam sic legere posses :

Gnai|vod patre| pro|gnatus| .....

Quojus| forma| vir|tutei| parīsu|ma| fuit.
Quojus| forma| virtu|tei pa|risu|ma| fuit.

Subi|git o|mne| Loucanam| opsi|desque ab|doucit.

Quod ad praesens tempus in *subigit* et *abdoucit* attinet, conferendus est versus ex tabula triumphali incerta :

Magnum numerum *triumphat* hostibus devictis ;

item versus ex tabula triumphali Glabrionis:

Fundit, *fugat*, *prosternit* maximas legiones.

Sic fortasse in tabula Mummiana (infra p. 235) *redit* pro *redieit* scribendum est.

---

1. Id est, *Gnaevo*, *Gnaeo*.
2. Id est, *cujus forma virtuti parissima*.
3. Id est, *consul*.
4. Id est, *aedilis*.
5. Id est, *qui fuit*.
6. Id est, *Taurasiam*, *Cisaunam*.
7. Id est, *Samnium* (vel, ut alii volunt, *in Samnio*).
8. Id est, *omnem*.
9. Id est, *abducit*.

Ritschl, Priscae latinitatis monumenta, tab. XXXIX. Corpus inscriptionum latinarum I n° 33, VI n° 1288.

QVEI.APICEINSIGNE.DIAL////AMINIS.GESISTEI
MORS.PERFE/////TVA.VT.ESSENT.OMNIA
BREVIA. HONOS.FAMA.VIRTVSQVE
GLORIA.ATQVE.IN.GENIVM.QVIBVS.SEI
IN.LONGA.LICV⪞SET.TIBE VTIER.VITA
FACILE.FACTEI⪞SVPERASES.GLORIAM
MAIOR.VM. QVA RE.LVBENS.TE.INGREMIV
SCIPIO.RECIP⪞T. TERRA.PVBLI
PROGNATVM.PVBLIO.CORNELI

Elogium quod statim post mortem P. Scipionis in lapide insculptum est, ut cetera Scipionum elogia, sex non plus constabat versibus. Postea ante versum primum novus versus in spatio angusto minoribus litteris est scriptus. Quod animadvertit primus Franciscus Buecheler, Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXXVII (1863) p. 329 s. Fortasse, ut putavit Andreas Spengel (Philologus XXIII p. 88), etiam serius vox *quei* in initio addita est.

In lapide versus interstitiis distinguuntur. Sic carmen constituito :

[Quei apice| insi|gne[1] Di|alis| flami|nis ge|sistei[2],]
Mors| perfe|cit, tua ut| essent| omni|a| brevia,
Ho|nos, fa|ma vir|tusque|, gloria| atque in|genium.
Quibus sei[3]| in lon|ga licu|iset[4]| tibe[5] uti|er| vita,
Faci|le fa|cteis supe|rases|[6] glori|am ma|jorum.
Qua| re lu|bens te in| gremiu[7]|, Scipi|o|, recipit,
Ter|ra, Pu|bli, pro|gnatum| Publi|o, Cor|neli.

In tertio versu etiam sic legi posset :

Honos|, fama|, vir|tusque ....

1 Id est, *apicem insignem.*
2 Id est, *gessisti.*
3 Id est, *si.*
4 Id est, *licuisset.*
5 Id est, *tibi.*
6 Id est, *factis superasses.*
7 Id est, *gremium.*

In quarto *utier* propter *tibe* corripitur. In ultimis mira verborum collocatio satis superque indicat titulum prosa oratione conceptum non esse. Sic enim intellege : Quare, o P. Corneli Scipio, terra lubens recipit in gremium suum te, prognatum Publio. — Quis hic sit P. Scipio, ignoratur ; fortasse Africani majoris filius. Ipsius Scipionis Africani elogium fuit, nunc deperditum ; duos tantummodo versus inde Trebellius Pollio servavit, qui Ennio tribuit. Vide infra § 11.

Ritschl, Priscae latinitatis monumenta, tab. XLI. Corpus inscriptionum latinarum I n° 34, VI n° 1289.

L.CORNELIVS.CN.F.CN.N.SCIPIO. MAGNA.SAPIENTIA
MVLTASQVE . VIRTVTES . AETATE . QVOM . PARVA
POSIDET.HOC.SAXSVM.QVOIEI.VITA. DEFECIT . NON
HONOS.HONORE.IS.HIC.SITVS. Q V E I.NVNQVAM
VICTVS.EST.VIRTVTEI.A N N O S.GNATVS.XX.IS
L≡≡EIS.MANDATVS .N E . Q VAIR.ATIS . HONORE
QVEI.MINVS.SIT . M A N D///V//

Carmen hoc est (nam in paenultimo versu jam vix dubitatur quin suppleri debeat *loceis*, non *Diteist*[1] vel similia ; in ultimo *mandatus* quamquam parum placet atque a proximo repetitum videtur, tamen quod in ejus locum plerique volunt *mactus* parum fidei habet) :

Ma|gna sapi|enti|a[2] mul|tasque| vir|tutes
Ae|tate| quom[3]| parua[4]| posi|det hoc| saxsum[5],

1. Certo omnis vox rejicienda est, quae thesin antepaenultimam longam efficiat.

2. Id est, *magnam sapientiam*.

3. Id est, *cum*, praepositionis sensu.

4. Illa aetate melius *părŭa* cum *a* correpta quam *parva* dixeris (supra p. 82).

5. Id est, *possidet hoc saxum*.

Quoi|ei[1] vi|ta de|fecit|, non ho|nos, ho|nore[2].
Is| hic si|tus, quei[3]| nunquam| victus| est vir|tutei[4];
An|nos gna|tus vi|ginti| is lo|ceis[5] man|datus :
Ne| quaira|tis ho|nore[6]|, quei[7] minus| sit man|datus.

Minus bene sic legeres :

Is| hic situs|, quei| nunquam ......
An|nos gna|tus| viginti| is.......

At in altero versu de dactylo *posidet*, in sexto de anapaesto quaira*tis hono*re nullo modo cogitari potest.

Ex titulis Scipionum quattuor hic solus est, in quo versus non ipso in lapide distincti sint. Lucius ille Scipio quis sit incertum est.

Exitus saturniorum agnovit Ritschelius in alio titulo, Corp. I.L. I, 37, Priscae latinitatis monumenta tab. XL J.

. . . . S
. . . . PIONEM
. . . . O.AD VEIXEI

Intellege [*Sci*]*pionem*, [*qu*]*oad vixi*.

---

1. Id est, *cui*.

2. Id est, *honori*. Intellege : cui adulescenti, ut honores capesseret, vita defuit, non decus. Buechelero *honore* accusativus est.

3. Id est, *qui*.

4. Id est, *virtute*, casu sexto.

5. Id est, *locis*, loculis, sepulcro.

6. Id est, *quaeratis honorem*.

7. Id est, *qui* (adverbialiter), cur. Nisi intellegas, honorem quem non acceperit.

Dedicatio Sorana fratrum Vertulejorum.

Ritschl, Priscae latinitatis monumenta, tab. LII A. Tafeln zu Friedrich Ritschl's epigraphisch-grammatischen Abhandlungen (Opuscula philologica Band IV), tab. V. Corpus inscriptionum latinarum I n° 1175.

M . P.VERTVLEIEIS.C.F.
QVOD . RE . SVA.D///EIDENS.ASPER
AFLEICTA .PARENS.TIMENS
HEIC . VOVIT . VOTO . H O C
SOLVT////////////CVMA.FACTA
POLOVCTALEIBEREIS . LVBE
TE S DONV . DANVNT.
HERCOLEI. MAXSVME.
MERETO SEMOL.TE
ORANT.SE.//////OTI.CREBRO
C O N D E M N E S

Primae voces prosae orationis sunt; nominativo casu accipi debent (Marcus et Publius Vertuleji, Gai filii), nam nonnumquam terminatio IS, EIS pro ī reperitur; sic infra LEIBEREIS. Sequuntur quinque versus saturnii ipso in lapide distincti; in iis restitue *difeidens*, *asper*[*e*], *soluto*, *decuma*, *lube*[*n*]*tes*, *voti*. Pro *Hercolei* quod metro repugnat aut *Herclei* pronuntiandum est syllabis duabus aut quattuor fortasse *Herecolei;* scilicet primum ex Ἡρακλῆς fieri debuit **Heracoles*, deinde **Herecoles*, postremo *Hercoles* (sic **balaneum*, *balineum*, *balneum*). *Voto* aut cum *hoc* hiatum efficit, ut apud Livium Andronicum *putria* cum *et* (supra p. 71), aut efferre debemus *votod*; illud tamen melius, cum propter omissam in lapide *d* litteram, tum praesertim quia antepaenultima thesis brevis esse solet (supra p. 181); de |*vot'*| *hoc so*|*luto*| cogitare non debemus. Sensus

hic est : Quod re sua diffidens aspere afflicta parens timens hic vovit, voto hoc soluto, decima facta pollucta, liberi libentes donum dant Herculi maxime merito ; simul te, [o Hercules], orant, se voti crebro condemnes :

Quod| re su|a di|feidens| aspe|re a|fleicta
Pa|rens ti|mens heic| vovit|, voto| hoc so|luto,
Decu|ma fa|cta po|loucta|, leibe|reis lu|bentes
Do|nu da|nunt| Herclei| maxsu|me| mereto ;
Se|mol te o|rant, se| voti| crebro| con|demnes.

Sic sed minus recte legere posses :

Quod| re sua| di|feidens| aspere| a|fleicta.
Do|nu da|nunt He|recolei| ....

Recte quod ad sententiam attinet Buecheler comparat titulum Corp. inscr. latin. I, 1290 : ... *d]edit L. Aufidi D[.... de]cuma facta [......]i mer. iterum [......] te orat tu es [.....] deus quei tou[.. ..] pacem petit adjouta.*

Tituli varii.

Ritschl, Priscae latinitatis monumenta, tab. LI A. Tafeln zu Friedrich Ritschl's epigraphisch-grammatischen Abhandlungen (Opuscula philologica Band IV), tab. III. Corpus inscriptionum latinarum I n° 541, VI n° 331.

L . MVMMI . L . F . COS . DVCT
AVSPICIO . IMPERIOQVE
EIVS.ACHAIA.CAPT.CORINTO
DELETO.ROMAM.REDIEIT
TRIVMPHANS.OB . HASCE
RES.BENE.GESTAS.QVOD
IN.BELLO . V O V E R A T
HANC.AEDEM.ET.SIGNV
H E R C V L I S . V I C T O R I S
I M P E R A T O R . D E D I C A T

Consul fuit L. Mummius anno ab urbe condita 608, ante Christum natum 146. Ejus autem tituli jam sermo idem fere est, qui in monumentis aetatis augusteae deprehenditur (nam tunc quoque *redieit* scribi poterat); nota tamen *Corinto deleto* scriptum esse, non *deleta*; mera compendia scripturae sunt *duct* pro *ductu*, *capt* pro *capta*, *signu* pro *signum*. *Corinto* sine adspiratione scriptum veterem scribendi morem repraesentat solum; *triumphans*[1] autem si anno 146 vel proximo incisum est, vetustissimum omnium hoc est exemplum in latinis monumentis adspiratae mutae, nam ut *Bacanal* et *Corintus* ita vulgo scribebant *Aprodisius*, *Delpis*, *Dipilus*, *Menopilus*, *Melerpanta* (Βελλεροφόντης), *Niceporus*, *palerae*, *Pampilus*, *Pilargurus*, *Pilemo*, *Pileros*, *Pilipus*, *Pilodamus*, *Pilolaus*, *Pilomusus*, *Pilonicus*, *Pilotaerus*, *Pilotimus*, *Pilumina*, *Prune*, *Sisipus*, *Stepanus*, *triumpe*, *Trupe*, *Trupo* (quae formae omnes in titulis liberae rei publicae inveniuntur : C.I.L. I p. 600). Atque, ut ani-

1. Haec scripseram, ubi animadverti etiam *Achaja* in nostro titulo adspirationem admittere; cujus formae Ritschelius cum disputaret oblitus est.

madvertit Ritschelius (Opuscula IV p. 90), « primum post » Mummium aspirationis exemplum lex agraria[1] offert in » CORINTHIORVM, quamquam et ibidem CARTAGO legitur et » huic proxima aetas additae *h* litterae exemplum nullum » offert. » Mummii aetate non solum *triumpans*, sed etiam *Hercolis*, non *Herculis* exspectares; magisque placeret *hancc aedem* quam *hanc*, *inperator* quam *imperator*, de quibus rebus praeclaram vide Ritschelii disputationem; admirationemque movet quod neque in *Mummi* neque in *bello* geminatio consonantis omissa est.

Recte igitur Buecheler id carmen « ex antiquiore tabula » descriptum et immutatum » arbitratur, non in genere scripturae modo offendens, sed etiam in metro ; nam nemo adhuc ultimas voces in saturnios justos redigere potuit. Aliter alii, nos sic carmen constituimus, ultimum tantummodo verbum velut versui vel versibus substitutum rejicientes, *vorat* pronuntiantes pro *voverat* et *Herclis* pro *Herculis*[2] (ut in dedicatione Vertulejorum *Herclei* pro *Hercolei*), *ejus* priore correpta, ne thesis quarti pedis impura sit (supra p. 181) neve inter duo vocabula dividatur (p. 54 et 88), *quod in bello* correpta *in* (p. 42) :

Ductu| auspicio| imperi|oque| ejus A|chaja| capta.
Co|rinto| dele|to Ro|mam redi|eit tri|umphans.
Ob| hasce| res bene| gestas| quod in bel|lo| vorat,
Hanc| aedem et| signu Her|clis Vi|ctoris| impe|rator
. . . .

In titulo genuino *Romam redit triumpans* stetisse suspicor. Sic enim quarti pedis thesis pura fit; praesens tempus cum illo *dedicat* apte convenit (at pro *voverat*, *vorat* nihil prohibet quin *vovit* scribamus), eodemque modo intellegi debet atque in elogio Scipionis (supra p. 229)

1. Haec anni est ante Christum natum 111.

2. Haud casu factum videtur, ut scriberetur *ve* in *voverat* et *u* in *Herculis*. Nam in lapide eae voces diductis litteris incisae sunt, cum spatium superesset; contra « odioso operae compendio », ut Buecheler ait, *capt* sine *a* et *duct* sine *u* spatio deficiente scriptum est.

subigit et *abdoucit*, alibi *triumphat*, alibi *fundit*, *fugat*, *prosternit*.

Ritschl, Priscae latinitatis monumenta, tabula LXIX D.
Corpus inscriptionum latinarum I n° 1006.

HOC.EST.FAC.TVM.MONVMENTVM[1]
MAARCO.CAICILIO
HOSPES.GRATVM.EST.QVOM.APVD
MEAS.RESTITISTEI.SEEDES
B.ENE.REM.GERAS.ET.VALEAS
DORMIAS·SINE.QVRA

Distinctis versibus, « litteris saeculi fere septimi » ab urbe condita, in sepulcro hominis ignoti pulcherrimum hoc poematium scriptum est. Nihil est adnotandum praeter scribendi rationis quae Accio placuerat exempla *Maarco* et *seedes*, veteresque formas *Caicilio*, *restitistei*, *qura*. Saturnios sic ferito :

Hoc| est fa|ctum monu|mentum| Maarco| Cai|cilio.
Ho|spes, gratum| est, quom a|pud meas| resti|tistei| seedes.
Bene| rem ge|ras et| valeas|, dormi|as sine| qura.

Ritschl, Priscae latinitatis monumenta, tab. LXXXVIII.

Corpus inscriptionum latinarum I n° 1013.

............M.MARCEI.VERGILEI.EVRYSACIS.PISTORIS.REDEMPTORIS.APPARET.

N° 1014.

EST.HOC.MONIMENTVM.MARCEI.VERGILEI.EVRYSACIS
PISTORIS.REDEMPTORIS.APPARET

N° 1015.

EST.HOC.MONIMENTVM.MARCIVERGILIEVRYSAC....

1. Litterae NT in lapide junctae.

Corpus inscr. latinarum I n° 1016.

FVIT . ATISTIA . VXOR . MIHEI
FEMINA . OPITVMA . VEIXSIT
QVOIVS . CORPORIS . RELIQVIAE
QVOD . SVPERANT . SVNT . IN
H O C . PANARIO

Frustra in his titulis quidam integros saturnios quaesiverunt, miratique sunt exitum versus *panario* productamque praepositionem in *redemptoris*, atque similia somnia excogitavere. Nam propter *rēdux* (id est *rĕd-dux*) minime productio praepositionis ante vocalem admitti potest. Nisi fallimur Eurysaces nullo modo versus veros confecit aut conficiendos sibi curavit[1]; veteres titulorum saturniis conceptorum formas in usum suum convertit; nomina sua et Atistiae ibi infersit, item nomen illius *panarii*, sub quo pistricem pistor defunctam requiescere voluit. Nihil igitur hinc elicere fas est praeter pauca frustula saturniorum.

In ipsius Eurysacis titulo nihil genuini est praeter initium, quod in memoriam titulum revocat M. Caecilii, *Hoc est factum monumentum*... :

Est| hoc moni|mentum|... ....

Atistiae titulus duobus corruptis versibus constat. In priore *Atistiae* pro alio nomine fortasse positum est, ut sic prius exempli gratia steterit versus

Fu|it [*Va*|*leria*] u|xor mihi|, femina| optuma| veixsit;

at vox dactylica *optuma* pro trochaeo stare antiquitus non potuit (supra p. 54, 88, 150); itaque in antiquissima forma exsulare omne nomen debuit :

Fu|it u|xor mihĭ|, femina| optu|ma| veixsit.

Versus alter nimis longus est ; delet Buecheler *quod superant*, ego *corporis* libentius sustulerim. Pro *panario*, quae vox ultima est, aut *monimento* duce Buechelero aut simile quid restituas :

1. Cogitasse tamen de versibus Eurysacem demonstrat praenomen omnibus litteris, *Marcei*, *Margei*, *Marci*, non mera nota *M.* scriptum.

Quojus| reliqui|ae quot| superant| sunt in| hoc se|pulcro.

Frustula versuum recte, ut opinor, agnovit Ritschelius etiam in titulo C.I.L. i, 1018 : QUOIVS FORMAT... VICERVNT MORES FI... (confer versum ex elogio Barbati, supra p. 228, *Quojus forma virtutei parisuma fuit*).

Corpus inscriptionum latinarum I n° 1080.

POMPEIA.ASCLEPIAS.HEIC.SEPVLTA.EST
AMANTISSVMA.SVIS.FIDE.MAXSVMA.PIA

Versus alter ut saturnius feriri potest, dummodo conces-seris *pia* olim priore syllaba producta dictum esse ut *fui*:

Aman|tissu|ma su|is, fide| maxsu|ma|, pia.

Prioris versus exitus itidem in saturnii formam quadrat:

. . . . | heic se|pulta est.

Alia frustula saturniorum dubitans collegit Buecheler, *Index scholarum... per menses aestivos a.* 1876 (Bonnae) p. 10 s. adnot.; inter quae haec ex C.I.L. i, 1071 :

Heis| sunt du|o con|cordes| . . . .,

et haec ex Inscr. regni Neapolitani 3829 :

Ro|go te|, mi vi|ator|, noli| mi no|cere.

Monumentum Ancyranum lat. 2,21 et graec. 5,16. Vide infra, II, ii, 1.

[Corpus inscriptionum latinarum I p. 285. Vide Indicem hujus voluminis sub vocibus *Albini* et *Vejos*.]

[Corpus inscriptionum latinarum I p. 287. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *complura*.]

§ 2. — De fragmentis a Varrone, Cicerone, T. Livio laudatis.

A. — Loci ex M. Terentio Varrone.

Varronis De lingua latina operi fons unus codex Florentinus Mediceus Laurentianus plut. 51,10, saeculo XI, in monte Casino ut videtur, litteratura quae vocatur langobardica scriptus. Tamen locus de urbe Roma (5,41-5,56) exstat etiam in codice Casinensi 361, et ipso saeculi XI. Nam reliquos codices, qui saeculi sunt omnes XV, doctis nunc intellectum est ex codice Florentino (aut saltem ex codice Florentini simillimo) defluxisse.

Codicis Florentini scripturae nondum satis bene in universum notae; nam collatio ab Henrico Keil in usum Leonhardi Spengel facta non est edita. Casinense fragmentum et ipsum a Keilio collatum accuratissime edidit L. Spengel in libello cui titulus : *Ueber die Kritik der Varronischen Buecher de Lingua Latina*[1] ; is prodiit Monaci in Bavaria anno 1854.

Varro, De lingua latina 5,43 Mueller. Vide infra, II, II, 6.

Varro, De lingua latina 5,53 Mueller. Vide infra, II, II, 6.

Varro, De lingua lat. 5,110 Mueller. Vide infra ad 7,26.

[Varro, De lingua latina 5,152 Mueller. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *dictator*.]

---

1. « Aus den Abhandlungen der k. bayer. Akademie der W. I. Cl. VII. Bd. II. Abth. »

Varro, De lingua latina 6,21 Mueller : « Octobri mense » Meditrinalia dies, dictus a medendo, quod Flaccus fla- » men Martialis dicebat hoc die solitum vinum novum et » vetus libari et degustari medicamenti causa. Quod facere » solent etiam nunc multi quom dicant : NOVUM VETUS » VINUM BIBO, NOVO VETERI VINO MORBO MEDEOR. » Festi epitome p. 123 Mueller : « *Meditrinalia* dicta hac de causa. » Mos erat Latinis populis, quodie[1] quis primum[2] gustaret » mustum, dicere ominis[3] gratia : VETUS NOVUM VINUM » BIBO, VETERI NOVO MORBO MEDEOR. A quibus verbis etiam » *Meditrinae* deae nomen[4] conceptum, ejusque sacra *Me-* » *ditrinalia* dicta sunt. »

Apud Varronem, puto, et Verrium Flaccum, qui Festo auctor fuit, sive mavis apud quem et Varro et Verrius Flaccus exscripsit, voces *vinum* atque *morbo* glossematis modo additae, quibus sublatis et venustior sententia fit et numerus saturnius apparet (apud Varronem autem cum bono hoc glossemate *morbo* malum illud *vino* irrepsit). Caesura post arsin, thesis paenultima sublata.

No|vum ve|tus bi|bo, no|vo vete|ri| medeor.
Ve|tus no|vum bi|bo, vete|ri no|vo| medeor.

Varro, De lingua latina 6,27 Mueller : « Primi dies » mensium nominati *calendae* ab eo quod his diebus *calan-* » *tur* ejus mensis[5] Nonae a pontificibus, quintanae an » septimanae sint futurae, in Capitolio in Curia Calabra sic : » DICTAE QUINQUE CALO JUNO COVELLA, SEPTEM DICTAE » CALO JUNO COVELLA. »

Pro *dictae* Ursinus ex vetusto codice bis *dies te,* quod

1. Cur uno verbo *quodie* scripserim, vide in *Mémoires de la société de linguistique de Paris*, tome IV, fasc. 3, p. 229.

2. *Primum* om. codex Tricassinus fol. 82 r° teste D'Arbois de Jubainville.

3. *Hominis* cod. Tricass.

4. *Nomen* om. cod. Tricass.

5. *Menses* codex Florentinus.

equidem non intellego; neque vetus ille codex id nisi ex conjectura praebere potuit. *Dict* igitur ex *dieb.*, *ac* ex *te* factum puto[1], ut bis legere debeamus *diebus te*. Ea autem Juno Covella quae calatur, id est vocatur, luna nova videtur fuisse, siquidem aliquid tribuendum est verbis Macrobii de Nonis et luna nova[2].

In *calo* correptam *a* fuisse ostendit cum vox cognata *cālendae*[3] tum vox composita *nomenclator* (ex *nomencŭlator*, *nomencălator*). Aut igitur *calō* aut *calŏ* pronuntiari poterat (supra p. 36) : si dicebatur *calŏ*, thesis hemistichii prioris paenultima tollebatur; sin *calō*, caesura post arsin habebat locum, syllaba vocis *quinque* ultima vi arsis producebatur. Prima syllaba in *Covella* utrum longa sit an brevis nescitur.

Di|ebus| te| quinque| calo, Ju|no Co|vella.
Se|ptem di|e|bus te| calo, Ju|no Co|vella.

Di|ebus| te quin|que ca|lo, Ju|no Co|vella.
Se|ptem di|ebus| te ca|lo, Ju|no Covella.

Varro, De lingua lat. 6,45 Mueller. Vide infra p. 248.

Varro, De lingua lat. 7,2 et 7,3 Mueller. Vide infra, II, II, 1.

[Varro, De lingua latina 7,8 Mueller. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *templa*.]

Varro, De lingua lat. 7,23 Mueller : « *Ferme aderant* » *aequore in alto ratibus repentibus*. *Aequor* mare ap- » pellatum, quod aequatum quom commotum vento non » est. *Ratis* navis longa[s] dixit, ut NAEVIUS quom ait: CON- » FERREQUE AUT RATEM AERATAM QUI PERIT ET QUI DUM

1. Nam *t* litteraturae langobardicae pro *a* facile accipitur.

2. Saturnalia 1,15,5 et 9 et 12-13.

3. Primitus **calăndae*, unde apud Graecos κάλανδαι (supra p. 26).

» MARE SUDANTES EUNT ATQUE SEDENTES. *Ratis*[1] dicta navis » longa propter remos e. q. s. »

Jam dudum emendatum est *queant* pro *que aut;* etiam fuit qui *perit et* pro adverbio *perite*, *perited* (ut in senatus consulto de Bacchanalibus *facilumed*) positum intellegeret. *Dum*, quod sensu caret, nos in *diu* non sine dubitatione mutavimus. Quo facto duos saturnios habuimus hos :

Con|ferre| queant ra|tem ae|ratam| qui pe|ritet,
Qui| *diu* ma|re su|dantes| eunt at|que se|dentes.

Queant, *diu*, *eant* aut syllabas longas singulas aut breves binas efficiunt. Propter arsin producuntur *ratem* (cum hiatu in caesura), *mare, atque*.

Suspitionem movere potest, quod in neutro horum versuum thesis quarti pedis pura est (supra p. 181).

Fragmenta carminum Saliarium.

Hic omnia quotquot noveramus testimonia de fragmentis carminum Saliarium conjuncta afferre voluimus, quia sic explicandi ratio visa est postulare; quod in reliquis carminibus utile non fuisset. Valde doluimus, quod antequam scriberemus nancisci nequivimus Bergkii libellum, *De carminum Saliarium reliquiis*. Post testimonia subibit enarratio.

Varro, De lingua latina 7,26 Mueller[2] : « *Ca*[*s*]*menarum* » priscum vocabulum ita natum ac scriptum est, alibi *Carmenae* ab eadem origine sunt declinatae. In multis ver» bis, in quod antiqui dicebant *s* postea †dicunt *r*, ut » in CARMINE SALIORUM sunt haec : COZEULODORIE» SO[3], OMnIA Uero[4] AD PATULA COEMISSE LANCUSIANES DUO-

1. Codex *parteis*. Quae vox fortasse Naevianis adnumeranda erat. *Rates*, qui Varronem laudat, interpolator Fuldensis Servii ad Aen. 1,43.

2. De lectione vide Jordan, Kritische Beitraege zur Geschichte der lateinischen Sprache p. 131 s., Berlin 1879.

3. *Cozeuladorieso* ap. Jordan p. 223, ut ipse mihi scripsit, mendosum est.

4. Codex *omia uo* cum notis supra scriptis.

» NUS CERUSES DUN; IANUSUE UET PŌMELIOS EUM RECUM

[hic spatium quattuor vel quinque linearum vacuum relictum]

» FEDESUM foderum, PLUSIMA plurima, MELIOSEM meliorem, » ASENAM arenam, JANITOS janitor. Quare est *Casmena* Car- » mena, [ut] *carmina, carmen; r* extrito *Camena* factum. Ab » eadem voce *canite*, pro quo in SALIARI VERSU scri- » ptum *cante* hoc versu : DIVUM EMPTA CANTE DIVUM DEO » SUPPLICANTE. »

Terentius Scaurus p. 28,6 Keil : « *Cum* quidam per » *c u m*[1], nonnulli per *q u o m*. Quidam etiam esse differen- » tiam putant, quod praepositio quidem per *c*, [*cum*] *illo*, » *cum Claudio, cum Camillo*[2], adverbium aut[em] per *q* » debeat scribi, ut *quom legissem, quo*[*m*] *fecissem;* [sed » falluntur], quoniam antiqui pro hoc adverbio *cume* dice- » bant, ut NUMA in SALIARI CARMINE : CUINE PONAS » LEUCESIAE PRAETEXERE MONTI QUOT IBET ETINEI DE IS » CUM TONAREM[3]. »

Velius Longus p. 51,6 Keil testatur *z* litteram in CARMINE SALIARI inveniri. Macrobius, Saturnalia 1,9,15 ex codice Parisiensi 6371 folio 33 verso *a* : « In sacris quo- » que invocamus Janum *Geminum*, Janum *patrem*, Ja- » num *Junonium*, Janum *Consivium*, Janum *Quirinum*, » Janum *Patulcium* et *Clusivium*. » Ovidius, Fast. 1,129 s. : « Modo namque *Patulcius* idem Et modo sacrifico *Clu-* » *sius* ore vocor. » Festi epitome p. 3 Mueller : « *Ado-* » *riam* laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum » putabant esse, qui farris copia abundaret. » Ex ipso

1. *Eum* codex Bernensis saeculi X.

2. Fortasse scribendum *cum Claudio, cum illo, adverbium* e. q. s. Primum omisit librarius *illo;* reposuit inter lineas; post ex emendatione male intellecta illud *illo* et hoc *Camillo* sunt facta. Possis et *cum illo, cum Claudio*, ut vox omissa et reposita fuerit *cum*. — Uncis quae hic sunt inclusa, conjectando addita sunt.

3. Sic codex Bernensis saeculi X. In editione Basileensi anni 1527 *cunei de his* pro *etinei de is*. In codice Palatino saeculi XV non nisi manu recentiore haec verba : *Leucesiae praetexere monti quot ibet cunei de his*.

Pompejo Festo glossarium a Scaligero laudatum : « *Ado-* » *riosus* ἔνδοξος ασπομπηΐος αδορνικηας πσμπιος », id est : *Adoriosus* ἔνδοξος, ὡς Πομπήϊος, *Ador* νίκη, ὡς Πομπήϊος. . . .

Festi epitome p. 103 Mueller : « *Janeus*[1] janitor[2]. » Festi epitome p. 122 Mueller : « *Matrem Matutam* anti- » qui ob bonitatem appellabant, et *maturum* idoneum » usui, et *mane* principium diei, et inferi dii[3] *manes*, ut » suppliciter appellati †bono essent, et in CARMINE » SALIARI CERUS MANUS intellegitur creator bo- » nus. » Festus p. 146 (ex codicis apographis) : « Manuos » in CARMINIBUS †SAECULARIBUS Aelius Stilo signi- » ficare ait bonos, et inferi di *manes* pro boni dicuntur a » suppliciter eos venerantibus propter metum mortis, ut » *immanes* quoque pro valde... dicuntur. » Festi epitome p. 147 : « Manues Aurelius significare ait bonos. Unde » dii[4] *manes* pro bonis dicuntur a suppliciter eos vene- » rantibus propter metum mortis, ut *immanes* quo- » que pro valde non bonis dicuntur. » Festus p. 205 Mueller (ex codicis apographis) : « Praeceptat in SA- » LIARI CARMINE est : saepe praecipit[5]. — Pa pro » *parte*[6] et po pro *potissimum* positum est in SALIARI » CARMINE. — Promeneruat item promonet. Prae- » dotiont[7] praeoptant. — Prospices prospice. — Pesnis » pennis, ut *Casmenas* dicebant pro Camenis et *caesnas* » pro caenis. — Polteo[8] pro ulteriore. — Polet pollet, » quia nondum geminabant antiqui consonantis. — Pli-

1. *Janicus* codex Lindemanni Guelferbytanus I, saeculi XV.

2. Deest hoc lemma teste H. d'Arbois de Jubainville in codice Tricassino, ubi fol. 66 v° ante glossam *Junium* pagina relicta est una vacua.

3. *Di* codex Tricassinus fol. 81 r°, teste D'Arbois de Jubainville.

4. *Di* cod. Tricass. fol. 90 v°.

5. Epitome : « Praeceptat saepe praecipit. »

6. Odofredus Mueller post alios jubet legatur *patre*.

7. Meursius *praedopiunt*, Mueller *praedopiont*.

8. *Pro olteo* legendum esse diximus, *Revue de philologie* 1880 p. 15 et *Memoires de la société de linguistique de Paris* t. IV fasc. 3 p. 238.

» SIMA[1] plurima. — PRETET TREMONTI praetemunt. pe[2]. — » PERFINES perfringas. — PROMERION praecipuum, praeter » caeteros meritum, aut *pro medium*[3] hoc est participat[4], » aut pro indiviso dicimus. — PRIVICLIO ES[5] privis, id est » singulis. — PETILAM SURAM siccam et substrictam vulgo » interpreta[n]tur; Scaevola ait ungulam albam equi ita dici[6]. » — PILUMNOE POPLOE in CARMINE SALIARI Romani[7], velut » *pilis* uti assueti, vel quia praecipue *pellant* hostis. » Macrobius, Saturnalia 1,9,14, ex codice Parisiensi 6371 folio 33 verso *a*, de Jano : « SALIORUM quoque anti- » quissimis CARMINIBUS DEORUM DEUS canitur. » Macrobius, Saturnalia 1, 15, 14 : « ..... cum Jovem ac- » cipiamus lucis auctorem, unde et LUCETIUM SALII in » CARMINIBUS[8] canunt. » Festus p. 141 Mueller (ex codicis apographis) : « *Molucrum* non solum quo » molae teruntur dicitur... sed etiam tumor ventris » qui etiam virginibus incidere solet, cujus meminit » Afranius...... Cloatius [et Aelius] etiam in libris » sacrorum[9] *molucrum* esse ajunt lign(e)um quoddam qua- » dratum ubi immolatur. Idem Aelius in explanatione CAR- » MINUM SALIARIUM eodem nomine appellari ait quod » sub mola supponatur. Aurelius Opilius appellat ubi mo- » latur. » Epitome Festi p. 140 : « *Molucrum* et quo[10] mo- » lae verruntur... et tumor ventris qui etiam virginibus » incidere solet. Afranius : ...... *Molucrum* dicitur

1. Mueller *ploisuma.* Epitome quoque : « PLISIMA plurima. »

2. Mueller : *prae tet tremonti, praetremunt te.*

3. Mueller μορίω, alii alia. Locus sine dubio corruptus.

4. Mueller *particula.*

5. Ursinus *privicloes*, id est « priviculis », ut in epitome p. 19 *ab oloes* pro *ab illis.*

6. Epitome : « PETILAM SURAM significat ungulam equi albam. » Lemmata *Plisima* et *Petilam* cum in codice Tricassino fol. 104 v° conferret D'Arbois de Jubainville, nihil adscribendum invenit.

7. Nominativo casu numeri pluralis, non singularis genetivo.

8. Codex Parisiensis 6371 (contuli) folio 38 verso *b : carmine.*

9. Male interpunxit Corssen, Origines poesis romanae p. 73.

10. *Molucrum dicitur et quo* codex Tricassinus fol. 88 v°, teste D'Arbois.

» etiam lignum quoddam quadratum, ubi immolatur. » Festus p. 210 Mueller (ex codicis apographis) : « PESCIA in » SALIARI CARMINE Aelius Stilo dici ait capitia ex » pellibus agninis facta, quod Graeci pelles vocent *pesce* » neutro genere pluraliter. » Festi epitome p. 211 Mueller : « PENNATAS IMPENNATASque AGNAS in SAL[I]ARI[1] CARMINE » spicas significat cum aristis et alias sine aristis. [....] » AGNAS novas voluit intelligi[2]. »

Servii interpolator Danielinus ad Aen. 8,285 ex codice Parisiensi 7929 : « Quidam dicunt Salios a Morrio rege » Vejentanorum institutos ut ALESUS Neptuni filius eorum » CARMINE laudaretur, qui ejusdem regis familiae au- » ctor[3] ultimus fuit. »

Festus p. 325 Mueller[4] (ex ipso codice) : « Saturno dies » festus celebratur mense decembri... Versus quoque » antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus » videtur, *saturnii* appellantur. Quibus et a NAEVIO » BELLUM PUNICUM scriptum est, et a multis aliis plura » composita sunt. Qui deus in SALIARIBUS SATURNUS » nominatur, videlicet a *sationibus*. » Epitome Festi p. 323 : « SATEURNUS Saturnus[5]. » Inscriptio oenochoes nunc Parisiensis musei Campanae in Lupara n° 3494 (inspexi), cujus effigies in Ritschelii Priscae latinitatis monumentis tab. X A *a* et in Tafeln zu Friedrich Ritschls epigraphisch-gramm. Abhandlungen (Opusc. philol. B. IV) tab. IX A, cf. C. I. L. I n° 48 : « SAIITVRNI POCOLOM. »

Varro, De lingua latina 5,110 Mueller : « *Insicia* ab » eo quod INSECTA caro, ut in CARMINE SALIORUM est, » quod in extis dicitur nunc *prosectum*. »

Varro, De lingua latina 6,45 Mueller : « Itaque SALII » quod cantant MEMURII VETERUM significant [*veterem*[6]] *me-*

1. *Salari* etiam cod. Tricass. fol. 105 v°, teste D'Arbois de Jubainville.
2. *Intellegi* cod. Tricass.
3. *Auctae* editio Danielis.
4. Cf. infra p. 256 locum Varronis 7,36.
5. Ex codice Tricass. (123 v°) nihil adscripsit D'Arbois de Jubainville.
6. *Veterém* solus codex Havniensis, ut puto ex Plutarcho.

» *moriam.* » Festi epitome p. 131 Mueller : « *Mamuri* » *Veturi*[1] nomen frequenter in cantibus Romani frequen- » tabant hac de causa. Numa Pompilio regnante e coelo[2] ce- » cidisse fertur ancile, id est scutum breve....., unaque » edita vox[2] omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu » id in ea mansisset. Itaque facta sunt ejusdem generis » plura, quibus id misceretur, ne internosci caeleste[2] pos- » set. Probatum opus est maxime *Mamuri Veturi*[3] : qui » praemii[4] loco petiit ut suum nomen inter CARMINA SALII » canerent. » Ovidius, Fast. 3,259 : « Quare caelestia » Martis Arma ferant SALII, MAMURIUMque canant... » 383 : « Mamurius, morum fabraene exactior artis Diffi- » cile est, illud, dicere, clausit opus. Cui Numa munificus : » *Facti pete praemia,* dixit ; *Si mea nota fides, inrita* » *nulla petes.* Jam dederat Saliis a saltu nomina dicta » Armaque, et ad certos verba canenda modos. Tum sic » Mamurius : *Merces mihi gloria detur*, *Nominaque* » EXTREMO CARMINE *nostra sonent.* Inde sacerdotes » operi promissa vetusto Praemia persolvunt, MAMURIUM- » que vocant[5]. » Plutarchus, Numa 13 : « Οὐετούριον δὲ Μα- » μούριον ..... κατασκευάσαι πάσας ὁμοίας ..... Τῷ δὲ Μαμουρίῳ λέγουσι » μισθὸν γενέσθαι τῆς τέχνης ἐκείνης μνήμην τινὰ δι' ᾠδῆς ὑπὸ τῶν » ΣΑΛΙΩΝ ἅμα τῇ πυρρίχῃ διαπεραινομένης. Οἱ δὲ οὐ ΟΥΕΤΟΥΡΙΟΝ » ΜΑΜΟΥΡΙΟΝ εἶναί φασι τὸν ᾀδόμενον, ἀλλὰ ΟΥΕΤΕΡΕΜ ΜΕΜΟΡΙΑΜ, » ὅπερ ἐστὶ παλαιὰν μνήμην. » Trebellius Pollio, Triginta tyranni 8, de imperatore Mario olim fabro ferrario : « quem plerique » MAMURIUM, nonnulli VETURIUM, opificem utpote ferrarium, » nuncuparunt[6]. »

Varro, De lingua latina 9,61 Mueller : « ... cum item

1. Codex Tricassinus quoque fol. 86 r°, teste D'Arbois de Jubainville, *Mamuri veturi*, non *-ii*.
2. *Celo* cod. Tricass. Idem *vox edita*. Idem *caeleste* per *a*.
3. Sic, non *-ii*, cod. Tricass.
4. *Premii* cod. Tricass.
5. De die Mamurio consecrata videatur Servius ad Aen. 7,188; Philocali fasti (C.I.L. I p. 338), Menologia rustica (ibid. p. 358) ; Mommsen in C. I. L. I p. 388; Marquardt, Roemische Staatsverwaltung III (Handbuch VI, 1878) p. 416.
6. Hinc patet locum carminum Saliarium de Mamurio vulgo notissimum etiam medio saeculo p. C. n. III fuisse.

» accidisset feminis, proportione ita appellata declinarant » praenomina mulierum antiqua, *Mania*, *Lucia*, *Postuma*. » Videmus enim *Maniam* matrem Larum dici; LUCIAM » VOLAMINIAM SALIORUM CARMINIBUS appellari; *Po-* » *stumam* a multis post patris mortem [natam] etiam nunc » appellari. »

In *odorieso* (supra p. 243) vocativus *adoriose*[1] latere videtur. Litterae *i* et *l* in codice Varronis saepissime inter se commutantur[2]; ego igitur pro *Cozeul* legi jubeo *Cozevi*, quod veteres pro vocativo cognominis illius *Consivius* (supra p. 244) habuisse puto (in hoc autem *Cozevi* Velius Longus, supra p. 244, litteram *z* agnoscebat); contra pro *lancus*, *jancus*, unde apud Festum factum est *janeus*, vel, si quid Guelferbytano I Lindemanni tribui potest, *janicus*. Nam in carmine saliari sermonem fuisse credebatur de *janitore*, per quam vocem Festus illud *janeus* vertit; nominativus autem *janitos*[3], quem in codice Varronis invenimus, librario tribuendus est, quippe qui universas veteres illas formas, a Varrone laudatas, recentioribus similes fecerit, littera *s* servata sola[4]; ipse Varro scripse-

1. Jordan, Kritische Beitraege etc. p. 224, *adoriesis* legens : « *adorie(n)sis* nehme ich als Adjectivum. » Sed *adoriosus* olim apud Festum (supra p. 245). *Adoriose* ego, cum Bergkio ut postea cognovi.

2. Sic 5,52 *Instelano* pro *Instejano;* contra *vis* 5,83 pro *uls*, *ois* quinquies 5,50 et 52 et *ouis* semel 5,50 pro *ols*, *ouls* (quae formae idem valent atque *ūls*) : Mémoires de la société de linguistique de Paris IV p. 234 ss. Neque pro certo affirmaverim, in nostro loco *lancus*, non *iancus* legi.

3. Numquam dici potuit *janitos*. Ea enim nomina latina, quae in *-tor* *-toris* exeunt, cognata sunt graecis nominibus in -τωρ -τορος ut δώτωρ, εὑρήτωρ aut in -τηρ -τηρος ut κρατήρ, ἀγροτήρ, sanscriticis in *tā*, acc. *-tāràm* ut *dātā* (dator). Ergo in iis inde ab ario-europaeis temporibus semper *r*, non *s*, pronuntiatum est. — Aliquo vinculo jungi inter se locum Varronis et glossam Festi monuit Fr. Buecheler, Précis de la déclinaison latine p. 213; *janitos* pro *lancus* legerat Bergkius, at ceteri omnes videntur probasse, de quo Scaliger Turnebusque cogitaverant, *Jani cusianes* sive *curiones* (Jordan tamen, Kritische Beitraege etc. p. 223 s., *Janus cusianus's*), quae mihi non minus quam *lancusianes* sunt obscura.

4. Sic pro *plusima plurima* propter Festi testimonium *plisima plurima*, pro *meliosem meliorem* ex alia causa *meliose meliorem* reponendum videtur; pro *fedesum federum* fortasse simile quid : *foideso foederum*.

rat: « *jancus janitor* ». *Dvonus* (id est *bonus*) *cerus* idem deus est, qui in carminibus saliaribus teste Festo etiam *Cerus manus* vocabatur : collatis igitur tribus verbis incorruptis « *dvonus cerus es* »[1], ex *lancusianes* efficiemus : « *jancus Janes* » vel « *jancus, Jane, es* ». *Patula coemisse* jamdiu continere creditur Jani cognomen *Patulcius* sive *Patultius* : hanc potius subesse formam putaverim quam illam, cum in langobardica quae dicitur litteratura *t* similis litterae *a* fiat[2]; ex *patulac* igitur effecerim *Patulti* vocativum ut supra *Cozevi adoriose*; quem casum praeterea insequens secunda persona *jancus Janes, dvonus cerus es* postulat. *Oemisse* autem fortasse in *oenus es* (id est *unus es*) mutandum est; quamquam non male cogitatum est de cognomine *Clusivius* seu *Clusius* alteri cognomini *Patulcius* respondente[3]. Sub *omnia vero ad* quid lateat prorsus nescio[4]. *Recum* nihil est aliud quam *regum* : prisci enim Latini littera C pro G utebantur[5]. In *melios eum* comparativus *melior* accusativo casu latet, ut ostendunt verba Varronis *meliosem meliorem*[7].

Po, quod ante *melios* positum est, illud ipsum *po* esse oportet, quod teste Festo (supra p. 245) in carmine saliari valere credebatur « *potissimum* ». *Pa* autem, quod si codicem Festi

1. Haec agnovit Jordan, Kritische Beitraege etc., p. 223, praeeunte (ubi nescio) Corsseno.

2. In ipso nostro Varronis codice 7.22 langobardicae litterae tr[illegible] cum titulo (id valet *terrae*) librarios saeculi xv in errorem induxerant, itaque in codicibus recentioribus legitur *arae*. Cf. quae de *dictae* pro *dieb·te* (6,27) supra p. 242 dicta sunt.

3. Jordan, Kritische Beitraege etc. p. 223 : « Mir scheint... in *patulacoemisse* sich *patulcius clusivius es* zu verbergen. »

4. De imperativo futuro in *-tod* exeunte potius cogitaverim, siquidem ultima littera *d* genuina est, quam cum Jordano, Krit. Beitr. p. 224, de ablativo. Cf. imperativum futurum *juvato* in carmine fratrum Arvalium.

5. Jordan, Krit. Beitr. p. 224.

6. Eadem forma latinae litterae C et graecae Γ in vetustissimis monumentis est; utrique inter B et D locus. Ex vetere more scribendi remansit hoc, ut C. nota praenominis *Gaius*, CN. nota praenominis *Gnaevus* esset : inde hodierni homines monstra sua *Caius* et *Cnaeus* finxere.

7. Errant igitur, qui ut Jordanus nominativum quaerunt.

sequaris pro *parte*, si Imm. Huschke et O. Muellerum audias pro *patre* accipiebatur, in altero fragmento a Varrone laudato agnoscendum est[1]; nam *divum empta cante* ex *divum em pa cante* (id est : *divorum eum pa canite*) est factum; docti Romani *divum pa* ita interpretabantur ut valeret *divum patrem;* neque id male, cum in altera fragmenti parte supplicetur *divum deo* (sive *deorum deo*, ut verba mutuemur Macrobii, supra p. 246).

In fine ejusdem fragmenti *supplicante* ex imperativo *supplicate* propter antecedens *cante* ortum[2]. Hoc fragmentum versiculus integer est (id ipse Varro testatur), neque multo labore opus est ut saturnium agnoscamus. Ex hemistichio altero *divum deo supplicate* (ubi *deo* aut pro una longa aut pro duabus brevibus accipiendum est) patet caesuram post arsin locum habuisse : ergo ultima syllaba vocis *cante* vi arsis producebatur. Primae voces *divum em' pa[trem]* quomodo feriri debeant incertum est; nescimus utrum *pa* an *patrem* proferendum sit, utrum *patrem* iambum an pyrrhichium efficiat, utrum in *divum em* hiatus an synaloepha locum habeat. Triplex igitur schema constituetur :

Di|vum em| pa
Di|vum em| patrem } can|te, di|vum deo| suppli|cate.
Divum| em pa|trem

Ex hoc *divum em pa[trem]* collegerim, in *melios eum recum* tres inesse voces, *meliose em recum* vel *meliose im recum*, id est : *meliorem eum regum;* in accusativo *meliose* accipiendum est *e* pro *em*, sicut elogia Scipionum accusativos praebent *Scipione*, *omne*, *honore*, *apice*[3]. *Melior* autem pro *optimo* aut intellegendum erat aut saltem intellegebatur, unde factum est, ut homines docti *po* pro superlativo acciperent mirumque illud *potissimum* excogitarent. De *dun; ianusve vet* tacere malo[4].

1. Adhuc nemo, quod sciam, in fragmentis nostris *po* et *pa* agnovit.
2. Id mihi certius quam Jordano, Krit. Beitr. p. 222.
3. Buecheler, Précis de la déclinaison latine § 120. Vide supra p. 221 ss.
4. Ex *dun; ianus* Corssen, Origg. poes. rom. p. 58, effecit *duonus Janus*.

In fragmento carminis saliaris quod Scaurus laudat (supra p. 244) versus distinguendi sunt duo, quorum alter ita corruptus ut nondum medicum invenerit, prior sanabilior est. Nam pro *cuine* ut ipse ostendit Scaurus reponendum est *cume* (quod valet *cum* sive *quom*). *Praetexere monti*, ut Bergkius collatis Festi verbis *pretet tremonti praetemunt pe* a Muellero correctis vidit, mutandum in *prae tet tremonti*, id est *prae te tremunt* sive *praetremunt te* (unicum hoc apud Latinos exemplum est tertiae personae numeri pluralis in *-onti* exeuntis, quae postea in *-ont*, *-unt* abiit, incorrupta reperitur in Dorum formis ἄγοντι, φέροντι, in indico *bharanti* solam vocalem *o* mutavit[1]). *Leucesiae* in *Leucetie*, id est vocativo casu *Luceti*, mutandum est[2]; Lucetius enim Juppiter Macrobio teste (supra p. 246) a Saliis canebatur. *Ponas* pro *tonas* scriptum[3], sicut apud Festum *praetemunt* *pe* pro *praetremunt* τe; alia quaedam ejusdem verbi forma in versiculo altero subest. Jam voces habemus, quarum sensus nullo modo laborat : *cume tonas, Leucetie, prae tet tremonti;* tresque priores voces syllabam et tres pedes efficiunt, id est saturnii hemistichium prius. Alterum autem hemistichium una syllaba decurtatum est, nam trochaei antepaenultimi thesis numquam tollitur; sed huic rei remedium attuleris legendo pro *prae* cum dihaeresi *prāï*. Quamquam enim concedo hanc dihaeresin nusquam alibi reperiri (ἅπαξ autem εἰρημένον quis miretur in Saliorum carminibus servari, quae et illud perantiquum *tremonti* exhibent?), veri mihi simillimum videtur *ae* ex *āï* esse ortum, sicut in genetivo primae declinationis *vitae* ex *vitāï*, in pronominalibus *quae* ex

1. Prorsus nihili sunt, quae Jordan (Kritische Beitraege etc. p. 210 ss.) contra dixit.

2. Jordan, Kritische Beitraege etc. p. 32.

3. Corssen, Origines poesis romanae p. 59; antea Duentzer, De versu etc. p. 36.

quă-i[1] et *haec* ex *hă-i-ce*; eodemque prope modo *praebeo*, *praemium*, *praetor* ex *prae-hibeo*, *prae-imium*, *prae-itor* sunt facta; atque latinae formae *prāï* apte graeca πρωΐ comparari potest. *E* in *cume* utrum longa sit an propter arsin producatur equidem nescire fateor. *E* in *Lucetius* brevis; sic Vergilius, apud quem hoc nomen hominis est, Aeneid. 9,570 : *Lucetium portae subeuntem ignesque ferentem*[2]. Hic saturnius :

Cu|me to|nas, Leu|cetie|, prai| tet tre|monti.

—Versum alterum ita confingo, summa quidem cum dubitatione :

Quo|t[i] i|be tet| ?viri| ?audeï|sunt to|nare,

id est, praetremunt te, quot viri ibi te tonare audierunt. *Quotĭ, *totĭ pro *quot*, *tot* dixisse veteres ostendit vox composita *totĭ-dem*; sic *et* ex **etĭ* = ἔτι, *legit* ex **legitĭ*; syllaba *tĭ* propter arsin cum hiatu producitur. *Ibe* ut in vetustis lapidibus *tibe*, *ube*. *Tet* ut supra. Post *tet* nomen, quod utrum *vīri* an aliud quid fuerit non dispicio; deinde tertia persona numeri pluralis in *-ĭsunt* pro recentiore *-ĕrunt* exiens[3] tempore praeterito, nam tempore praesenti *-onti* haberemus. *Tonare* in *tonarem* mutatum est, postquam *-unt* in *eum* abiit.

In Festo p. 325 (supra p. 247) propter illud veriloquium *a sationibus* legendum ut epitomator habet *Sateurnus*, non

1. Disyllabum adhuc *quaï* restituendum videtur in versu Plauti, Asin. 1,3,47 Cetera *quae* volumus uti Graeca mercamur fide. Quem supra p. 53 in exemplis productae per arsin finalis syllabae vellem non posuissem. Similiter, Mil. glor. 4, 8, 4 et 28, omnia *quaï* isti dedi.

2. Sine causa igitur Jordan, Kritische Beitraege etc. p. 219 : «... welche Quantitaet hat das *e* des Suffixes? Das bleibt ungewiss. » Idem rectius p. 32 : « kurz ist er (*der Vokal*) bei Vergil..., und ich moechte dies nicht ohne Weiteres als nicht beweiskraeftig bezeichnen. »

3. Nam *fuĕrunt*, *fuĕram*, *fuĕro*, *fuĕrim* ex ★*fuĭs-unt* etc. orta sunt, sicut *sĕro* ex ★*sĭso* (cf. *bibo*, *gigno*, *sisto*), *capĕre* ex ★*capĭse* (cf. capi-*tis*, *es-se*), *Falĕria* (graece Φαλερία, non Φαληρία) ex ★*Falĭsia* (cf. *Faliscus*). *Fuĭs-* habes in *fuis-ti*, *fuis-sem*, *fuis-se*.

Saeturnus. Haec igitur forma in oenochoe per similem errorem orta est[1] atque illum, qui in nummis *prboum* pro *probum* fecit scribi (Corpus inscr. latinarum I n° 16). Sane inscriptio picta, non impressa est, quo magis de tali errore dubites licet ; sed is qui pinxit alterum titulum vetustiorem tantummodo descripsisse reputandus est (ipse enim per se litteram *e* omnino omisisset), qui titulus cujus generis fuerit ignoramus. Atque in ignota nominis forma etiam incorruptum exemplar sequens errare poterat ; modo reputes quam multi e nostratibus, cum Germanice nesciant, *Liepzig* pro *Leipzig* dicere consueverint. Sic in carmine Arvalium (supra p. 219) *alternei* bis, semel *alternie* scriptum ; in Cicerone De re publica 1,40,62 codex *plebie* pro *plebei* ; in Catonis Originibus apud auctorem explanationum in Donatum (Keil, Grammatici IV p. 502,47) codices Frisingensis et Berolinensis *quies* pro *queis*, si Henricus Jordan recte modo conjecit, qui etiam (Kritische Beitraege zur Geschichte der lateinischen Sprache p. 194) simile Adolphi Kiessling inventum laudat.

Ex reliquis fragmentis, quae supra cum auctorum testimoniis attulimus, perpauca commentarium requirunt. — *Promeneruat* (« *promonet* », supra p. 245) nomen deae *Minervae* in memoriam revocat; hoc ex **Menesüa* ortum ut *furvus* ex *fusüus* (cf. *fus-cus*), *Menesüa* autem ex illo substantivo ario-europaeo **mĕnŏs* (mens), unde facta sunt graecum μένος et sanscriticum *manas*. — *Praedotiont* (supra p. 245) si re vera in *praed-opiont* mutandum est, videmus olim *praed* vel *praïd* dictum esse, non *prae* vel *praï*, quo magis etiam dubitamus de illa vulgari doctrina, quae *prae* pro locativo accipi requirit. — Pro *pesnis pennis* (supra p. 245) legere malumus *pesnis penis*. *Pēnis* enim certo pro *pĕsnis* est, ut ostendunt graeca πέος (pro *πεσος) et πόσθη sanscriticumque *pasas; ēn* pro *ĕsn* legitimum est, ut vides in *pŏsitus pōno*, *bĭs bīni*, *dĭs- dīnosco*, *venĕrem venēnum*, *sĕx sēni*,

1. Nam, puto, errat Ritschelius ubi contra ex oenochoe Festum corrigere conatur, Opuscula IV p. 270.

cascus cānus, *cesna cēna*, *fastus fānum*, *pāsta pānis*, *vastus vānus*, contra numquam *enn* pro *esn* invenimus. Dubium autem est, utrum *penis* in carminibus saliaribus pro cauda victimae prove genere quodam penicilli accipi debeat, an inter Saliorum caerimonias mos obtinuerit ut pudenda virilia colerentur[1]. — Spicas *pennatas* vel *impennatas*, id est cum aristis et sine aristis (supra p. 247), melius scribes per unam *n*[2] *penatas* et *impenatas*, id est caudatas et non caudatas. — Infra (II, II, 1) reliquias carminum Saliarium collectas invenies.

Varro, De lingua latina 7,28 Mueller (de lectione codicis cf. Jordan, Kritische Beitraege zur Geschichte der lateinischen Sprache p. 132) : « In CARMINE PRIAMI » quod est : VETERES CASMENAS CASCAS RES VOLO PROFARI » ET PRIMUM, *cascum* significat vetus. »

Pro *primum* legendum cum Scaligero *Priamum*. Carmen ceterum ignotum docet esse vetustissimum littera *s* in prima syllaba vocis *casmenas* servata. Minime ergo miraberis, e verbis a Varrone laudatis perfectum saturnium et alterius saturnii initium effici[3] :

Vete|res Ca|smenas|, cascas| res, vo|lo pro|fari
Et| Priamum|...... ....

Ex eodem carmine conjicio depromptum esse saturnium

1. Vide quae de sacris Liberi refert Augustinus, *De civitate Dei* 7,21.

2. In ipsis Saliorum libris, in quibus *tremonti* vetustissima forma legebatur, certo consonantes geminatae non erant. *Pennatas* igitur (nisi medio demum aevo in epitome Festi duplicem *n* accepit) commentatorum veterum est, Aelii fortasse Stilonis. Ipsum autem *penatas* quodam etiam modo in libris novicium erat; nam carminum auctores scribere debuerant *pesnatas*.

3. Sine causa Jordan, Kritische Beitraege zur Geschichte der lat. Sprache p. 132 s., lectionem immutare voluit et carmen Priami pro scenico habere, ipsa in versu nostro sententia repugnante, quae generi epico multo melius convenit.

a Mario Victorino laudatum, *Cum victor Lemno classem Doricam appulisset.* Vide infra p. 318.

Varro, De lingua latina 7,36 Mueller : « *Versibus quos* » *olim Fauni et*[1] *vatesque canebant.* Fauni dei Latinorum, » ita ut Faunus et Fauna sint. Hos versibus, quos vocant » *saturnios,* in silvestribus locis traditum est solitos fari » quo *fando Faunos* dictos. » Servii interpolator ad Vergilii Georgica 1,11 (ex codice Danielis Lemovicensi, nunc Leidensi Vossiano F 80 saec. x, lectione petita ex Georgii Thilonis libello Halis anno 1866 edito qui scholia ad Georg. 1,1-100 continet) : « cum unus Faunus sit cur pluraliter » posuit? sed Varro ad Ciceronem ita ait *dii Latinorum* » *ita ut Faunus et Fauna sit per ex versibus quos vocant* » *saturnios in silvestribus locis solitos fari futura atque* » *inde Faunos dictos esse.* » Pseudo-Victor, De origine gentis romanae 4,4-6 : « Post Picum regnavit in Italia » Faunus, quem a fando dictum volunt, quod is solet futura praecinere versibus quos saturnios dicimus; quod » genus metri in vaticinatione Saturniae primum proditum » est. Sed urbem Saturnus cum in Italiam venisset condidisse » traditur. Ejus rei Ennius testis est cum ait : *Versibus* » *quos olim Fauni vatesque canebant.* Hunc Faunum ple» rique eundem *Silvanum* a *silvis,* Inuum deum, quidam » etiam Pana vel Pan esse dixerunt. » Cf. infra II, ii, 2 et 6. Item cf. supra (p. 247) locum Festi p. 325, infra (pp. 310 s.) locos scriptorum ex Caesio Basso.

Locum Varronis ex corrupto codice corruptoque testimonio tantummodo notum emendare hic non conabimur. Lectorem tamen admoneamus, legendum esse *sit* pro *sint,* cum *sit* etiam unus codex habeat ex iis qui a Florentino derivati jure vel injuria perhibentur; postea *fari futura,* a

1. *Et* delendum.

quo fando. Hoc valde mirum est, quod pro *hos* apud interpolatorem Servii legitur *per ex*.

Varro, De lingua latina 7,39 Mueller : « Apud NAEVIUM :
» ATQUE PRIUS PARIET LOCUSTA LUCAM BOVEM. *Luca bos*
» *elephas*. Quor ita sit dicta duobus modis inveni scriptum.
» Nam et in Cornelii commentario erat : *Ab Libycis*
» *Lucas*, et in Virgilii : *Ab Lucanis Lucas*; ab eo quod
» nostri, quom maximam quadripedem quam ipsi habe-
» rent vocarent bovem, et in Lucanis Pyrrhi bello primum
» vidissent apud hostis elephantos... »

Naevii fragmentum Bello Poenico adscribendum ideo videtur, quod in iambicos trochaicosve versus aegre redigi posset; quamquam infitias non imus, sententiam comoediae melius convenire. Si saturnii sunt, altera in *atque* syllaba propter arsin producitur :

..... at|que pri|us pari|et lo|custa
Lu|cam bo|vem.... ....

[Varro, De lingua latina 7,44 Mueller. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *libaque*.]

Varro, De lingua latina 7,51 Mueller : « NAEVIUS: PA-
» TREM SUUM SUPREMUM OPTUMUM APPELLAT. *Supremum a*
» *superrumo* dictum. Itaque in XII tabulis dicunt : *Solis*
» *occasu diei suprema tempestas esto*. Libri augurum pro
» tempestate *tempestutem* dicunt, id est supremum augurii
» tempus. »

Nihil in Naevii versu mutandum. Hiatus in caesura; *optumum* dubium utrum synaloepham patiatur, thesi versus paenultima sublata, an propter arsin cum hiatu producatur :

Pa|trem su|um su|premum| { optu|mum ap|pellat. / optumum| ap|pellat.

Varro, De lingua latina 7,107 ss. Vide infra § 3 locum Festi p. 323 Mueller.

Varro, De lingua latina 9,61. Vide ad 7,26 (supra p. 249).

Varronis *Rerum rusticarum* (sic enim, non *De re rustica,* id opus vocandum est) libris fons unicus fuisse videtur codex nunc deperditus Florentinus Marcianus, quo Petrus Victorius usus est; ex apographis autem inde factis obtinere dicunt praecipuum locum codicem Florentinum Laurentianum plut. 51,4 inter annos 1420 et 1430 scriptum. Ceterum in loco unico a nobis afferendo nullam varietatem lectionis indicat editio Schneideri (1794), ex qua eum petiimus.

Varro, Rerum rusticarum 1,2,27,1 quid sit in Sasernae libro, de remedio contra dolorem pedum adhibendo, referens : « TERRA PESTEM TENETO SALUS HIC MANETO IN MEIS » PEDIBUS : hoc ter novies cantare jubet, terram tangere, » despuere, jejunum cantare. »

Jamdiu *in meis pedibus* pro glossemate habetur; in antecedentibus vocibus saturnius agnoscitur. Hic vero nequit recte feriri, nisi *salus* lege veteris pronuntiationis pro pyr-

rhichio habeas, pro *hic* scribas *hice*[1] cum *e* propter arsin producta (sic in hexametro PROTOGENES CLOUL[I] SUAVEI *heicei* SITUST MIMUS, Corp. inscr. latin. I n° 1297). Item *terra* propter arsin producitur, ut in elogio P. Scipionis *Terrā Publi prognatum Publio Corneli.*

Ter|ra pe|stem te|neto|, salus hi|ce ma|neto.

B. — Loci ex M. Tullio Cicerone.

Cicero, Pro Archia 11,27. Vide infra, II, II, 3.

Cicero, De oratore 3,51,97. Vide infra, II, II, 1.

Cicero, Brutus 18,71 et 19,76. V. infra, II, II, 2 et 5 et 6.

Cicero, Orator 45,152. Vide infra § 11 locum Trebellii Pollionis, Claudius 7, in adnotatione.

Cicero, Orator 51,171. Vide infra, II, II, 2.

Cicero, De finibus 2,35,116. Vide ad Priscae latinitatis monumenta, tab. XXXVIII E (supra p. 222).

Cicero, Tusculanae quaestiones 1,7,13. Vide ad Priscae latinitatis monumenta, tab. XXXVIII E (supra p. 221).

Cicero, Tusculanae quaestiones 4,2,4. Vide infra, II, II, 4.

Cicero, Cato major 14,49. Vide infra, II, II, 6.

Cicero, Cato major 17,61. Vide ad Priscae latinitatis monumenta, tab. XXXVIII E (supra p. 222).

Cicero, De divinatione 1,40,89 et 1,50,114 s. et 2,55,113. Vide infra, II, II, 2.

1. Plenam formam *heice* habes etiam in C.I.L. I n° 1049.

C. — Loci ex T. Livio.

T. Livii locis constituendis omnium librorum manu scriptorum lectiones afferant easque ex artis praeceptis comparare ac perpendere studeant illi, qui in universo Livii textu emendando per multos vitae suae annos desudare destinaverunt. Nobis satis, ex praecipuis codicibus pauca excerpere.

Vulgo notum est, unicuique Livii decadi peculiares suos esse codices, perinde ac si eae totidem opera sint omnino distincta. De codicibus si qui plura quam hic dicta sunt quaerent, Johannis Nicolai Madvig adeant *Emendationes Livianas iterum auctiores editas*, quae Hauniae prodiere anno 1877. Ego hic Madvigii verba saepe contentus fui exscripsisse.

Decadi primae fons in locis quidem nostris grex codicum, qui vocantur Nicomachiani. Nam nihil inde superest in codice palimpsesto mutilo Veronensi [1].

Codices Nicomachiani unius sunt stirpis, ductae e codice quem Nicomachus Flavianus, Nicomachus Dexter et Victorianus quadringentis prope post Christum natum annis emendarunt. Omnes post saeculum X scripti praeter Parisiensem. Inter eos tres praestantissimi: codex nunc deperditus Vormaciensis vel Borbetomagensis (Worms), a Beato Rhenano in editione Basileensi anni 1535 adhibitus, ab eo tamen non ultra libri 6 caput 28 laudatus; — codex Mediceus Florentinus Laurentianus plut. 63,19, saeculo XI scriptus; — codex Parisiensis 5725, olim Colbertinus, saeculi X.

1. Codex Veronensis circa annum 400 scriptus existimatur. Ejus scriptura petenda ex Theodoro Mommsen, *T. Livii ab urbe condita lib.* III-VI *quae supersunt in codice rescripto Veronensi descripsit et edidit* (*Philologische und historische Abhandlungen der koeniglichen Akademie der Wissenschaften zu Berlin aus dem Jahre* 1868, p. 31-206).

Nobis Medicei scriptura petenda ex C. F. S. Alschefskii editione (vol. I, Berolini 1841; vol. II, 1843[1]). Parisiensem contuli.

Infra p. 265 videbis etiam alios codices pro deterioribus habitos esse, qui bonam quamdam lectionem soli servaverint.

[T. Livius 1,26,6. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *duumviri*.]

T. Livius 1,20,4. Vide infra, II,II,1.

T. Livius 1,32,5-14 de Anco Marcio: « Ut tamen, quo-
» niam Numa in pace religiones instituisset, a se bellicae
» caerimoniae proderentur, nec gererentur solum sed etiam
» indicerentur bella aliquo ritu, jus ab antiqua gente
» Aequiculis quod nunc fetiales habent descripsit, quo
» res repetuntur. Legatus ubi ad fines eorum venit unde
» res repetuntur, capite velato filo (lanae velamen est) *Audi*
» *Juppiter* inquit, *audite fines* (cujuscumque gentis sunt
» nominat), *audiat fas: ego sum publicus nuntius populi*
» *romani, juste pieque legatus venio, verbisque meis fides*
» *sit*; peragit deinde postulata ; inde Jovem testem facit :
» *Si ego injuste inpieque* illos homines illasque res *dedier*
» *mihi*[2] *exposco* TUM[3] PATRIAE COMPOTEM ME NUNQUAM SIRIS
» ESSE. Haec cum finis suprascandit, haec quicumque
» ei primus vir obvius fuerit, haec portam ingrediens, haec
» forum ingressus, paucis verbis carminis concipiendique
» juris jurandi mutatis, peragit. Si non deduntur quos

1. Ubi praesto est codex Veronensis, Medicei lectiones haurito ex libello Mommseni, qui collationem a R. Schoellio factam adhibuit.

2. *Dedi er. pr. mihi* codex Parisiensis 5725 fol. 11 v°; in *dedi i* lineola deletum.

3. *Tu* pars codicum.

» exposcit, diebus tribus et triginta (tot enim sollemnes » sunt) peractis bellum ita indicit : *Audi Juppiter et tu* » *Jane*[1] *Quirine, diique omnes caelestes*[2] *vosque terre-* » *stres vosque inferni audite; ego vos testor* populum » illum (quicumque est, nominat) *injustum esse neque jus* » *persolvere; sed de istis rebus in patria majores natu* » *consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur.* Cum » his nuntius Romam ad consulendum redit. Confestim rex » his ferme verbis patres consulebat : *Quarum rerum,* » *litium, causarum condixit pater patratus populi romani* » *Quiritium patri patrato* Priscorum Latinorum homini- » busque Priscis vel Latinis[3], *quas res nec dederunt nec* » *solverunt nec fecerunt*[4], *quas res dari*[5], *fieri, solvi*[6] » *oportuit, dic*, inquit ei quem primum sententiam rogabat, » *quid censes*[7]? Tum ille : *Puro pioque dvello*[8] *quaeren-* » *das censeo, itaque consentio consciscoque.* Inde ordine » alii rogabantur, quandoque pars major eorum qui ade- » rant in eandem sententiam ibat, bellum erat consensum. » Fieri solitum ut fetialis hastam ferratam aut sanguineam » praeustam ad fines eorum ferret, et, non minus tribus » puberibus praesentibus, diceret : *Quod populi* Prisco- » rum Latinorum *hominesque*[9] Prisci Latini *adversus popu-* » *lum romanum Quiritium*[10] *fecerunt, deliquerunt, quod* » *populus romanus Quiritium bellum*[11] *cum* Priscis Latinis

1. Traditur *Juno.*

2. *Cælestes provosque* cod. Paris.; nota syllabae *pro* deleta.

3. Codex Vormaciensis *hominibusque Priscisve Latinis*, si recte intellego Rhenanum p. 7.

4. *Nec d. nec s. nec f.* in cod. Paris. fol. 12 r° omissa, in marg. addita.

5. *Dare* corr. manu posteriore cod. Parisiensis.

6. Codex Mediceus *solvi fieri.*

7. *Quidicenses* codex Mediceus.

8. *Deuello* codex Mediceus.

9. *Que* om. codex Mediceus, *hominesve* codex Vormaciensis et codex Parisiensis.

10. *Quirium* corr. manu posteriore codex Parisiensis.

11. Pro *bellum* in cod. Paris. *censuit*; pro quo manu posteriore *bellum* repositum.

» *jussit esse senatusque*[1] *populi romani Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum* Priscis Latinis *fieret, ob eam rem ego populusque romanus populis*[2] Priscorum Latinorum *hominibusque* Priscis Latinis *bellum indico facioque*. Id ubi dixisset, hastam in fines eorum » emittebat. Hoc tum modo ab Latinis repetitae res ac » bellum indictum, moremque eum posteri acceperunt. »

Nimis multa tentavit de hoc loco Otto Ribbeck, Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXII (1858) p. 206. Hic, puto, insunt cum carminum saturniorum particulae integrae, tum nonnullae corruptae, praetereaque formulae prosa oratione conceptae, quippe quae varia variaeque mensurae nomina propria admittere debuerint. Unus versus genuinus esse totus videri potest :

Tum| patriae| compo|tem me| nunquam siris| esse.

[T. Livius 3,64,10. Vide Indicem hujus voluminis sub vocibus *Si tribunos*.]

T. Livius 5,16,8 ss., anno ab urbe condita 357, ante Christum natum 397 : « Jamque Romani, desperata ope » humana, fata et deos spectabant, cum legati ab Delphis » venerunt, sortem oraculi adferentes congruentem responso » captivi[3] vatis: ROMANE[4], AQUAM ALBANAM CAVE LACU CONTI- » NERI, CAVE IN MARE MANARE[5] SUO FLUMINE SINAS; EMISSAM[6] PER

1. *Senastusve* codex Mediceus et codex Parisiensis.
2. *Populus*, ex corr. *populis* cod. Parisiensis.
3. *Capti* codex Mediceus.
4. *Romae* cod. Parisiensis 5725 fol. 89 v°.
5. *Manere* corr. manu posteriore cod. Parisiensis.
6. *Emisam* corr. manu posteriore cod. Parisiensis. De lectione codicum quorumdam deteriorum meliore cf. infra p. 265.

» AGROS RIGABIS[1], DISSIPATAMQUE RIVIS EXSTINGUES[2]; TUM TU » INSISTE AUDAX HOSTIUM MURIS, MEMOR, QUAM PER TOT ANNOS » OBSIDES URBEM, EX EA TIBI HIS QUAE[3] NUNC PANDUNTUR FATIS » VICTORIAM DATAM; BELLO PERFECTO[4] DONUM AMPLUM VICTOR AD » MEA TEMPLA PORTATO, SACRAQUE PATRIA, QUORUM[5] OMISSA » CURA EST, INSTAURATA UT ADSOLET FACITO[6]». Idem Livius 5,15,2 et 4 et 11-12 : « In unum omnium curae versae » sunt, quod lacus in Albano nemore sine ullis caelestibus » aquis causave qua alia quae rem miraculo eximeret in » altitudinem insolitam crevit... Vaticinantis in modum » cecinit, priusquam ex lacu Albano aqua emissa foret, » numquam potiturum Vejis Romanum...... Sic[7] igitur » libris fatalibus, sic disciplina etrusca traditum esse, (ut) » quando aqua Albana abundasset, tum si eam Romanus » rite emisisset victoriam de Vejentibus dari; antequam » id fiat, deos moenia Vejentium deserturos [non] esse. » Exsequebatur[8] inde quae sollemnis derivatio esset; sed » auctorem levem nec satis fidum super tanta re patres » rati decrevere legatos sortesque oraculi Pythici exspe- » ctandas. »

Saturnii versus haud ita difficile dinoscuntur. Primus integer; caesura post arsin; *lacu* lege vocum quae iambum efficiunt corripitur:

Ro|mane, aquam| Alba|nam ca|ve lacu| conti|neri.

Secundus sanabitur, si cum Hermanno[9] pro *sinas* legeris *siris*, qua mutatione nihil levius. Thesis paenultima sublata.

1. *Rigabit* codex Mediceus.
2. *Extinges* suprascripto *u* cod. Parisiensis.
3. *Que* codex Parisiensis.
4. *Profecto* corr. manu posteriore cod. Parisiensis.
5. *Sacratoque patria corum* corr. manu posteriore cod. Parisiensis.
6. *Factio* codex Paris.
7. *Sic*] : *his* codices Mediceus et Parisiensis.
8. *Exsequebantur* codex Parisiensis.
9 Elementa doctrinae metricae p. 617.

Incertum utrum *suo* unam syllabam[1] efficiat an spondeum[2]; si spondeum, *cave in* pro pyrrhichio est habendum[3]; schema duplex :

Cave| in mare| mana|re suo| ⎫
Cave in| mare ma|nare| suo| ⎭ flumi|ne| siris.

Voces quae sequuntur, *emissam... exstingues*, aut unum versiculum aut duos efficiant necesse est, nam qui sequuntur versiculi *tum... muris*, *memor... urbem*, *ex ea... fatis*, *victoriam...perfecto*, *donum... portato*, *sacraque... cura est*, *instaurata...facito* et sensu et metro jubente satis facile separantur. Eae vix invenias quomodo in unum versiculum cogi possint, nam nullum ibi glossematis vestigium; contra deesse aliquid ostendunt Livii verba : « si eam Romanus *rite* emisisset », « quae *sollemnis* derivatio esset». Exitum igitur tertii initiumque quarti simul excidisse veri simile est. In *per agros rigabis*, si codicum potiorum lectio vera est, non potes quin *per* propter arsin produci judices[4]; sed pro *emissam* invenit Muretus in « vetere libro » *manu missam*, quam scripturam servabant codices a Drakenborchio laudati quattuor. Hanc vocem *manu* vulgo vix jure rejiciunt, quia in libris melioribus (saltem qui meliores existimantur esse) ea non reperiatur : qui vero factum est, ut librarius quidam de aqua *manu mittenda*, non *emittenda* cogitaverit? At *manu* si servaverimus, absque productione illa permira vocis *per* saturnii hemistichium prius pedes suos habebit justos. Itaque in lectione Mureti *manu* consistendum est, etiam

1. Vide supra p. 80.
2. Vide supra p. 77.
3. Vide supra p. 42.
4. Cogitari posset de verbo composito *perrigare*, ut productio praepositionis *per* illi vergilianae praepositionis *super* (Aeneid. 6,254 : *Pingue supĕr oleum infundens*) prope similis esset; sensusque melior videretur fieri, si *rigare agros*, non *rigare aquam* esset dictum. Itaque talis versus constitueretur : *Emissa* [*rite rivis*] *pēr- agros -rigabis*. Sed haec linquenda : nam duobus jam locis, non uno, voces quasdam excidisse ficturus esses; deque aqua, non de agris, summa totius sententiae est; atque praeterea Plinius (Histor. natur. 11,37,69,182) de venis *sanguinem*, dixit, *rigant*.

contra Medicei codicis Parisiensisque auctoritatem. Hoc igitur solum perpendendum restat, utrum *manu missam* an *manu emissam* debeat scribi. Facile *manu mittere*, quod quasi una vox est eaque librariis notissima, pro *manu emittere* poni potuit; fortasse etiam sic littera *e* deleta est, omissa prius voce *manu*, ea in margine addita, inserendique nota inducta inter *sinas* et *emissam*. Utut est, procul omni dubio restituendum est cum praepositione *emissam*; nam similiter de Albani lacus aqua dicitur 5,15,4 et 5,51,6 *emissa*, 5,15,11 *emisisset*. Quodque haesitare omnino vetat, ipsam bonam lectionem *manu emissam* servavit codex unus a Gebhardo apud Drakenborchium laudatus[1]. — *Dissipatamque* non nisi aegre in versu saturnio servabis; at commode *disque sipatam*[2] producto *que* propter arsin restitues. Sic igitur versiculos refingo:

Manu| emis|sam per a|gros ri|gabis| [*rivis*] *rite*,
Ri|*te*] dis|que si|patam| rivis| ex|stingues.

In quinto versu nihil mutandum. Sublata est thesis paenultima in hemistichio altero, fortasse et in priore, cum hiatus post thesin in *insiste audax* dubitationem moveat[3]; post *tu* in arsi hiatur:

Tum| tu in|siste| audax| hosti|um| muris.

Etiam sextus versus incorruptus; thesis paenultima sublata :

Me|mor, quam| per tot| annos| obsi|des| urbem.

Septimus quoque incorruptus, sed is quomodo feriri debeat incertum. *Ea* unam syllabam efficit[4]. In hemistichio altero

1. Vides quam male editores recentiores omnes *manu* sustulerint. Simul vides quam periculosum sit codices eos nimium spernere, qui jure vel injuria pro deterioribus habentur.

2. Sic apud Lucretium 1,650 *disjectis disque supatis*.

3. An *Tum tu in*[*du*]*siste audax*...? sic infra *in*[*du*]*staurata*.

4. Vide supra p. 80.

thesis paenultima sublata; in priore aut eadem thesis tollitur, quod aegre crediderim, aut hiatus propter arsin[1] in *tibi* est admittendus[2] :

Ex| ea tibi|, his| quae nunc| } panduntur| fatis.
Ex| ea ti|bi, his| quae nunc| }

In octavo versu pro *bello* aut *belloque* aut *düello* legendum; thesis paenultima sublata; caesura post arsin :

Vi|ctori|am da|tam; du|ello| per|fecto.

Versus nonus incorruptus; *mea* monosyllabon[3]; thesis paenultima sublata, nisi Hermanno duce (supra p. 85) restituimus *tempula*:

Donum| amplum| victor| ad mea| { templa| po|tato.
{ tempu|la por|tato.

In decimo et undecimo versu singuli pedes desunt, neque tamen quidquam videtur cecidisse. Eos ita refingendos censeo, ut pro *instaurata* levi mutatione *industaurata* scribatur; pro *omissa cura* (sicut supra *disque sipatam*) adhibita tmesi *ob cura missa*[4]; pro *est*, quod cum *cura* cohaeret, *ea* cum *industaurata* conjunctum. In utroque versu thesis paenultima sublata; in priore etiam thesis paenultima prioris hemistichii; in eodem hiatus post caesuram; posterioris caesura post arsin sed cum elisione; producta propter arsin *sacraque, patria, cura; ea* disyllabon propter arsin cum hiatu productum :

Sacra|que patri|a|, quorum| ob cu|ra| missa,
E|a in|dustau|rata, ut| asso|let|, facito.

T. Livius 6,29,5 ss., anno ab urbe condita 374, ante

1. Vide supra p. 63.
2. Sic etiam proferre posses ut thesis in hemistichio priore tolleretur, nunc alterius hemistichii esset; sed nihil invenustius.
3. Vide supra p. 80.
4. Fortasse pronuntiari debet *ommissa* : v. infra II, II, 2.

Christum natum 380 : «... oppido se Praeneste includunt. » Octo praeterea oppida erant sub dicione Praenestinorum : » ad ea circumlatum bellum, deincepsque haud magno » certamine captis Velitras exercitus ductus ; eae quoque » expugnatae. Tum ad caput belli Praeneste ventum : id non » vi sed per deditionem receptum est. T. QUINCTIUS, semel » acie victor, binis castris hostium, novem oppidis vi captis, » Praeneste in deditionem accepto, Romam revertit, trium- » phansque signum Praeneste devectum Jovis Imperatoris » in Capitolium tulit. Dedicatum est inter cellam Jovis ac » Minervae, TABULAque sub eo fixa, monumentum rerum » gestarum, his ferme incisa litteris fuit : JUPPITER ATQUE » DIVI OMNES HOC DEDERUNT UT T. QUINCTIUS[1] DICTATOR OP- » PIDA NOVEM CAPERET. Die vicesimo quam creatus erat » dictatura se abdicavit. » Festus p. 363 Mueller, ex recensione Mommseni (de qua infra § 3 ad locum Festi p. 375) p. 73: « TRIENTEM TERTIUM PONDO CORONAM AUREAM DEDISSE » SE[2] JOVI DONUM scripsit T. QUINTIUS dict[ator[3]], cum PER[4] » NOVEM DIES URBES ET DECIMAM PRAENESTE CEPISSET. Id » significare ait Cincius in[5] Mystagogicon[6] l. II duas » libras pondo et trientem. »

Jovi Imperatori signum in Capitolio T. Quinctius posuit non dictator Cincinnatus ex Praeneste verum ex Macedonia Flamininus consul[7]. Errat igitur Livius majorque Festo debetur fides, quippe qui de corona non de signo loquatur. Certissime trunca sunt quae apud Livium legimus, nam illud maximi momenti *per novem dies* et nomen *Prae-*

1. *Quintius* codex Parisiensis 5725 fol. 111 r°.

2. *Se* adnotatio Victorii ex apographo Politiani; omittunt codices Vaticani et editio Pii.

3. *Dict...* ed. Ursini, *dictus* ed. Pii, *dictator* codices Vaticani.

4. *Pro* editio Pii.

5. *In* omittit editio Pii.

6. Μυσταтοτικον codex Vaticanus 1549, μυστατογικον codex Vaticanus 2731.

7. Cicero in Verrem 4,57,129. De qua re, et de inscriptione T. Quinctii dictatoris, conferatur Maximilianus Zoeller, *Latium und Rom* (Leipzig 1878) p. 334 ss.

neste deest. Haec a librario quodam Livii casu omissa esse ne putes, ipse Livius integrum titulum non noverat; qui si quid de *corona aurea trientem tertium pondo* legisset, de signo Jovis Imperatoris nullo pacto loqui poterat. Neque ipse de novem diebus videtur quidquam accepisse. Ab eo igitur annalium scriptore titulus injuriam pertulit, cujus opus hac in parte Livius exscribebat; ille ex memoria fortasse sine ulla scripturae ope T. Quinctii versus tradiderat. Cum ita se res habeat, « quantilli est », ut cum Ritschelio[1] loquamur, « *ut* particulam una litterula augere proque » Jovis nomine pristinam *Djovis pater* vel *Djovispiter* » formam substituere ? » Jam perfectus evadit saturnius primus :

Jo|vis pater| atque| divi| { omnes| hoc de|dĕrunt.
omnes| hoc| dedĕrunt. }

Alterius autem versiculi initium tantummodo cognosci potest :

U|ti Titus| Quincti|us di|ctator|....|....

Ex his quae Festus affert, collata Ti. Sempronii Gracchi a Livio 41,28 laudata tabula, talia effici possunt, in quibus, lege eorum temporum, *Jovi* et pro iambo et pro pyrrhichio accipias licet :

Tri|entem| terti|um pon|do co|ronam| auri

..|....|....|.. Jo|vi de|dit| donum[2].
..|....|....|...| Jovi de|dit| donum.

At quae de oppidis novem novemque diebus et de Praeneste scripta erant, de iis ne similia quidem veri nunc queas hariolari.

---

1. Opuscula IV p. 204.

2. De loco vocis *donum* vide infra ad Livii locum 41,28.

[T. Livius 7,26,4. Vide Indicem hujus voluminis sub vocibus *si divus*.]

Decadi tertiae fontes in libris XXVI-XXX codex Puteaneus cum aliis, in libris XXI-XXV Puteaneus solus. Is nunc Parisiensis 5730, scriptus saeculo VII vel ineunte VIII; alii neque ii spernendi viri docti saeculi volunt esse quinti.

T. Livius 25,12,2-11, Q. Fulvio Flacco Ap. Claudio Pulchro coss., anno ab urbe condita 542, ante Christum natum 212, ex codice Parisiensi 5730 foliis 189 et 190 : « †Relicto » (*id est* religio) deinde nova objecta est ex CARMINIBUS » MARCIANIS. Vates hic MARCIUS inlustris fuerat, et cum » conquisitio priore anno ex sc. talium librorum fieret, in M. » Aemili pr. †urbem (*id est* urbani), qui eam rem agebat, » manus venerant; is protinus novo praetori Sullae tradiderat. Ex hujus MARCII duobus carminibus alterius post » rem [f]actam editi[1] †cum rato auctoritas eventu alteri quo» que, cujus nondum tempus venerat, adferebat fidem. » PRIORE CARMINE Cannensis praedicta clades in haec » fere verba erat : AMNEM TROJUGENA(M) ROMAN(A)E FUG(A)E » CANNAM[2], NE TE ALIENIGENAE COGANT IN CAMPO DIO» MEDIS CONSERERE MANUS. SED NEQUE CREDES TU MIHI, » DONEC CONPLERIS SANGUINE CAMPUM, MULTAQUE MILLIA OCCISA » TUA DEFERET AMNIS IN PONTUM MAGNUM EX TER[R]A FRUGI» FERA; PISCIBUS ATQUE AVIBUS FERISQU(A)E QU[A]E[3] INCOLUNT » TERRAS, [I]IS FUAT ESCA CARO TUA; NAM MIHI ITA JUPPITER » FATUS EST. Et Diomedis Argivi campos et Cannam †flumini

1. Codex 5730 *post* *raẽ* (*me* expunctum) *acta dediti.*
2. Codex 5730 *Trojugenam romanae fugae Candam* (*n* supra scriptum).
3. Codex 5730 *feris quaecq. incolunt.*

» (*id est* flumen ii) qui militaverant in iis locis juxta atque » ipsam cladem agnoscebant. Tum ALTERUM CARMEN » recitatum, non eo tantum obscurius, quia incertiora » futura praeteritis sunt, sed perplexius etiam scriblurae » gener(a)e : HOSTIS, ROMANI, SI EXPELLERE VULTIS, VOMICA[M] » QUAE GENTIUM VENIT LONGE, APOLLINI VOVENDOS CENSEO » LUDOS QUI QUODANNIS COMITER APOLLINI FIANT; CUM POPULUS » DEDERIT EX PUBLICO PARTEM, PRIVATI(S) UTI CONFERANT PRO » SE ATQUE SUIS; IIS LUDIS FACIENDIS PRAE(T)ERIT PRAETOR IS » QUI JUS POPULO PLEBEIQUE DABIT SUMMUM; DECEMVIRI » GRAECO RITU HOSTIIS SACRA FACIANT. HOC SI RECTE FACIE- » TIS, GAUDEBITI(I)S SEMPER FIETQUE RES VESTRA MELIOR, NAM » IS †DIUM EXTINGUET PERDVELLIS VESTROS QUI VESTROS CAMPOS » †PASCIT PLACIDE. Ad id carmen explanandum diem unum » sumpserunt; postero die s. c. factum est ut decemviri de » ludis Apollini reque divina facienda inspicerent. Ea cum » inspecta relataque ad senatum esse[n]t, censuerunt » patres Apollini ludos †vomendos faciendosque[1] et, » quando ludi facti essent, duodecim millia aeris praetori » ad rem divinam et duas hostias majoris dandas. » Alterum s. c. factum est ut decemviri sacrum graeco » ritu facerent iis quae (*id est* hisque) hostiis, » Apollini †vove aurato et capris duabus albis auratis, » Laton[a]e bove femina aurata. Ludos praetor in circo » maximo cum facturus esset, edixit ut populus per eos » ludos stipem Apollini, quantam commodum esset, confer- » ret. » Macrobius, Saturnalia 1,17,28 s. : « Fertur autem » in CARMINIBUS MARCII[2] vatis, cujus duo volumina » inlata sunt in senatum, inventum esse ita scriptum : » HOSTEM, ROMANI, SI EX AGRO EXPELLERE VULTIS, VOMICAM » QUAE GENTIUM VENIT[2] LONGE, APOLLINI CENSEO VOVENDOS » LUDOS QUI QUOTANNIS COMITER [APOLLINI[2]] FIANT. HIS LUDIS » FACIENDIS PRAESIT IS PRAETOR QUI JUS POPULO PLEBIQUE

1. Codex 5730 *vomendos* (*b* supra scriptum) *faciendos qui*.

2. In codice Macrobii Parisiensi 6371 (folio 41 recto a) *marcii*, *venit* inter lineas addita. Ibidem post *comiter* deest *Apollini*.

» DABIT SUMMUM; DECEM VIRI GR[A]ECO RITU HOSTIIS[1] SACRA FA-
» CIANT. HOC SI RECTE FACIETIS, GAUDEBITIS SEMPER FIETQUE
» RES PUBLICA MELIOR, NAM IS DIVUS EXTINGUIT† PERDVELLES
» VESTROS QUI VESTROS CAMPOS PASCUNT[2] PLACIDE. Ex hoc
» carmine cum procurandi gratia dies unus rebus divinis
» impensus esset, postea senatus consultum factum [est[3]] uti
» decemviri, quo magis instruerentur de ludis Apollini
» agundis reque divina recte facienda, libros sibillinos adi-
» rent. In quibus cum eadem reperta nunciatum esset, cen-
» suerunt patres Apollini ludos vovendos faciendosque, in-
» que eam rem duodecim milia aeris praetori et duas ho-
» stias majores dari, decemvirisque praeceptum ut gr[a]eco
» ritu hisce hostiis sacrum facerent, Apollini bove aurato
» et capris duabus albis auratis, Latonae bove femina au-
» rata. Ludos in circo populus coronatus spectare jussus. »
Festus p. 326 Mueller : « At in hoc libro refert [*Ver-*
» *rius*] Sinni Capitonis verba, quibus eos ludos Apollinares
» Claudio et Fulvio cos. factos dicit, ex libris Sibyllinis et
» vaticinio M. vatis institutos. » Servius in Vergilii Aeneida
6,70 ex codice Parisiensi 7959 : « Ludos Apollinares[4] qui
» secundum quosdam bello punico secundo instituti sunt,
» secundum alios tempore Syllano[5], ex RESPONSO MAR-
» CIORUM FRATRUM, quorum exstabant[6] SYBILLINA
« RESPONSA. »

Prior locus ex solo Livio constituendus, alter ex Livio atque Macrobio. In priore *Romane* jure ut glossema expulit Hermannus[7]. Injuria idem *Cannam fuge* pro *fuge Cannam* scribit ; nam fieri quidem facile poterat ut librarius *Cannam* vocem voci *amnem*, quo sententia dilucidior fieret, locaret

1. Codex Parisiensis *hosti*^i^*s*.
2. In codice Parisiensi *pascunt* inter lineas additum.
3. *Est* om. codex Parisiensis.
4. *Dicit* addit editio Danielina cum codice Parisiensi 7929 et, quantum judicamus ex collatione Duebneri nobis per Aemilium Thomas nota, cum codice Cassellano.
5. In margine additur *sybillano*.
6. *Ut* addit ed. Danielina cum codice Paris. 7929 et codice Cassellano.
7. Elementa doctrinae metricae p. 614.

propius; ut longius, nullo pacto. Ceterum quae hic admitti debet caesura in arsi soluta, ea quamquam in reliquis carminibus saturniis nusquam certo reperitur (supra pp. 207, 209), nihil tamen habet quod jure offendat. Nam ex epicis, scenicis, lyricis carminibus nihil hic colligi potest, cum epica arsin non solvant, scenicorum pleraque caesuram exhibeant locatam post thesin, lyrica neque arses neque theses temere solvere soleant. Hic est igitur versus primus :

A|mnem, Tro|jugena|, fuge Can|nam, ne te| alie|nigenae.

— Versum sequentem ante *sed neque* finem habere sensus ostendit. Hic autem, ut apud Livium quidem legitur, neque legitimam caesuram habet neque recte in exitu iambicam vocem videtur retinere posse. Credo equidem, *manus* a librario quodam (sive ab annalium scriptore malis) a verbo alieno *cogant* esse divulsum verboque suo *conserere* perspicuitatis causa propius admotum. Sic igitur lego:

Ma|nus co|gant in| campo| Diome|dis con|serere.

— In tertio versu, praeeunte Hermanno, *sangui* scribo pro *sanguine*. Etiam hic caesuram in arsi soluta locatam videmus, nisi *mi* ex *mihi* efficere velis :

Sed| neque cre|des tu| mihi, do|nec com|pleris| sangui.

— In quarto bene Hermannus *miliaque multa* pro *multaque millia* substituit; facillime enim *illi* et *ult* inter se commutari possunt[1]. Quo facto versus demum caesuram legitimosque hemistichii prioris pedes habet. Alterum hemistichium ex his vocibus constat, *occisa tua*, thesi paenultima sublata, *u* in *tua* producto (supra p. 75), nisi tmesi

1. Sic infra in loco (ut videtur, Naeviani Belli Poenici) a Festo p. 352 laudato *millia alia* in *multa alia* mutandum est. Sane codex Livii Puteaneus (cujus litteraturam ex Wattenbachii et Zangemeisteri *Exemplis codicum Latinorum* tab. XVIII noscere potes) saeculo existimatur scriptus esse quinto, quo tempore error ille minus proclivis erat quam saeculis Carolinis fuit.

adhibita (cf. supra pp. 252, 267) *ob tua caesa* legere velis. In caesura hiatur:

Cam|pum, mil|liaque| multa| occi|sa| tua.

— In quinto versu utriusque hemistichii thesis paenultima sublata; anacrusis a librario omissa est[1]. Haec ex adjectivo constiterit oportet; nam epitheto carere non potuit amnis, ubi pontus *magnus* vocabatur et terra *frugifera*:

[Citu']| defe|ret| amnis| in pon|tum| magnum.

— In sexto versu nihil corruptum; hemistichii prioris thesis paenultima sublata, *piscibus* pro cretico accipiendum:

Ex| terra| fru|gifera|;   pisci|bus atque| avibus.

— Etiam septimus versus incorruptus; in hoc caesura post arsin :

Fe|risque quae| inco|lunt   ter|ras, i|is fuat| esca.

— In octavo nihil mutandum praeter *fatust* pro *fatus est*; *tua* per arsin productum; thesis paenultima sublata :

Ca|ro tu|a, nam| mihi   ita| Juppi|ter| fatust.

Alter locus jam apud eum scriptorem exstabat corruptus, ex quo et ad T. Livium et ad Macrobium textus pervenit. Nam minime dubium est, quin apud utrumque in ultimo versu *vestros* injuria bis fuerit scriptum. Quae vox ad *campos* referenda est; inde autem error principium habuit, quod cuidam visum est *vestros* cum *perdvelles* cohaerere. Ultimum versum, id est ut apparebit duodecimum, sic constituo :

Ve|stros qui| campos| pascunt| placide| per|dvelles.

— Etiam in nono versu *sacra* eidem interpolatori tribue-

1. *Deferĕt* enim legendum (supra p. 44).

rim satis libenter. Sane ita recitari potest hic versus, ut simul et thesis quinti pedis et arsis sexti solvantur :

. . . . hosti|is *sacra*| *faci*ant;

sed nusquam alibi simile quidquam reperitur (vide supra exempla solutae arsis, pp. 153 ss.), ceterique carminis nostri versus ostendunt id potius quaesivisse poetam, ut theses paenultimae syncopam paterentur, atque praeterea nihil tritius, quam *facere* pro *sacrum facere* absolute adhibitum. Recte igitur Hermannus[1] illud *sacra* sustulerat; sine justa causa pro *faciant* scripsit *faciunto*. In priore hemistichio memineris, qui vetus pronuntiandi mos fuit, *decĕm vīri* dici potuisse (supra pp. 35,85); sed nihil impedit, quominus simpliciore modo *decēmvĭri* dicamus :

De|cemvi|ri grae|co ritu| hosti|is| faciant.

— In quarto versu fortasse pronuntiabatur *quotănnis* (vide supra p. 36 ss.); quod si factum est nihil apud Livium Macrobiumque mutandum. Sed quanto veri similius est, *qui* in communi utriusque scriptoris fonte ab eodem interpolatore esse additum, quo melius legentes intellegerent, ipsum autem poetam oratione dissolutiore usum esse! Nam *qui* ne post *Apollini* traducere velis, unde thesis paenultima fiat, id vetat syncopa in reliquis versibus saepissime adhibita. *Comiter* propter arsin producitur :

Quot|annis| comi|ter A|polli|ni| fiant.

— Contra atque in versibus duodecimo, nono, quarto evenit, secundus octavusque in communi Livii ac Macrobii fonte jam fuerunt decurtati. In neutro tamen sententia hiare videtur, unde licet conjicias nihil esse omissum quod ad sensum quidquam faciat, verum aliquod veterum temporum loquendi genus, quod longius verbosiusve seriore sermone

1. Elementa doctrinae metricae p. 615

fuerit, recentiori locutioni eique breviori cessisse. Id mihi veri videtur simillimum, in utroque versu per pleonasmum, qui vocatur, adjectivum relativum *qui* cum demonstrativo *is* fuisse conjunctum. Cujus rei exempla haec afferre possum : Plautus, Trinummus 4,3,16 : *Quorum eorum* unus surpuerit currenti cursori solum. Epidicus 3,1,8 : *qui*, tibi quoi divitiae sunt maxumae, *Is* nummum nullum habes. Cicero, Acad. pr. 2,25,79 : *Quod* ne *id* facere posses. T. Livius 8,37,8 : *Quorum eorum* ope ac consilio... bellum fecissent[1]. Praeterea dativus *quoiei* nihil aliud est quam duo dativi *quoi* et *ei* inter se juncti. Pleonasmus etiam cum aliis pronominibus reperitur. Pronomen *is* sibi ipsum adjicitur in dativo *eiei*[2] et in accusativo *emem*. Cum pronomine *ille* jungitur *is* in his exemplis: Cato apud A. Gellium 14,2,26 : *Illi*, unde petitur, *ei* potius credendum esse. Plautus, Poenulus 119 : *Ille*, qui adoptavit hunc pro filio sibi, *Is* illi Poeno hujusce patruo hospes fuit. Menaechmi 4,3,4 : Pallam *illam* (amabo te), quam tibi dudum dedi, Mihi *eam* redde. Asinaria 3,1,24 : *Illos,* qui dant, *eos* derides: qui deludunt, deperis. Cum *hic* et *istic* jungitur in his: Plautus, Aulul. prol. 34 : Et *hic*, qui poscet eam sibi uxorem senex, *is* adulescentis illiust avunculus. Epidicus 52 : Quid? *istanc,* quam emit, quanti *eam* emit? Atque recte, ut opinor, statuit Franciscus Meunier illos genetivos pronominum in *ius*, ut *illīus*, *unīus*, *cujus*, *ejus*, quorum originem per fas et nefas grammatici plurimi enucleare conati sunt, constare ex genetivis binis ***illi ius***, ***uni ius***, ***quoi ius***, ***ei ius*** : scilicet *ius* ex nominativo *is* pendet ut veteres formae *patrus*, *Caesarus* aliaeque ex *pater*, *Caesar* et similibus[3]; inde fit ut cum gemina littera *i* saepe legatur *quoijus*, *ejjus*; *quo mihi ius* in Plauti Persa 1,3,3 (ubi codex B male *quo-*

1. Simili prope modo Terentius, Adelph. 3,2,8 : *Quem* neque fides neque jus jurandum neque *illum* misericordia Repressit. Conferas quae dicit Meunier, Mémoires de la société de linguistique de Paris I p. 58.

2. Meunier, Mém. de la soc. de ling. I p. 52.

3. De quibus omnibus vide Bücheler, Précis de la déclinaison latine § 140.

jus mihi) probabiliter pro *quoi mihi ius* accipit Meunier[1], neque forsitan pauci scriptorum veterum loci similes formas aut retinebunt aut ex conjectatione doctorum accipient, ubi sermonis prisci leges accuratius noscere ac perpendere homines nostri dignabuntur[2]. — Ergo in octavo versu satis confidenter *is* addere possumus, vel, ut rectius loquamur, ex praecedenti versu repetere. Nam illud *is* cum male intellegeretur, apud Livium post *praetor*, apud Macrobium ante *praetor* travectum est. Hiatus in caesura, thesis paenultima sublata :

Qui| jus popu|lo ple|beique| [is] da|bit| summum.

In secundo versu *ea* addendum; caesura post arsin; propter arsin *venit* et *ea* producta; thesis paenultima sublata :

Vomi|cam quae| genti|um ve|nit [e|a]| longe.

— In septimo *is* dele (vide supra; hoc facto etiam allitterationem quae vocatur habes optimam, *praeerit praetor*); cum T. Livio *praeerit*, non *praesit* cum Macrobio lege. Thesis paenultima sublata :

I|is lu|dis faci|endis| praee|rit| praetor.

— In undecimo geminum glossema deprehenditur; nam pro *res* Livius *res vestra*, Macrobius *res publica* exhibet :

Fi|etque| res meli|or nam is| divus| ex|stinguet.

— Versus tertius apud Livium incorruptus. Macrobius male voces *vovendos* et *censeo* invertit. Thesis paenultima sublata :

A|polli|ni vo|vendos| cense|o| ludos.

1. Mém. de la soc. de ling. I p. 44-45.

2. Vide, quaeso, Ritschelius discipulique quam irreverenter lectionem codicum Plautinorum habeant in locis supra allatis.

— In decimo versu pro *facietis*, ut supra p. 206 dictum est, restituendum videtur *facitis* :

Hoc| si re|cte faci|tis, gau|debi|tis| semper.

— Ex omnibus versibus, quos et Livius et Macrobius adhuc exhibent, difficillime sanari potest primus. Parum refert, utrum in principio *hostis* cum Livio an cum Macrobio *hostem* legas (hoc tamen quam illud malo, quia propter pluralem numerum in vicino *Romani* facile *hostem* in pluralem formam abire potuit); sed neque Livii *expellere* satis longum neque Macrobii *ex agro expellere* satis breve est ut inde legitimus versus constitui queat. *Ex agro* additum esse, prorsus incredibile est. Puto igitur tale quid ab auctore carminis esse cogitatum:

Ho|stem, Ro|mani|, si ex agro| pelle|re| vultis[1].

Caesura ergo post arsin locata est, thesis quarta soluta, thesis paenultima sublata. — Duo versus restant, quintus scilicet et sextus, quos aut Macrobius aut Macrobii librarii praetermiserunt : ii igitur ex solo Livio constituendi. In utroque caesura post arsin habet locum, thesis paenultima sublata est; in altero *atque* propter arsin productum; in hoc *se* cum hiatu esse prolatum credi possit, sed praestat *sed* restituere; *uti* lege vocum iambicarum correptum (conferas seriorum temporum formas *utĭque*, *utĭnam*). Hoc in his versibus notatione dignius, quod in priore *cum* ita pronuntiandum videtur ut duas syllabas efficiat (satis dubitanter, fateor, illud ex saliari carmine repetitum *cume* scripsi), in altero autem *suis* priorem syllabam producit.

Cu|m[e] popu|lus dede|rit ex| publi|co| partem,
Pri|vati uti| confe|rant pro| sed at|que| suis.

1. Corripi ergo ex lege vocum iambicarum (supra p. 32) videtur *agro*. Sine correptione etiam sic legi potest :

Ho|stem, Ro|mani, a|gro si ex|pelle|re| vultis.

Totum carmen perspicuitatis causa nunc repetam, in quo paenultima quaeque thesis supprimitur :

Hostem, Romani, si ex agro pellere· vultis,
Vomicam quae gentium venit [ea]· longe,
Apollini vovendos censeo· ludos :
Quotannis comiter Apollini· fiant ;
Cum[e] populus dederit ex publico· partem,
Privati uti conferant pro sed atque· suis;
Iis ludis faciendis praeerit· praetor
Qui jus populo plebeique [is] dabit· summum ;
Decemviri graeco ritu hostiis· faciant.
Hoc si recte facitis, gaudebitis· semper,
Fietque res melior, nam is divus ex·stinguet
Vestros qui campos pascunt placide per·duelles[1].

T. Livius 37,27,7 ss. Vide infra, II, ii, 5.

In libro tricesimo septimo fontes codex deperditus Moguntinus, codex Bambergensis, codicisque Bambergensis cognati codices complures deteriores; in libro quadragesimo ante caput 37 Moguntinus et deteriores, post caput 37 Moguntinus solus.

Codex Moguntinus post saeculum xvi non comparuit. Ejus varietatem scripturae enotaverunt primum Nic. Carbachius et Wolfg. Angustus in fine editionis T. Livii Moguntinae anni 1518 (eam scripturae adnotationem Kreyssigius repetendam curavit in editione libri Livii xxxiii, Meissen 1839), deinde non pauca addens vel corrigens Sig. Gelenius in editione Basileensi anni 1535. Codicis Bambergensis lectiones Kreyssigius in eadem editione libri xxxiii affert. Lectores admonitos velim, me neque Carbachii

1. Utrumque vaticinium tractavit O. Ribbeck, Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXVII (1858) p. 204 s., parum feliciter.

neque Gelenii neque Kreyssigii editiones hic secutum esse, verum, cum mihi Madvigii atque Ussingii editio librorum XXXVI-XL Hauniensis anni 1865 apparatum criticum satis amplum praebere videretur, in eorum philologorum fide acquievisse.

Hujus rei probe memineris, praecipuum illum decadis quartae codicem Moguntinum non ipsum nobis praesto esse, verum solummodo per doctos viros saeculi XVI aliquo modo esse notum. At quod Madvigius ostendit, in eo legendo Carbachius saepe peccavit, Carbachium Gelenius non satis accurate semper castigavit. Ubi igitur, ut in gravissimo loco 40,52, reliqui codices deficiunt, conjectando atque hariolando secundum artis philologicae leges plurimum tribui potest.

T. Livius 37,30 et 58. Vide p. 281 ad 40, 52.

T. Livius 40,34,4 ss. Vide infra § 4 p. 316 locum Scriptoris incerti ex Caesio Basso descriptum.

T. Livius 40,52,4 ss., anno ab urbe condita 575, ante Christum natum 179 : « Idem [*M. Aemilius Lepidus censor*] » dedicavit aedem Larium Permarinum in Campo. Voverat » eam annis undecim ante L. Aemilius Regillus navali » proelio adversus praefectos regis Antiochi. Supra valvas » templi TABULA cum titulo hoc fixa est : DVELLO MAGNO » REGIBUS DIRIMENDO CAPUT SUBIGENDIS PATRANDAE PACIS HAEC » PUGNA EXEUNTI L. AEMILIO M. AEMILII FILIO AUSPICIO IMPE- » RIO FELICITATE DUCTUQUE EJUS INTER EPHESUM CAMUCHUM- » QUE INSPECTANTE COS IPSO ANTIOCHO EXERCITU OMNI EQUI- » TATU ELEPHANTISQUE CLASSIS REGIS ANTIOCHI ANTEA SIC

» VICTA FUSA CONTUSA FUGATAQUE EST, IBIQUE EO DIE NAVES » LONGAE CUM OMNIBUS SOCIIS CAPTAE LXII. EA PUGNA PUGNATA » REX ANTIOCHUS REGNUMQUE EJUS REI ERGO AEDEM LARIBUS » PERMARINIS VOVIT. Eodem exemplo tabula in aede Jovis » in Capitolio supra valvas fixa est. » Scriptor incertus qui Caesium Bassum expressit (supra p. 2; cf. infra p. 309 ss.) « Apud nostros autem in tabulis antiquis, quas triumpha- » turi duces in Capitolio figebant victoriaeque suae titu- » lum saturniis versibus prosequebantur, talia repperi » exempla. Ex REGILLI TABULA : DVELLO MAGNO DIRI- » MENDO, REGIBUS SUBIGENDIS. » T. Livius 37,30,7 : « qua- » draginta duabus navibus in ea pugna amissis, quarum » decem tres captae in potestatem hostium venerunt, cete- » rae incensae aut demersae. » Appianus, Syriaca 27 : « διεφθάρησαν 'Αντιόχου νῆες μιᾶς δέουσαι τριάκοντα, ὧν τρισκαίδεκα αὐτοῖς » ἀνδράσιν ἐλήφθησαν. » T. Livius 37,58,3 : « ...auditis rebus » gestis ejus, quantis cum classibus hostium dimicasset, » quot inde naves demersisset aut cepisset, magno con- » sensu patrum triumphus navalis est decretus : trium- » phavit calendis Februariis. »

Prima verba, cum ex ipsa perturbatissima sententia, tum ex loco Scriptoris Incerti, omni modo perversa esse perspicuum est. Itaque miror et Hermannum[1] et Ritschelium[2] fugisse, ea nullo jure illam sedem obtinere, quam in Livii codice habent. Cum his enim vocibus titulus exordium capiebat: *L. Aemili M. f.* [*pr.*[3]] (quae totius tituli inscriptio fuit, ut in aliis tabulis triumphalibus *Ti. Semproni Gracchi cos.*, *L. Mummi L. f. cos.*), *Ductu, auspicio, imperio, felicitate ejus* (qui primus versus, ut in Mummiana tabula *Ductu auspicio imperioque ejus Achaja capta,* in Semproniana [*Ductu*] *imperio auspicioque legio exercitusque*). Sed in inscriptione *Aemilii* inter *M.* et *f.* perspicuitatis causa additum est ; *Aemili* propter vicinum *exeunti* (ergo postquam

1. Elementa doctrinae metricae p. 616.

2. Opuscula IV p. 201 (ex opusculo anno 1852 scripto.

3. Vel *cos.* : vide infra pp. 284 ss).

omnis ordo verborum jam erat turbatus) in *Aemilio* mutatum, eademque causa *filio*, non *fili*, ex nota *f.* factum ; in versu *ductu* omissum, et *ductuque* post *felicitate* injuria restitutum. Hujus igitur versus caesura post arsin; in paenultimo pede incertum utrum facta synaloepha thesis tollenda sit, an vel hiatu post thesin admisso vel prisca ablativi forma *felicitated* restituta pedem habeamus plenum:

Ductu,| auspicio|, imperi|o, fe|lici|tate| ejus.

In fine duos saturnios habemus integros : prioris anacrusin lege priscae pronuntiationis certo *ea*, alterius fortasse *ejus* efficiebat. In ipsis nihil corruptum, sed inter eos sententia manifesto hiat. In priore, quem totius carminis esse nonum videbimus, caesura post arsin :

Ea| pugna| pugna|ta, rex| Antio|chus re|gnumque.

In altero, qui (ut in Gracchi tabula *Cujus rei ergo* e. q. s.) totius carminis fuit ultimus, aut *rei* priore syllaba producta est proferendum, constante anacrusi ex *ejus* voce, aut *ejus* accipi debet pro spondeo, quod si est pro *rei* scribendum est *re*, eaque forma cum synaloepha pronuntianda, ut nullam syllabam efficiat :

Ejus| rei ergo| aedem| Laribus|
E|jus re ergo| aedem| Laribus| } Perma|rinis| vovit.

— In decimo versu verbum aliquod fuerit necesse est, quod ex noni versus nominativis *rex Antiochus regnumque* pependerit; sed nusquam reperitur, totusque ille versus sine dubio intercidit, cumque eo forsitan et alii. Etiam versus unus aut plures intercidere, in quibus sermo de triumpho fuit (triumphalis enim, teste Scriptore Incerto, haec tabula) ; quae triumphi commemoratio statim ante *Ejus rei ergo...* locum habuit, ut ex similibus Gracchi et Mummii titulis liquet (Gracchus : *Iterum triumphans in urbem Romam rediit, Cujus rei ergo...*; Mummius : *Romam redieit triumphans,*

Ob hasce res bene gestas...) Inter illas autem voces, quae quid passus rex Antiochus regnumque esset significabant, atque illas, quae erant de triumpho Regilli, duo versus sine dubio locati erant tales :

> **Dvel|lo ma|gno diri|mendo|, regi|bus subi|gendis,**
> **Ca|put pa|trandae| pacis| haec pugna| exe|unti.**

Qui postquam cum superioribus et inferioribus vocibus una praetermissi a quodam librario fuerunt, eos aliquis archetypo collato inter lineas vel in margine reposuit; dein, sive emendatio illa parum accurate facta fuerat sive eam alius quidam postea librarius indiligentius tractavit, inde initium habere carmen creditum est ipsaeque repositorum versuum voces inter se pessime sunt perversae.

Neque tantummodo in hoc peccatum est. Voces *cum omnibus sociis* ubi nunc leguntur sensu me quidem judice carent ; eae post *ipso Antiocho*, *exercitu omni*, *equitatu elephantisque* reponendae sunt. *Ipso Antiocho* autem quomodo scribi potuit, ante quam *classis regis Antiochi* nominata esset? Ergo manifestum est *cl. r. Ant.* in tabula statim in initio versus secundi stetisse, ibi in Livii textu neglegentia librarii intercidisse ; postea, notis correctorum inter se confusis, *classis regis Antiochi* ibi esse repositum, ubi reponi debuerat *cum omnibus sociis*. Has quoque voces cum jam exsulare necesse fieret a loco suo, alienum et ipsae occupaverunt. Nam naves amisit Antiochus teste Livio XLII, quarum captas XIII (praeter has ergo incensas aut demersas XXVIIII[1]); unde apparet non solum in tabula, ut voluit Sigonius, restituendum pro LXII esse XLII (nam *duae quadraginta* in fine versus stare potest, et facillime *lx* pro *xl* scriptum esse credas; contra neque ex *xiii* fieri potuit *lxii*, neque *tredecim* exitum saturnii efficeret), verum etiam ante vel post *captae* intercidisse duas voces, quales forent *demersae*, *incensae* : quod perspexit Ritschelius. Pro his igitur vocibus, nisi fallor, *cum omnibus sociis* male est

1. Teste Appiano in summam XXVIIII, quarum captas XIII.

repositum ; ipsae perierunt, cumque iis versus superioris exitus. Septimum octavumque versum sic fere restituas :

> I|bique e|o di|e na|ves lon|gae| [*numero*
> *De|mersae, in|censae*]|, captae| duae qua|dra|ginta ;

Quintum sic :

> Equi|tatu ele|phan|tisque| cum omni|bus| sociis,

quem et aliter ferias licet :

> Equi|tatud| elephan|tisque| cum omni|bus| sociis.
> Equi|tatu ele|phantis|que cum| omni|bus| sociis.

Cum hoc optime congruit versus quartus, qui incorruptus esset, nisi post primam vocem ex alio loco irrepsisset syllaba *cos*[1]. Nam quod Ritschelio placuit, *cos* ex *copse* factum esse, *ipso* interpretandi *copse* causa additum, credat Judaeus Apella : contra quid levius quam in tam perturbato carmine ordinem vocum et metro et sententia postulante mutare ? Thesis paenultima sublata : hiatus ibi in arsi, nisi *exercitud* pronunties : caesura post arsin solutam sed favente synaloepha :

> In|spectante| ipso An|tiocho, e|xerci|tu| omni.

— Illud autem *cos* quid fuerit quaerenti mihi quidem nihil aliud credibile videtur, quam eam consuetam fuisse verbi *consul* notam, quae in inscriptione post *L. Aemili M. f.* steterit, sive reapse Regillus inter annos ante Christum natum 190 et 179 consulatum nactus fuerit, sive a Livio Liviive auctore falso sit pro consule habitus. Valde enim mirum

1. Ne in hoc libri XL loco tot voces temere esse travectas rem incredibilem putes, vide quaeso quid in capitis 47 § 2 legatur : « *Mundam vi cepit* » *urbem primo aggressos nocte acceptis deinde ex improviso obsidibus* » *et castella oppugnare praesidioque imposito deinde agros urere* », unde Madvigius hoc efficit : « Mundam urbem primum vi cepit, nocte ex impro- » viso aggressus, acceptis deinde obsididus praesidioque imposito castella » oppugnare, agros urere. »

esset, magistratus designationem, quae in inscriptione non stare non potuit, sine causa intercidisse, contra consulatus notam (unde nescio) in textum tituli et ipsam sine causa irrepsisse. Errare Livium potuisse, aut per se aut praeeunte auctore quem secutus est, quis negabit? porro ne certum quidem mihi videtur, Regillum consulem non fuisse : quem praeclara ad Myonnesum victoria tanto honori destinatum esse facile credas. Hic igitur si statim post triumphum navalem anni 189 mortuus est, qui fit ut de morte ejus Livius tacuerit? sin aliquot annos vixit, is ut ne candidatus quidem fuerit? Itaque libenter crediderim eum ita consulem fuisse, ut et jure nota *cos* nomini ipsius jungi posset, et tamen consulatus petitionisque memoria apud annalium scriptores evanesceret[1]; id est paucis post initum magistratum diebus, nulla re acta quae mentione digna videretur, vita exces-

1. Petitionis oblitos eos esse, id inde fortasse expedies, quod alii Aemilii illis temporibus candidati fuerunt, ut anno 189 exeunte M. Lepidus (T. Liv. 38,35,1), anno 187 ante diem XII kal. martias idem, qui tunc consul factus est (38,42,5), anno 185 exeunte Lucius, vetus candidatus (39,32,6), anno 183 exeunte L. Paulus (39,56,4). Quis ille anni 185 candidatus L. Aemilius fuerit (num noster Regillus?) incertum. Nam non videtur Paulus fuisse; quod cognomen Livius non omisisset; praeterea is scriptor (39,56,4) de repulsa Pauli vix tacuisset, ubi sic loquitur : « cum M. Aemilio » Lepido hic aedilis curulis fuerat, a quo consule quintus annus erat, cum » is ipse Lepidus post duas repulsas consul factus esset. » Parum autem fidei Valerio Maximo (7,5,3), qui Paulum « campum repulsis suis fatigasse » ait, praesertim cum res non reperiatur apud Plutarchum, Aem. Paul.1-5 (nec magis Maximi de re loquacitas), cumque Paulus paucis ante annis apud Lusitanos imperium habuerit proconsulis (Liv. 37,46,7; cf. 37,57,5) sive praetoris (Liv. 36,2,6 ss., Plut.) cum duodecim fascibus, ὥστε τῆς ἀρχῆς ὑπατικὸν γενέσθαι τὸ ἀξίωμα (Plutarch. 4). In talibus facile falli scriptores concedes, si animadverteris tertium triumphum injuria tribui Paulo non solum ut videtur a Vellejo (1,9,3) sed et a titulo arcus Fabiani anno 56 ante Christum natum inciso (Corp. inscr. Latin. I 607 et elog. I; ibid. VI 1304 *b*). Inde errores saepe orti sunt, quod cognomina in monumentis publicis omittere vulgo solebant; sic in nostra tabula *Regillus* deest, in lamina aenea Pauli in Hispania reperta (C. inscr. lat. II 5041) is *L. Aimilius L. f. inpeirator* vocatur; mihique persuasissimum est illum triumphum quem, si Vellejum audire vellemus, crederemus egisse L. Aemilium Paulum praetorem, nullum alium esse quam praetoris L. Aemilii Regilli triumphum navalem. — Hoc memorandum hic est, quod Livius 41,27,3 (vide Madvigii Emendationes Livianas ed. alt. p. 617) inter consules anni 174 M. Aemilium nominat, qui re vera anno 175 consul fuit. Ergo minime in eorum temporum historia condenda fidis Livius documentis utebatur.

sisse. Quod autem in tabula consulatus mentio fiat, non praeturae, id nullo modo mirandum, licet Regillus cum praetoris imperio classem romanam rexerit. Honoris enim causa, in talibus monumentis, summus magistratus nominari solet, ad quem ille vir, de quo agitur, in tota vita pervenerit. Sic in triumphali tabula Ti. Sempronius Gracchus *consul* vocatur, quamquam post consulatus demum tempus et praecipua proelia fecit et triumphavit[1]; sic in titulis sub principibus incisis saepissime consulatus cum sacerdotiis extra temporum ordinem nominatur.

Classis regis Antiochi supra diximus in initio versus secundi stetisse. Ea igitur tria verba, cumque iis ea quae sequuntur corrupta *antea sic*, post *felicitate ductuque ejus* atque ante *inter Ephesum* reponenda. Quo facto statim apparet, quid *antea sic* sibi velit. Cum enim (ut perspexit Sigonius) *inter Ephesum Samum Chiumque* sit legendum, veri simillimum est prius *ante Asiae litus* vel *oram* fuisse scriptum[2]. Ultima vox excidit; etiam insequens versus nimis brevis, ibique illud, a quo apud posteros Regilli victoria appellata est, maxime necessarium *Myonnesus* deest. Ergo sic fere versus II. et III. constituerim :

Clas|sis re|gis An|tiochi|, ante Asi|ae| [litus],
In|ter [My|onne|sum], Ephe|sum, Sa|mum Chi|umque.

Jam de omnibus versibus praeter sextum egimus. Is in geminum iambum abire non potuit : ergo hic ut in primo delendum est *que*. *Contusa* propter arsin producitur. Aperte autem, ut justus versus efficiatur, una vox participialis deest. Sic igitur in Parte hujus operis Priore restitui :

[Supe|rata|], victa|, fusa|, contu|sa, fu|gata est.

1. Eodem modo judicandum de Q. Lutatio Catulo, qui, ut cum Mommseno loquar (C. I. Latin. I 592 p. 171 *b*) « cum consul opus inchoasset, deinde » curator restituendi Capitolii (ut recte appellatur a Varrone) in eo pergeret, » tamen consularem dignitatem in titulis operis adscivit. » Hoc sine causa, puto, ad quamdam legem de eo lata refert Mommsenus.

2. Laetus video, de *Asiae* cogitasse simul atque me Harant, *Emendationes et adnotationes ad Titum Livium* (Parisiis 1880) p. 217.

Nunc tamen video, ne caesura Korschiana in hemistichio priore desit neve contra morem thesis pedis quarti producatur, sic potius scribendum esse :

Vi|cta, fu|sa, con|tusa| ...|.., fu|gata est

Nunc totum carmen, olim inter obscurissima poesis saturniae monumenta habitum, jam, nisi fallor, aliqua luce illustratum, perspicuitatis causa repeto :

L. Aemili M. f. cos.

Ductu, auspicio, imperio, felicitate ejus
Classis regis Antiochi, ante Asiae [litus],
Inter [Myonnesum], Ephesum, Samum Chiumque,
Inspectante ipso Antiocho, exercitu omni,
Equitatu elephantisque, cum omnibus sociis,
Victa, fusa, contusa, ...fugata est;
Ibique eo die naves longae [numero
Demersae, incensae,] captae, duae quadraginta.
Ea pugna pugnata rex Antiochus regnumque
[Ejus...............................]
Dvello magno dirimendo, regibus subigendis,
Caput patrandae pacis haec pugna exeunti;
[....................... triumphans] :
Ejus rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.

Decadi quintae fons unicus codex Vindobonensis, quem saeculo esse scriptum periti dicunt sexto, alii etiam quinto. Lectiones petendae ex Madvigio, qui collationem accurate factam habuit.

T. Livius 41,28,8 ss., anno ab urbe condita 580, ante Christum natum 174 : « Eodem anno TABULA in aede Matris » Matutae cum indice hoc posita est : TI. SEMPRONI GRACCHI » CONSULIS IMPERIO AUSPICIOQUE LEGIO EXERCITUSQUE POPULI » ROMANI SARDINIAM SUBEGIT. IN EA PROVINCIA HOSTIUM CAESA

» AUT CAPTA SUPRA LXXX MILIA. REP. FELICISSIMUME GESTA » ADQUE LIBERATIS VECTIGALIBUS RESTITUTIS EXERCITUM SAL- » VOMQ. ATQ. INCOLUMEM PLENISSIMUM PRAEDA DOMUM REPOR- » TAVIT. ITERUM TRIUMPHANS IN URBEM ROMAM REDIT, CUJUS » REI ERGO HANC TABULAM DONUM JOVI DEDIT. Sardiniae » insulae forma erat †autque in ea simulacra pugnarum » picta. » Idem Livius 41,8,5 : «... legati Sardorum, qui » ad novos magistratus dilati erant.... » Idem Livius 41,12,4 ss. anno 177 : « Et [ab] altero consule †iis Sem- » pronio in Sardiniam† prospere res gestia†. Exercitum » in agrum Sardorum Illiensium induxit. Balarorum » magna auxilia Illiensium† venerant. Cum utraque » gente signis conlatis conflixit. Fusi fugatique hostes » castrisque exuti; XII milia armatorum caesa. Postero die » arma lecta conici in acervum jussit consul sacrumque id » Vulcano cremavit. Victorem exercitum in hiberna socia- » rum urbium reduxit. » Idem Livius 41,17,1 ss. anno 176 : « Et †C. Sempronius eodem tempore in Sardinia multis » secundis proeliis Sardos perdomuit; $\overline{\text{XV}}$ hostium sunt » caesa; omnes Sardorum populi, qui defecerant, in dicio- » nem redacti. stipendiar[i]is veteribus duplex vectigal im- » peratum [*codex* iumperatum] exactumque; ceteris [*aut* » *plura verba exciderunt, aut legendum* ceteri] frumen- » tum contulerunt. Pacata provincia opsidibusque ex †cota » insula CCXXX acceptis, legati Romam qui ea nuntiarent » missi †quoque ab senatu peterent, ut ob eas res ductu » auspicioque †C. Sempronius† prospere gestas diis in- » mortalibus honos haberetur, ipsique decedent[*i*] de pro- » vincia exercitum †secundae portare [*id est*, secum depor- » tare] liceret. »

Prima verba Ritschelius (Opuscula IV p. 200) rectissime inscriptionem tabulae fuisse monuit, ut tituli Mummiani *L. Mummi L. f. cos.* (sic in Regilli quoque tabula nos supra pp. 282 et 284 ss. ostendimus fuisse inscriptionem *L. Aemili M. f. cos.*) Erravit ut puto Ritschelius cum nominativum breviatum *Mummi(us)* agnosceret; nam nihil impedit quo-

minus genetivum admittamus, qui possessivus dicitur (scilicet haec sententia : « *haec tabula Mummi est* », vel « *Gracchi* », vel « *Aemili* »), contra breviari exitum *ius* nominativi in talibus momumentis aegre adducar ut credam, cum in senatus consulto de Bacchanalibus sola eorum virorum nomina syllabam *us* amiserint, qui scribendo arfuerint, *M. Claudi(us) M. f.*, *L. Valeri(us) P. f.*, *Q. Minuci(us) C. f.*, contra consules summa cum reverentia plenis nominibus sint designati, *Q. Marcius L. f.* et *S. Postumius L. f.;* cumque *i* pro *ius*, praeter in hoc praeclaro exemplo, fere non nisi in nummis, ollis aliisve minutis monumentis reperiatur[1]. Haec igitur inscriptio : *Ti. Semproni Gracchi cos*[2].

Duo primi versus sunt decurtati. In priore Ritschelius *ejus* restituit, ratus, ut opinor, eum genetivum librariis post *Ti. Semproni Gracchi consulis* supervacuum esse visum. Sed cum *imperio auspicioque* dici debuerat *ductu* (conferantur Livii verba 41, 17), quae vox neque in Regilli neque in Mummii tabula deest; per se enim ipse, non per legatos Sempronius rem gesserat (cf. Q. Curtius 6,3,2 : *alia ductu meo, alia imperio auspicioque*). *Ejus* autem Ritschelio concedo esse restituendum, sed in versu altero, ubi Ritschelii supplementum *insulam* omnino displicet. In secundo versu dubium utrum prioris hemistichii thesis paenultima tollatur an (quod tamen vix credo) *romani ejus* cum hiatu pronuntietur.

[Ductu]|, imperio| auspici|oque| legio ex|erci|tusque
Popu|li ro|mani| |ejus|| Sardini|am sub|egit.

— Tertium versum Ritschelius pro incorrupto habuit : caesuram ille in media voce *hosti-um* locavit, quod ferri

1. V. exempla collecta ap. Neue, Formenlehre der latein. Sprache I p. 75 ed. alt.

2. Rectius dices, hanc a Livio tradi; num haec re vera fuerit, dubitare licet. Ipsa enim tabula, nisi fallor, carere cognomine illo *Gracchi* potuit ; vix autem paterni praenominis designatione. Gracchi nostri filius minor in lege agraria (C. I. L. I, 200, 6 et 22) et in deperdito triumvirum cippo (ibid. 1504) vocatur *C. Sempronius Ti. f.*, in aliis triumviratus monumentis (ibid. 552 ss.) *C. Sempronius Ti. f. Grac.;* anno demum ante Christum natum 82 vel 81 in titulo Varronis Luculli (ibid. 583) *C. Graccus*

non potest. Equidem *caesa* fuisse ante *hostium* scriptum puto, esse postea propter insequens *aut capta* trajectum. Incertum utrum thesis paenultima tollenda sit, an propter arsin *hostium* cum hiatu producendum :

In e|a pro|vinci|a { caesa| hostium| aut| capta.
{ caesa| hosti|um aut| capta.

Praeterea in priore hemistichio, cum *ea* una syllaba proferri possit (supra p. 80) fortasse anacrusis ex sola voce *in* constat :

In| ea pro|vinci|a ....

— Quod sequitur *supra lxxx milia*, hoc hemistichium versiculi quarti prius efficit ; alterum hemistichium deest. Itidem *Rep. felicissimume gesta*, id est *re* (vel fortasse vetere scribendi more *red*) *felicissume gesta* quinti versus hemistichium prius est; quae sequuntur aperte sunt trunca. *Liberatis* non dici de vectigalibus, verum de sociis, vidit Sigonius ; *sociarum* enim *urbium* mentio apud Livium 41,12. De obsidibus vix tacere carminis auctor potuit, quos Livius 41,17 acceptos dicit ; sic in Scipionis Barbati titulo (supra p. 229) *opsidesque abdoucit*. Etiam ex Livio vocem *pacata* arripiens (aliud alius excogitet, si libuerit) quattuor versus sic fere constitui voluerim :

Supra| octo|ginta| milia|, [*opsi*|*desque ab*|*ducti*].
Red| feli|cissu|me gesta|, [*insu*|*la pa*|*cata*,
Soci|*is popu*|*li ser*|*vatis*]| adque| libe|ratis,
[*Stipe*],| vecti|gali|bus, [*tri*|*butis*]| resti|tutis.

— In octavo quoque versu deest aliquid :

Ex|ercitum| [*inte*|*grum*], salu|omque atque| in|columem.

— Nonus versus incorruptus; hic thesis paenultima sublata; caesura post arsin, nisi etiam in hemistichio priore thesin

paenultimam tolli jubeas, in altero *domum* pro pyrrhichio haberi:

Ple|nissi|mum prae|da do|mum re|por|tavit.
Ple|nissi|mum| praeda| domum re|por|tavit.

— In decimo versu propter reliquas praeteriti formas propterque metrum (ad analogiam Mummiani hemistichii *Romam redieit triumphans*, nisi contra in tabula Mummiana *redit* restitui debet, supra p. 236) corrigendum *redit* in *rediit*. Caesura post arsin est, sublata praecedenti thesi:

Ite|rum tri|um|phans in| urbem| Romam| red[i]it.

— In versu ultimo *donum* metri causa post *Jovi dedit* trajiciendum; aut igitur *Jovi* pro pyrrhichio habendum aut *rei* (ut fortasse in ultimo versu Regillanae tabulae) ita pronuntiandum, ut synaloepha facta nullam syllabam efficiat. Sane inter titulos quos Corporis inscr. Latin. volumen I continet (vide Huebneri indicem ibi p. 578) nullum invenio in quo vox *donum* post verbum dandi posita sit; contra 62b *donu dede*, 168 *donu dat*, 173 *dono dedrot*, 177 *dono dedro*, 182 *dono dedit*, 190 *donum dat*, 542 *donum... dare*, 1133 *don. ded.*, 1167 *don. dant*, 1175 *donu danunt*, 1345 *donum dat*. Eodem loco *donum* positum in titulis et apud scriptores quos De Vit in editione lexici Forcelliniani laudat. Sed propter id ipsum, quod in hac locutione *donum dare* certo quodam vocum ordine uti vulgo solebant, facile evenit ut ille ordo in Livii textu restitueretur; carminis autem nostri auctor jure poetico consuetum scribendi modum immutare potuerat. Quod sane et ille fecit, a quo titulus votivus T. Quinctii dictatoris compositus est: hujus enim verba Festus ubi laudat, quamvis oratione obliqua utenti fas fuisset a genuina lectione longius recedere, tamen ordinem servavit *dedisse se Jovi donum* (supra p. 269).

E|jus rei| ergo hanc| tabulam| Jovi de|dit| donum.
E|jus re ergo| hanc tabu|lam Jo|vi de|dit| donum.

§ 3. — De fragmentis a Festo ex Verrio Flacco laudatis.

1. M. Verrius Flaccus libertinus, nepotibus Augusti praeceptor ab ipso electus, qui decessit Suetonio teste aetatis exactae sub Tiberio, scripsit in ultimis ut videtur vitae suae annis opus de verborum significatu; id opus hodie deperditum est.

Verrii libros Sex. Pompejus Festus multis post ejus mortem annis in brevius opus redegit. Hujus hominis aetas ignota; hoc scimus, ab eo laudari Martialem, qui anno post Christum natum 101 vel 102 decessit, ipsum laudatum esse a Porphyrione, quem in priore parte saeculi III vixisse vulgo credunt. Festi textum unus servavit codex nunc Neapolitanus Farnesianus saeculi XI, mutilus, nam e sedecim quos habuit olim quaterniones cum inventus est sub fine saeculi XV septem primi perierant, novem qui supererant ignis valde corruperat, horum tres sunt hodie amissi scripturaque non nisi per apographa saeculo XV confecta nota est.

Rursus Festum Paulus quidam nomine, qui se *pontificem* dicit, coartatum et mutilatum regi Carolo (scilicet, ut videtur, Carolo Magno) obtulit. Ita factum ut nos, in priore parte totius operis, pro viri doctissimi Augusto aequalis Verrii commentariis, ineptias habeamus misellului carolinae aetatis clerici. Hujus epitomes codices deteriores multi, bonae notae tres tantummodo. Illos sprevimus; hi sunt Monacensis saeculo XI scriptus, Guelferbytanus vel Wolfenbuettelanus saeculi X, Tricassinus 2291 saeculi XI[1] nondum satis bene notus.

Festi verba petenda sunt ex Caroli Odofredi Mueller editione (Lipsiae 1839), collatis, quod ad ipsum codicem Farne-

1. Haec H. d'Arbois de Jubainville in epistula ad me scripta : « Le ms. 2291 de Troyes est suivant moi du XIe siècle et non du IXe. Par exemple, on n'y trouve pas un seul a ouvert cc, tous les a sont fermés. »

sianum attinet, quae Henricus Keil adnotavit in Museo Rhenano anni 1848 (vol. vi p. 618 ss.); quod autem attinet ad apographa, collata recensione quaternionis decimi sexti data a Theodoro Mommsen (Abhandlungen der koeniglichen Akademie der Wissenschaften zu Berlin, 1864, philolog. und histor. Abhandl. p. 57-86). Paulinorum codicum Monacensis et Guelferbytani scripturas accurate C. O. Mueller rettulit; Tricassini per H. d'Arbois de Jubainville et Roserot certior factus lectiones subjunxi. Conferebat D'Arbois cum editione Lindemanni, Roserot cum Muellerana.

Fragmenta Pauli

ex parte priore, ubi ipse Festus desideratur.

Festi epitome p. 3 Mueller sub voce *axamenta*. Vide infra, II, ii, 1. — Eadem sub voce *adoriam*. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra pp. 244 s.)

Festi epitome p. 11 Mueller: « Affatim dictum a copia » fatendi, sive abundanter. LIVIUS[1]: AFFATIM EDI, BIBI, LUSI. » Terentius *affatim* dixit pro eo quod est ad lassitudinem. » Livius Andronicus significatur, qui Homeri Odysseam saturniis vertit. Iis verbis interpretatus esse videtur locum Homeri ο 373: Τῶν ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα. Nam Livius non αἰδοίους verum αἰδοῖα intellexit; *lusi* verecundiae est romanae.

Versus exitus; in initio illud τῶν barbare expressum fuit; caesura post arsin; ibi hiatus; paenultima thesis sublata:

..|....|affa|tim e|di, bi|bi|, lusi.

---

1. *Libius* codex Tricassinus, teste Roserot.

Festi epitome p. 20 Mueller. Vide infra § 6 p. 343 locum Nonii p. 335 M.

Festi epitome p. 42 et p. 47 Mueller. Vide infra § 11 locum Isidori, Origines 19,22,20.

Festi epitome p. 67 Mueller : « DUSMO[1] IN LOCO apud » LIVIUM significat *dumosum*[2] locum. Antiqui enim inter» serebant *s* litteram et dicebant *cosmittere* pro *commit*» *tere* et *casmenae* pro *camenae*. » Luctatius Placidus p. 32,1 Deuerling : « *Dusmum* incultum, dumosum vel » squalidum. » Ex Homero τ 439 ut videtur : Ἔνθα δ' ἄρ' ἐν λόχμῃ πυκινῇ κατέκειτο μέγας σῦς·

Saturnii fortasse initium est :

Dusmo| in lo|cō.......... ..
Dusmo| in locŏ|............
Dusmo| in loco| [*ibi*]........

Nam vox iambica *loco* et produci et corripi (supra p. 31) et synaloepham pati potest.

Festi epitome p. 68 Mueller. Vide infra p. 298 l. 7-8.

Festi epitome p. 70 Mueller . Vide infra § 8 locum pseudo-Servii ad Vergilii Aeneida 1,92.

Festi epitome p. 89 Mueller. Vide infra § 11 locum Isidori, De natura rerum 48.

Festi epitome p. 93 Mueller « *Flaminius camillus* puer

1. *Dusmoso* vulgo ; *dusmo* « boni libri, et deteriores quidam, velut is quo Barthius utitur, in Adversar. XL, 17 » Mueller. *Dusmo* etiam codex Tricassinus fol. 42 r°, teste H. d'Arbois de Jubainville.
2. *Domosum* codex Tricassinus.

» dicebatur ingenuus patrimes et matrimes, qui flamini[1] » diali ad sacrificia praeministrabat; antiqui enim ministros » *camillos* dicebant. Alii dicunt omnes pueros ab antiquis[2] » *camillos* appellatos, sicut habetur in ANTIQUO CAR- » MINE, quum pater filio de agricultura praeciperet : » HIBERNO PULVERE, VERNO LUTO, GRANDIA FARRA, CAMILLE, » METES. » Servii interpolator Danielinus in Vergilii Georg. 1,101 : « Et est CARMEN RUSTICORUM ANTI- » QUUM : HIBERNO PULVERE, VERNO LUTO, GRANDIA FARRA, » CAMILLE, METES. *Camillus* adulescens est. » Macrobius, Saturnalia 5,20, 17 s. ex codice Parisiensi 6371 folio 68 verso *a* : « Addemus praeterea hoc jocunditatis gratia et ut » liqueat Virgilium vestrum undique veterum sibi orna- » menta traxisse, unde hoc dixerit : Hiberno l[a]etissima pul- » vere farra. In LIBRO enim VETUSTISSIMORUM CAR- » MINUM, qui ante omnia quae a Latinis scripta sunt » compositus ferebatur, invenitur hoc RUSTICUM VETUS » CANTICUM : HIBERNO PULVERE, VERNO LUTO, GRANDIA » FARRA, CAMILLE[3], METES. »

Fragmentum si saturnium est, *pulvere* vel potius *pulüere* per arsin producitur, *luto* propter formam iambicam corripitur; *grandia* pro pede positum magnam movet suspitionem (supra pp. 57, 36, 151). Post versiculum integrum alterius initium habemus; in hoc *camille* anacrusin et trochaeum efficit, non *Camille me-* anacrusin et dactylum (supra pp. 55, 88); *metes* igitur ut *luto* corripitur :

Hi|berno| pulue|re, ver|no luto|, grandia| farra,
Ca|mille|, metes..|..... ....

Festi epitome p. 103 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 245).

1. *Flammini* codex Tricassinus.

2. Codex Guelferbytanus *apud antiquos*. *Ab antiquis* Tricassinus fol. 59 r° teste H. d'Arbois de Jubainville.

3. *Camille* cum e caudata codex.

Festi epitome p. 122 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 245).

Festi epitome p. 123 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 6,21 (supra p. 241).

Festi epitome p. 131 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 248).

Fragmenta Festi
ex apographis codicis Farnesiani.

Festus p. 141 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 246).

Festus p. 145 Mueller : « *Moene* singulariter dixit » ENNIUS : APUD EMPORIUM IN CAMPO HOSTIUM PRO » MOENE. »

Animadvertit O. Mueller versum saturnium esse jussitque pro *Ennius* reponi *Naevius*. Nisi malis hoc statuere, post *Ennius* excidisse hujus poetae versiculum atque Naevii nomen. Dubium est, utrum thesis paenultima prioris hemistichii demi debeat an post *emporium* ultima per arsin producta|hietur.

Apud| empori|um in| campo| } hosti|um pro| moene.
Apud |emporium| in| campo| }

Nam minus bene legeres claudicante caesura Korschiana :

A|pud em|porium in| campo| ....

Festus p. 146 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 245).

Fragmenta Festi
ex ipso codice Farnesiano.

Festus p. 162 Mueller : « *Nequinont* pro nequeunt, ut » *solinunt*, *fer[i]nunt* pro solent et † fereunt dicebant anti- » qui. LIVIUS in ODISSIA : PARTIM ERRANT NEQUE NUNC » GRAECIAM REDIRE. » Ex Homero, ut videtur, δ 498 : Εἷς δ' ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέϊ πόντῳ.

Ex lemmate apparet *nequinont* pro *neque nunc* scribendum esse ; hujus vocis paenultima longa est, ut apud Ennium *Prodīnunt famuli* in initio hexametri. *Partim* propter arsin cum hiatu producitur :

Par|tim er|rant, ne|quinont| Graeci|am red|ire.

[Festus p. 165 Mueller. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *pontifex*].

Festus p. 165 Mueller : « *Negumate* in carmine CN. » MARCI vatis significat negate, cum ait : QUAMVIS MOVEN- » TIUM DVONUM NEGUMATE. » Epitome : « NEGUMATE ne- » gate[1]. »

Dvonum est *bonum* : hanc vocem immutare ne velis. *Moventium* contra aperte corruptum est. *Negumate* mira forma vix a *negare* derivari potest ; videndum (nam quid Verrius Flaccus senserit, parum refert) sitne distinctis vocibus *ne gumate* scribendum vel simile quid. In hoc obscurissimo *negumate* vel *gumate* littera *u* producenda est :

Quam|vis †mo|venti|um dvo|num ne|gu|mate.

---

1. Ex codice Tricassino (fol. 97 v°) nihil adscripsit H. d'Arbois de Jubainville.

Festus p. 174 Mueller : « *Noegeum* quidam amiculi » genus praetextum purpura, quidam candidum ac per- » lucidum, quasi a *na*[*u*]*co*[1], quod putamen quorundam » pomorum est tenuissimum non sine candore, ut LIVIUS » in ODISSIA : SIMUL AC LACRIMAS DE ORE NOEGEO DETERSIT, » id est candido. » Haec ex Homero θ 88 : Δάκρυ' ὀμορξάμενος, κεφαλῆς δ'ἄπο φᾶρος ἕλεσκεν. Festi epitome p. 68 Mueller : « *Da-* » *crimas* pro *lacrimas* Livius saepe[2] posuit... »

Nemo jam Verrium de sensu vocis *noegeo* audit, ubi dicit « id est *candido* », nam aperte pro graeco φᾶρος posita est. Saturnius integer est ; dubium utrum post *de* hiatus admitti debeat an synaloepha. Ex epitome videtur *dacrimas* scribendum esse:

Simul| ac dacri|mas de| ore| noege|o de|tersit.

Festi epitome p. 176 Mueller : « *Ningulus* nullus. MAR- » CIUS vates : NE NINGULUS MEDERI QUEAT[3]. » Festus p. 177 : « *Ningulus* nullus, ut Ennius l. II : *Qui ferro minitere* » *atque in te* [*ningulus*..... MARCIUS vates : NE[4]] NINCU- » LUS MEDERI QUEAT. »

Initium saturnii habemus ; *queat*, sive id vocalis sive consonans sequebatur, pro una longa vel duabus brevibus accipi debet (supra p. 80). *Ninculus* per *c* litteram fortasse non error est librarii, verum veterem scribendi morem refert :

Ne| nincu|lus me|deri| queat..|.......

Festus p. 181 Mueller : « *Ocrem* antiqui, ut Atejus Phi-

1. Codex *naco*.
2. *Sepe* codex Tricassinus fol. 43 r°, teste H. d'Arbois de Jubainville.
3. Ex codice Tricassino (fol. 100 r°) nihil adscripsit D'Arbois de Jubainville.
4. Codex *inte ninculus*.

» lologus in libro †Gloiematorum refert, montem confra-
» gosum vocabant, ut apud LIVIUM : *Sed qui sunt hi, qui*
» *ascendunt altum ocrim?* et CELSOSQUE OCRIS ARVAQUE
» PUTRIA ET MARE MAGNUM *namque Taenari celsos ocris* et
» *Haut ut quem Chiro in Pelio docuit ocri.* » Livii locus alter ex Homero, ut videtur, ε 411 : Ἔκτοσθεν μὲν γὰρ παγοὶ ὀξέες, ἀμφὶ δὲ κῦμα Βέβρυχεν ῥόθιον, λισσὴ δ' ἀναδέδρομε πέτρη, Ἀγχιβαθὴς δὲ θάλασσα.

Primum Livii Andronici fragmentum tertiumque et quartum scenicis versibus concepta: nam quartum senarius est iambicus, primum et tertium senariorum aliorumve iambicorum aut trochaicorum exitus sunt. Inter secundum et tertium aliquid excidit; secundum igitur mutili octonarii iambici initium esse potest, sive *ocrīs* (vide supra p. 32) sive *arŭaque* (supra p. 82) legeris : *celsosque ocrīs arvaque* (vel *arŭaque*) *putria et mare magnum* [*et strepitum fluctuum*], — *celsosque ocrīs arŭaque putria et mare magnum* [*et spumam salis*]. Libentius tamen, quia cum homericis verbis Liviana satis congruunt, agnoverim cum aliis versum ex Odyssea barbara, id est saturnium. *Putria* tribrachus est, non synaloepha facta trochaeus (supra p. 71). *Arŭaque* quattuor syllabis lege :

Cel|sosque o|cris a|rŭaque| putria| et mare| magnum.

Nam hoc minus probabile :

Cel|sosque ocris| arva|que (*vel* arŭa|que) putria| et ma|re| magnum.

Fragmenta Festi

ex apographis codicis Farnesiani.

Festus p. 190 Mueller : « *Ommentans.* LIVIUS in » ODYSSEA, quom ait : IN PYLUM ADVENIES AUT IBI OMMEN- » TANS, significat obmanens, sed ea significatione, qua saepe

» fieri dicitur, id enim est *mantare.* » Haec ex Homero β 317 : Ἠὲ Πύλονδ' ἐλθὼν, ἢ αὐτοῦ τῷδ' ἐνὶ δήμῳ.

Advenies aut a Livio pro *adveniens* scriptum est, ut vulgo scribebant *cesor* pro *censor*, *cos* pro *consul*, aut, quod multo veri similius videtur, medio demum aevo librarius quidam oblitus est super *e* titulum ducere. Jam dudum in initio *aut* repositum est, quod graeco ἠέ respondeat ; recte, nisi quod fortasse ipsum *aut* in illo *ait* agnosci debet, *quom* perperam est additum. In utroque hemistichio hiatur, nisi thesis paenultima detrahitur :

Aut| in Py|lum ad|veniens| } { aut i|bi om|mentans.
Aut| in Pylum| ad|veniens| } { aut ibi| om|mentans.

— Videndum, utrum glossa Luctatii Placidi p. 73 Deuerling, *ommentat expectat*, aliunde ducta sit, an huc referenda. Hoc si malueris quam illud, scribes apud Festum ipsumque Livium *advenies* et *ommentas*, apud Placidum autem *ommentas expectans*.

[Festus p. 197 Mueller. Vide Indicem hujus voluminis sub vocibus *sed jam*.]

Festus p. 205 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 7, 26 (supra p. 245).

Festus p. 210 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 247).

Fragmenta Pauli.

Festi epitome p. 211 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 247).

Festi epitome p. 225 Mueller: « *Procitum*, quum prima » syllaba corripitur, significat petitum. LIVIUS : Matrem » procitum plurimi venerunt[1]. » Ex Homero α 248 : Τόσσοι μητέρ' ἐμὴν μνῶνται.

Meam excidit: parum probabiliter quidam ante *matrem* reponunt, cum graece sit μητέρ' ἐμήν. *Prŏcitum*, ergo *prŏcĭtum* voluit Verrius, nam si producatur *i* de *o* nihil constet; nisi tamen de veriloquio *prŏcus* cogitabat, non de versu saturnio dimetiendo. Saturnius hic est:

Ma|trem [me|am]| procĭtum| } plurilmi ve|nerunt.
Ma|trem [me|am] pro|cītum| }

Festi epitome p. 247 Mueller. Vide infra § 6 p. 350 locum Nonii p. 544.

Fragmenta Festi

ex ipso codice Farnesiano.

Festus p. 257 Mueller. « *Quianam* pro quare et cur » positum e|s|t[2] apud antiquos, ut NAEVIUM in carmine » PUNICI BELLI : Summe deum regnator quianam genus » isti, et in satyra[3]: *Quianam Saturnium populum pepulisti*, » et Ennium in l. vii : *Quianam dictis nostris sententia* » *flexa est.* »

Vulgo *genuisti* legunt pro *genus isti*; sed versus claudicat nisi *me* addis. Nota thesin quarti pedis contra morem productam:

Sum|me de|um re|gnator|, } quianam| [me| genu|isti?
Sum|me deum| re|gnator|, }

---

1. *Venerentur* codex Tricassinus fol. 113 v° teste D'Arbois de Jubainville. In quo codice lemma *Procitum testamentum* huic nostro praeponitur, non postponitur ut in reliquis codicibus.

2. Codex *et*.

3. Bis scriptae in codice voces *quianam genus isti et in satyra*.

Festus p. 262 Mueller. Vide infra, II, II, 6.

Festi epitome p. 271 Mueller: « *Rumitant* rumigerantur. » NAEVIUS : SIMUL ALIUS ALIUNDE RUMITANT INTER SESE[1]. » Ipse Festus p. 270 : « ...nt, ut NAE...ITANT INTER... » *Inter se* metri causa scribendum est, nam *rŭmitant* incredibile videtur. Hic est saturnius :

Si|mul ali|us ali|unde| rumi|tant in|ter se.

[Festus p. 285 Mueller. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *non*.]

[Festus p. 298 et epitome p. 299 Mueller. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *odi*.]

Festus p. 293 Mueller : « ... et meminit S[ublici pontis » Naevius,] qui ait in BELLI [Punici libro...] QUAM LIQUI- » DUM [...] AMNEM et ali tab[...]. » Unde nihil certi effici potest. Nam quae inter uncos adscripta sunt conjectationibus debentur.

Festus p. 310 Mueller. Vide infra, II, II, 6.

Festus p. 317 Mueller : « *Stuprum* pro turpitudine anti- » quos dixisse apparet in Nelei carmine : *Foede stupreque* » *castigor cotidie*. Et in APPI SENTENTIS : QUI ANIMI » CONPOTEM ESSE NE QUID FRAUDIS STUPRIQUE FEROCIA PARIAT[2]. » NAEVIUS: SESEQUE II PERIRE MAVOLUNT IBIDEM QUAM CUM » STUPRO REDIRE AD SUOS POPULARIS. Item: SIN ILLOS DESE- » RANT FORTISSIMOS VIROS MAGNUM STUPRUM POPULO FIERI

1. Haec non inveniuntur in codice Tricassino, ubi teste H. d'Arbois de Jubainville omnia desunt inde a *Polimenta* (p. 235) usque ad *Soracum* (p. 296).

2. Codex *pareat* correctum in *pariat*.

» PERGENTIS. » Scriptor De dubiis nominibus in Henrici Keil Grammaticis Latinis t. v p. 591,12 ex codice Monacensi 14252 et Vindobonensi 89, utroque saeculo IX scripto : « *Stuprum* generis neutri, ut NIVEUS : MAGNUM[1] » STUPRUM FIERI PER GENTES. »

Inter *sententis*, id est *sententiis*, et *qui* exciderit aliquid oportet ; servata autem Appii verba exitum saturnii versus et saturnium integrum efficiunt. Quae interierint omnino nescire nos fatemur, tamen, ut sententia intellegi possit, ita fere hic locus restituatur licebit :

[*Opus*| *est ma*|*gistro*|, *doceat*]| qui animi| compotem| esse,
Ne| quid frau|dis stu|prique| feroci|a| pariat.

Etiam sic, fortasse melius, priorem versum compleveris ; nam plerumque quartus trochaeus purus est :

[*Magi*|*ster, doce*|*at*] qui| animi| compo|tem| esse.

Naevii saturnii integri sunt quattuor. In primo *ibidem* potius produc quam corripe, itidem in quarto *fieri*. In tertio *viros* spondeus est, ut alibi *viri* (supra p. 85), frustraque olim *virorum* emendatum fuerat.

Se|seque i|i per|ire| { mavo|lunt i|bidem, / mavo|lunt| ibidem,
Quam| cum stu|pro red|ire| ad su|os popu|laris.

Sin| illo|s dese|rant for|tissi|mos| viros,
Ma|gnum stu|prum| populo| { fie|ri per| gentis. / fieri| per| gentis.

Festi epitome p. 320 Mueller : « *Sagmina* dicebant » herbas verbenas, quia ex loco *sancto* arcebantur legatis » proficiscentibus ad foedus faciendum bellumque indicen-

1. Codex Monacensis *magn'*.

» dum, vel a *sanciendo*[1], id est confirmando. NAEVIUS[2] : » SCAPOS[3] ATQUE VERBENAS SAGMINA SUMPSERUNT . » Ipse Festus p. 321 : « *Sagmina* vocantur verbenae, id est her- » bae purae, quia ex loco *sancto* arcebantur a consule » praetoreve legatis proficiscentibus ad foedus faciendum » bellumque indicendum, vel a *sanciendo*, id est confir- » mando. NAEVIUS : *Jus sacratum Jovis jurandum* » *sagmine.* »

Inter *Naevius* et *jus* in codice Festi excidit Naevii versus a Paulo servatus cum alterius versus initio[4] et significatione scriptoris. Optimus versus est :

Sca|pos at|que ver|benas| sagmi|na sum|pserunt.

Festi epitome p. 323 Mueller : « *Sardare* intelligere[5]. » NAEVIUS[6] : QUOD BRUTI NEC SATIS SARDARE QUEUNT. » Ipse Festus p. 322 : « ... intellegere ... VIUS BELLI » PU....... BRUTI NEC SATIS... » Varro, De lingua latina 7,107 ss. Mueller : « Multa apud poetas reliqua esse » verba quorum origines possint dici non dubito. Ut apud » NAEVIUM : In Hesiona : *Enimvero gladii lingula*, a » *lingua.* In Clastidio : *Vitulantes*, a *vitula.* In Dolo : » *Caperata fronte*, a *caprae* fronte. In Demetrio : *Persi-* » *bus, aperite* ; itaque sub hoc glossema *callide* subscri- » bunt. In Lampadione : *Protinam*, a *protinus*, continuita- » tem significans. In Nagidone : †*Caudacus*, suavis, tam

1. *Saciendo* codex Tricassinus fol. 123 v° teste H. d'Arbois de Jubainville.

2. *Nevius* cod. Tricassinus.

3. Codex Guelferbytanus *scabos*, Monacensis *scapas*, Tricassinus *scapos*.

4. Nullo enim jure O. Mueller, quem probare Ribbeckius non debuerat, ex his vocibus senarium integrum *Jovis sacratum jus jurandum sagmine* confecit. Exitum habemus aut senarii, qualis foret [*Et*] *jus sacratum Jovi' jurandum sagmine*, aut septenarii, ut [*Tu violares*] *jus sacratum* e. q. s., aut etiam octonarii.

5. *Intellegere* cod. Tricass. fol. 123 v°, teste D'Arbois de Jubainville.

6. *Nevius* codex Tricassinus.

» etsi a magistris accepimus : mansuetum. In Romulo : » *Sponsus*, contra sponsum rogatus. In Stigmatia : *Prae-* » *bia*, a *praebendo* ut sit tutus, quod sit remedia in collo » pueris. In Technico : †*Conficiant*, a *conficto* convenire » dictum. In Tarentilla : †*Pacuvii dum*, ab luce illustre. » In Tunicularia : *Exbolas quassant*, aulas quae eiciuntur, » a graeco verbo †*exbole* dictum. In BELLO PUNICO : » NEC SATIS SARRARE, ab *serare* dictum, id est aperire ; » hinc etiam *serae*, qua remota fores panduntur. »

Belli Poenici fragmentum partem tantummodo saturnii efficit ; *queunt* pro pyrrhichio aut potius pro longa est :

Quod| bruti|, nec sa|tis sar|dare| queunt..|...

Festi epitome p. 323 et p. 325 Mueller. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 247).

Festus p. 326 M. Vide locum T. Livii 25,12 (supra p. 272).

Festus p. 329 Mueller. Vide infra pp. 406 et 407.

Festus p. 333 Mueller : « *Spicum* masculine antiqui di- » cebant, ut *hunc stirpem* et *hanc amnem*. VERSUS est » ANTIQUUS : QUASI MESSOR PER MESSIM UNUMQUEMQUE » SPICUM COLLEGIT. »

Inter saturniorum exempla recepi hoc fragmentum, hac sola causa, quia neque trimetrum neque tetrametrum justum efficere potest ; sed illud non sine dubitatione. Si vere ad rem nostram pertinet, sic est feriendum :

Quasi| messor| per| messim| } unum|quemque| spicum
Qua|si mes|sor per| messim| }

Col|legit|.........

Quasi melius pro iambo habebis quam pro pyrrhichio, quia sic in hemistichio priore caesura Korschiana non deficiet.

Festus p. 333 Mueller. Vide infra p. 431.

[Festus p. 351. V. Indicem hujus volum. s. vv. *bene sponsis.*]

Festus p. 352 Mueller : « *Topper* significare ait Artorius » cito, fortasse, celeriter, temere. Cito, sic in Nelei car- » mine : *Topper fortunae commutantur hominibus.* Citius, » sic C[n.[1]] NAEVI CAPESSET FLAMMAM VOLCANI. Cito, sic » in eodem : NAMQUE NULLUM PEJUS MACERAT HUMANUM » QUAMDE MARE SAEVUM. VIRET CUI SUNT MAGNAE TOPPER CON- » FRINGENT INPORTUNAE UNDE. Fortasse, sic Coelius l. VII : » *Ita uti, si*[2] *se quisque vobis studeat aemulari in statu* » *fortunae reip., eadem re gesta, topper nihilo minore* » *negotio acto, gratia minor esset.* Fortasse, sic Accius » in Io : *Topper, ut fit, patris* [... *tris*]*tem eicit ira.* Sin- » nius[3] vero sic : *Topper* fortasse valet in Enni et Pacuvi » scriptis; apud Ennium est : *Topper quam nemo melius* » *scit*; Pacuvius : *Topper tecum sit po...stas, faxsit si* » *mecum velit*; at (*codex* ad) in antiquissimis scriptis celeri- » ter ac mature; in ODYSSIA vetere : TOPPER FACIT HOMINES » UTRIUS FUERINT. TOPPER CITI AD AEDIS VENIMUS CIRCAE, » SIMUL DVONA EORUM PORTANT AD NAVIS, MILLIA ALIA IN ISDEM » INSERINUNTUR. » Priores Livii Andronici (nam ejus certo, non Naevii poetae illa fuerunt, *Namque.... undae*) loci ex Homero θ 138 : Οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι κακώτερον ἄλλο θαλάσσης Ἄνδρα γε συγχεῦαι, εἰ καὶ μάλα καρτερὸς εἴη et κ 395 : Ἄνδρες δ' ἄψ ἐγένοντο. Tertius locus, *Topper citi ad aedis venimus Circae*, ex homerico versu translatus non est; verum eas voces, puto, perspicuitatis causa ex sese addidit Livius. Etenim hiat quodammodo sensus in graeca Odyssea inter hos versus (κ 445) « Ἡμῖν δ' ἡγεμόνευ' ἱερὰ πρὸς δώματα Κίρκης. » Ὣς φάμενοι παρὰ νηὸς ἀνήϊον ἠδὲ θαλάσσης, Οὐδὲ μὲν Εὐρύλοχος κοίλῃ παρὰ νηῒ λέλειπτο,

1. Codex *C. Naevi capesset.*

2. Codex *se*, Meltzer *si*.

3. Cod. *tē eicit iras. Ennius.* Emendationem novam [.. *tris*]*tem* tentavimus.

'Αλλ' ἕπετ', ἔδδεισεν γὰρ ἐμὴν ἔκπαγλον ἐνιπήν, atque hos : Τόφρα δὲ τοὺς ἄλλους ἑτάρους ἐν δώμασι Κίρκη 'Ενδυκέως λοῦσέν τε καὶ ἔχρισεν λίπ' ἐλαίῳ. At quae sequuntur frustra multi in Odyssea quaesiverunt, contraque jus ac fas omnibus modis tentaverunt, quo ab homericis minus discrepantia facerent. Nam mihi quidem minime dubium est, quin post *Circae* exciderit nomen Naevii poetae versusque unus (vel etiam plures) ejusdem scriptoris, in quo rursus vox *topper* posita fuerit quemque alii versus secuti fuerint *Simul dvona eorum... inserinuntur*. Haec autem ex eodem loco deprompta fuisse oportet, ubi de Anchisa et Aenea fugientibus sic loquebatur Naevius poeta (vide infra p. 360 locum Servii ad Aen. 2,797) :

Eorum sectam sequuntur multi mortales.
Multi alii e Troja strenui viri.
Ubi foras cum auro illi[n]c exibant.

Contrariis erroribus evenit, ut prius Naevio poetae Liviana, hic Naeviana Livio tribuerentur.

In primo fragmento, quod Naevii poetae est, vox *topper* excidit. Excidisse etiam suspicor propter proximum *Naevi(us)* adjectivum *saevi*, itaque locum sic refingo : « *Citius : sic Cn[. Naevius : Topper s]aevi capesset flammam Volcani* ». Versum ergo habemus integrum :

[Top|per s]ae|vi ca|pesset| flammam| Vol|cani.

In altero fragmento, Liviano scilicet, non Naeviano, veteres emendationes comprobo *nihilum* pro *nullum*, *homonem* pro *humanum ;* pro *viret* non lego ut vulgo faciunt *vires*, verum *vires et* (ut neque καρτερός neque εἰ καί in barbaro loco deficiat). Denique omissum restituo *virum*, quod sine dubio pro graeco ἄνδρα positum fuit :

Nam|que ni|hīlum| pejus| } mace|rat ho|monem
Nam|que nihĭ|lum| pejus| }

Quam|de mare| saevum| ; vires| et cui| sunt| magnae,

[Top|per vi|rum| con|fringent| impor|tunae| undae.

Minus enim bene versus alter sic feriretur :

Quam|de ma|re sae|vum, vi|res et| cui sunt| magnae.

In tertio fragmento recte Duentzer (*De versu, quem vocant, saturnio* p. 45) *ut prius* pro *utrius,* Buecheler autem (*Neue Jahrbuecher fuer Philologie* LXXXVII p. 332) *fuerunt* pro *fuerint* restituit. Pro *homines* forsan legendum *homones.*

Top|per fa|cit| homines| } ut pri|us fu|ērunt.
Top|per fa|cit ho|mones| } ut pri|us| fuĕrunt.

Quartum fragmentum integrum est :

Top|per ci|ti ad| aedis| veni|mus| Circae.

In quinto fragmento nihil mutandum est, nisi quod pro *millia* scribi debet *multa* (sic supra p. 273 in vaticinio *milliaque multa* legimus pro *multaque millia*). Ex hoc loco discimus *i* in *inserinuntur* (ab *inserĕre*) non minus produci quam in *nequinont* et *prodinunt* (a *nequīre*, *prodīre*) :

Si|mul dvo|na e|orum| portant| ad| navis,
Mul|ta ali|a in| isdem| inse|ri|nuntur.

Fragmenta Festi
ex apographis codicis Farnesiani
secundum Theodori Mommsen recensionem.

Festus p. 363. V. locum T. Livii 6,29,5 ss. (supra p. 268).

Festus p. 375 Mueller in recensione Mommseni p. 81 sic: « *Vacerram* . . . . . et[1] alii complures vocari ajunt stipitem » . . . . . . .ices solent[2] religare. Atejus vero Philolo. . . . . . .

1. *Vacerram et* codex Vaticanus 1549 saec. XV et cod. Vatic. 2731 saec. XV, *vacerram et Aelius et* editio Pii (Mediolani, 1510), *vacerram Aelius et* ed. Ursini (Romae 1581), *vacerram Verrius et* ed. Augustini (Venetiis 1559).

2. . . . .*ices solent* adnotatio in libro nunc Monacensi Victor. 86 scripta a Victorio, qui in manibus apographum ipsius codicis a Politiano confectum habebat; *ad quem equos solent* codd. Vatic. et ed. Ursini; *ad quem equos solebant* ed. Augustini ; *ad quem equi solebant religari* ed. Pii.

» cum ad male dicendum[1] magnae acerbitat...... vecors[2]
» et vesanus teste LIVIO qui dicit.....CORDE[3] ET MALEFICA[4]
» VECORDIA. » Epitome : « *Vacerram* dicunt stipitem ad quem
» equos soleant religare. Alii dicunt maledictum hoc nomine
» significari magnae acerbitatis, ut sit vecors et vesanus. »
Ut videtur ex Homero ρ 248 : οἷον ἔειπε κύων ὀλοφώϊα εἰδώς[5].

Ex lemmate restitue *vacerra*. Exitus est saturnii :

.... ve|corde et| malefi|ca va|cerra.

§ 4. — De fragmentis a diversis ex Caesio Basso laudatis.

Nimii hic laboris esset opus, inquirere quo modo quosque per grammaticos Caesii Bassi verba ad illos homines pervenerint, qui temporibus christianis sine judicio plerumque et sine vera scientia enchiridia satis parvi pretii in usum scholarum confecerunt. Neque tamen hoc contenti esse possumus, ut singulorum scriptorum locos afferamus seorsim discriptos ; quod quia nonnulli doctorum fecerunt, locos illos recte judicare nequiverunt, et in magnos errores saepe sunt delapsi. Itaque particulas a nobis ex diversis scriptoribus decerptas, ab illis autem exscriptas ex uno unius auctoris libro, tali ratione hic edere decrevimus, ut et facilius in futurum et tutius esset legentibus judicium.

1. *Philolo....cum ad male dicendum* adnot. Victorii, *philologus male dictum ad male dicendum* codd. Vatic., *philologus male dictum hoc nomine significari* ed. August., *philologus hoc nomine significari male dictum* ed. Urs.

2. *Acerbitat....vecors* adnot. Victorii, *acerbitatis ut est vecors* codices Vaticani, *acerbitatis ut sit vecors* edd. Augustini et Ursini.

3. *Dicit...corde* adnot. Victorii, *dicit vecorde* ed. Ursini, *dicat vecorde* ed. Augustini et codd. Vaticani.

4. *Malefici* adnot. Victorii.

5. Scaliger tamen (Castigationes in Festum p. CCXIII) et fortasse melius ex Homero β 243 dicit. Μέντορ ἀταρτηρέ, φρένας ἠλεέ. Sed vocandi casu legit *vecors* et *malefice*.

SCRIPTOR INCERTUS in Henrici Keilii Grammaticis latinis t. VI p. 265 s. (cf. VII p. 670.) Ex fonte unico[1], codice Neapolitano IV A 11. Is descriptus ante annum 1504 ex codice Bobiensi post ann. 1493 deperdito, ex quo etiam editio Terentiani.	MARIUS VICTORINUS in Henrici Keilii Grammaticis latinis t. VI p. 138 ss. Ex fontibus qui sunt : Codex Palatinus 1753 saeculi IX, Codex Parisiensis 7539 s. IX f. 60 v° s. a me collatus.
	.... Ut et apud †Arbitrium invenimus, cujus exemplum : Memphitides puellae[2], Sacris deum paratae[3], item : Tinctus colore noctis, Aegyptias choreas.
DE SATURNIO VERSU.	DE SATURNIO VERSU[4].
	Et quando[5] sub occasione versus hujus et tempestiva †esse[6] nobis alia suggerit
De saturnio versu dicendum est,	species, consentaneum reor hoc loco dicere de natura et origine hujus versus,
quem nostri existimaverunt proprium esse italicae regionis.	cui prisca apud Latium aetas tamquam italo et indigen[a]e[7] saturnio sive faunio nomen dedit.

[*Conferantur supra pp.* 247 *et* 256 *et infra p.* 397 *loci ex Festo, Varrone, pseudo-Victore, pseudo-Acrone.*]

Sed falluntur : a Graecis enim varie et †moltis modis tractatus est, non	Sed falluntur : a Graecis[8] enim varie et multiformiter inductus est, nec[9]
solum a comicis, sed etiam a tragicis. Nostri autem antiqui, ut vere dicam quod apparet,	tantum a comicis, sed etiam a tragicis. Nostri autem antiqui

1. Vide libellum cui titulus : *Index scholarum... per aestatem anni 1880... Insunt Henrici Keilii et Gustavi Juergensii observationes in Caesium Bassum et Atilium Fortunatianum*. Halae, x pp. 4°.
2. *Puelle* codex Parisiensis.
3. *Parate* codex Parisiensis.
4. Exstat haec inscriptio in codice Parisiensi.
5. *Quoniam* Keil, QN cum lineola codex Parisiensis.
6. Uterque codex *ee* cum lineola, *etiam* editio Camerarii.
7. *Indegene* uterque codex.
8. *Grecis* codex Parisiensis.
9. *Non tantum amicis*, expunctis *on*, supra scriptis *ec* et postea *co*, codex Paris.

TERENTIANUS MAURUS DE METRIS v. 2489 ss. in Keilii Grammaticis t. VI p. 399 s. Ex fonte unico, editione principe (Mediolani 1497). Ea ex codice Bobiensi ex quo et Scriptor Incertus.	ATILIUS FORTUNATIANUS apud Keilium t. VI p. 293 s. cf. VII p. 672 s.) Ex eodem fonte atque Scriptor Incertus.	
.... At Arbiter disertus Libris suis frequentat. Agnoscere haec potestis, Cantare quae solemus : Memphitides puellae, Sacris deum paratae, Tinctus colore noctis, Manu puer loquaci.		
	DE SATURNIO.	
Aptum videtur esse Nunc hoc loco monere Quae sit figura versus Quem credidit vetustas Tamquam Italis repertum, Saturnium vocandum.	Saturnio metro primum in Italia usi. Dictum autem a Saturnia, urbe vetustissima Italiae.	*Atilius p. 283 Keil :* Saturnios quod eo[1] tempore primum in Italia usurpati sunt, quo Saturnia urbs erat.
Sed est origo Graeca Illique metron istud Certo modo dederunt.		
Nostrique mox poetae,	Et[2] hic versus obscurus quibusdam videtur,	

1. *Eo codicis librarius, corrector eodem.*
2. *Et* a correctore additum.

SCRIPTOR INCERTUS.	MARIUS VICTORINUS.
usi sunt eo non observata lege	usi sunt †ea non observata lege
nec uno genere custodita†,	nec[1] uno genere custodito,
†inter se consonantiant[2] versus, †	
sed praeter[quam[3]] quod durissimos	sed praeterquam[4] quod durissimos
fecerunt, etiam alios	fecerunt, etiam alios
breviores, alios longiores inseruerunt,	longos, alios breviores inseruerunt.

[*Breviores : qui thesibus hemistichiorum paenultimis carebant. Longiores : in quibus Caesium vis brevium breviantium latuit.*]

MALLIUS THEODORUS	SERVIUS DE CENTUM METRIS
apud Keilium t. VI p. 594.	apud Keilium t. IV p. 466.
Ex fontibus qui sunt :	Ex fontibus qui sunt :
Codex Parisiensis Bibl. Publ. latin. 7530 saeculi VIII, a me collatus. folio 142 verso,	folio 34 recto,
Codex Guelferbytanus Weissenburgensis 86 s. IX.	Cod. Neap. Borbon. IV A 8 s. VII-VIII, Editiones veteres.
Metrum iambicum saturnium habet iambicum tetrametrum colobon[5]	Saturnium constat dimetro iambico catalectico
[*Mallio metra sunt ubique pedes singuli.*]	
et tres trochaeos[6]. Hujus exemplum :	et[7] ithyphallico[8] ut est hoc :
Merule quodos vetus te- ma nedul cecan tat[11]	Isis pererrat[9] urbem[10] crinibus profusis.

[*Similia Victorinus infra p.* 518.]

[*Aperte ficticius Mallii versus : similes vide p.* 593,20 *et* 23. 594,3. *Voces sic refinge* : Merulae quod os vetustae mane dulce cantat.—*Servius in illo opusculo cum versiculos laudare soleat partim a se confectos, partim desumptos ex aliis scriptoribus sed a se mutatos, ut* p. 462,23 Tuba terribili procul aere sonat clipeum quate miles *ex Verg. Aen.* 9,503, *p.* 463,25 Maecenas atavis Lydia quos fert genite *ex Hor. carm.* 1,1,1, *suspicari possis hunc saturnium* Isis... *esse depromptum ex eodem carmine, unde acturi mox de saturnio Victorinus et Terentianus laudabant* Memphitides puellae *et* Aegyptias choreas : *ibi nempe fuisse oporteret aliquid tale :* Dum crinibus profusis Isis pererrat urbem.

1. *Ne* codex Parisiensis.
2. *Consentiant* ex correctione.
3. *Praeter quod* omisso *quam* codex.
4. *Propter quam* codex Parisiensis.
5. *Colophon* codices.
6. *Trocheos* codex Parisiensis.
7. *Et* om. codex Parisiensis.
8. *Astimfallico* codex Parisiensis (*as* igitur pro *et i*).
9. *Perperat* codex Parisiensis.
10. *Orbem* Keilius atque, ut videtur, codex Neapolitanus.
11. Sic in cod. Paris. distincti iambi, non voces ; ibidem *merule*, *vetuste*, non *-ae*.

Terentianus.

Rudem sonum secuti,
Ut quemque res ferebat,
Sic disparis figurae
Versus vagos locabant.

Post rectius probatum est

[*Errore, puto, credidit Terentianus saturnii formam expolitam esse, qua de re ceteri grammatici qui Caesium Bassum exscripserunt tacent.*]

Ut tale colon esset

Junctum tribus trochaeis,

Atilius.

quia passim
et sine cura
eo homines
utebantur.

[*Similia Atilius infra p.* 319.]

MARIUS PLOTIUS SACERDOS
in Keilii Grammaticis t. vi p. 531.

Ex fontibus qui sunt :
Codex Valentianus (Valenciennes) x. 5.1 s. ix,
Codex Leidensis Vossianus 79.8 s. x,
Cod. Paris. 13955 s. x f. 155 v° a me collatus,
Codex Cusanus (Cues apud Treviros) C. 14,
excerptorum, s. xii.

IPSE SACERDOS.

Ex hoc metro, trochaico scilicet et iambico, constat metrum saturnium, quod mixtum est[2].
Ideo nec inter species iambicas posui nec inter trochaicas[3].
Constat autem ex
iambico[4] dimetro
catalectico
hipponactio[5]
amphicolo[7]
et tribus trochaicis†,
id est ithyphallicos.

[*Prope eadem infra p.* 319 *repetuntur.*]

INTERPOLATOR.

DE METRO SATURNIO[1].
Saturnium compositum vel mixtum ex iambico metro et trochaico,
iambico dimetro
amphicolo
hipponactio[6]
catalectico
et trochaico dimetro brachycatalecto
†ithipallico[9],
hoc est tribus
trochaeis.

---

1. Deest inscriptio in codice Parisiensi.
2. *Est* om. codex Valentianus, cod. Vossianus ; in margine add. codex Parisiensis.
3. *Iambicas p. nec inter* om., *iambico posui nec inter* in marg. add. corr. cod. Voss.
4. *Iambo* codex Valentianus.
5. *Hypponactio* codex Parisiensis.
6. *Ypponactio* codex Parisiensis.
7. *Amphiloco* (*loco* in litura) codex Valentianus.
8. *Ythipallico* codex Parisiensis.
9. *Ithipalico* codex Vossianus, *stipallico* cod. Valentianus, *stipallico* corr. *ytipallico* cod. Parisiensis.

ut vix invenerim apud Nevium quos pro exemplo ponerem. Apud Euripidem et †Calimachum et quosdam antiquae comediae scriptores[1] tale inveni genus :	Quorum est hic :
Turdis edacibus dolos comparas, amice.	Turdis edacibus dolos comparas, amice.

Apud Archilochum tale :

Quem non rationis egentem
vicit Archimedes.

Et tertium genus :

Consulto producit eum
quo sit impudentior.

[*Aperte ficticii sunt tres illi versus, et de saturniis graecis merae Caesii nugae.*]

Apud nostros autem in tabulis antiquis quas triumphaturi duces in Capitolio figebant victoriaeque suae titulum saturniis versibus prosequebantur, talia repperi exempla :

ex REGILLI TABULA :

Dvello magno dirimendo,
regibus subigendis.

[*De hac tabula vide supra pp.* 280 *ss. locum T. Livii* 40,52.]

DIOMEDES in Keilii Grammaticis t. I p. 512.

Ex fontibus qui sunt :

Codd. Parisienses s. IX a me collati 7494 f. 115 v° et 7493 f. 102 v°, — Codex Monacensis saec. IX, — Editiones.

[*Hic aliquid interciderit est necesse.*]

Saturnium in honorem dei NAEVIUS invenit[2],

[Naevius invenit *falsum*: *ante Naevium saturnios conscripsit Livius, ante Livium qui vetustissima elogia Scipionum composuerunt, ante hos Appius in Sententiis. Mirum est, quod Diomedes in errorem induxit Bentleium* [3].]

addita una syllaba ad iambicum versum, sic :

Summas opes qui regum
regias refregit.

Huic si demas ultimam syllabam, erit iambicus...

[*cf. infra p.* 320 *pseudo-Asconius:* « senar. hypercatal. ».]

1. *Et quosdam antiquae comoediae scriptores* omittit (congruens in hoc cum Sacerdote, quod casu evenit) editio Parrhasii, quae ex codice Neapolitano facta est.
2. Ultimae ante hunc locum voces : *libidine vinctum*. Edd. veteres sic habent : *libidine junctum. Venusinus invenit addita syllaba ad iambicum sic : summus apex e. q. s.*
3. Bentley, *A dissertation upon the epistles of Phalaris* (1699), p. 227 : « The first that used the *Saturnian* Verse among the Latins was *Nævius*... »

Quo metro usi sunt
†Cyrides[1] et Callimachus,

Composuit

Maxime tamen triumphaturi in Capitolio tabulas ejus modi versibus incidebant, id est sic[2] :

et apud nos

Summas opes qui regum
regias refregit.

[*Hic Naevii versus (nam ejus esse non est cur negemus, quamquam Diomedes in illo invenit errat aut ex tabula triumphali incerta* (regum *confer cum Reguli* regibus) *aut potius ex elogio alicujus ducis a Caesio depromptus fuerat; sic cum pronomine relativo in elogiis Scipionum* Quoius forma virtutei.. ; — Consol censor aidilis quei fuit.. ; — Quei apice insigne.. ; — Quoiei vita defecit. .

1. *Cyridus* codex Vossianus, *Choerilus* codex Leidensis Scaligeri 37 e Vossiano manu Cujacii descriptus.

2. *Id est sic* codicis librarius ; corrector *et est sic*

. . . .

. . . . .

Qui est subsimilis ei quem[1] paulo ante posui,

Consulto producit eum
quo sit impudentior.

[*In versu nunc deperdito, quem Scriptor Incertus laudaverat, tertius pes, puto, ex brevi constabat per arsin producta* (*ut* Quotannis comiter Apollini fiant *vel* Dedet Tempestatebus aide mereto...) *et voce disyllaba synizesin patiente* (*ut* Hospes gratum est quom apud *meas* restitistei seedes); *in sexto pede scriptura syncopam non indicabat, quae debebat in pronuntiando fieri* (*ut* Caro tua nam mihi ita Juppiter fatus est, *pro* fatust, *vel* Ob hasce res bene gestas quod in bello voverat, *pro* vorat.) *Exempli gratia sic* Legionibus quique suis copias fuga(ve)rat.]

In ACHILII[2] GLABRIONIS TABULA :

Fundit, fugat, prosternit
maximas legiones.

[*T. Livius* 40,34,4 *ss. anno ante Christum natum* 181 : « *Aedes duae eo anno dedicatae sunt,* » *una..., altera in foro olitorio Pietatis; eam aedem* » *dedicavit M'. Acilius Glabrio duumvir, statuamque auratam quae prima omnium in Italia est* » *statu[t]a aurata patris Glabrionis posuit. Is* » *erat qui ipse eam aedem voverat quodie*[3] *cum* » *rege Antiocho ad Thermopylas* †*depugnasset* » [*anno* 191], *locaveratque idem ex senatus con-* » *sulto.* » *Tabulam cum dicere videatur Caesius se legisse in Capitolio, veri simile est ejusmodi tabulas aut binis exemplaribus* (*quod de tabula Regilli T. Livius diserte significat : supra p.* 281) *aut etiam pluribus confici esse solitas. Nisi ea, Pietatis forte* (*cum aliis quae jussu Caesaris dictatoris sublatae sunt, Dio* 43,49,3) *diruta aede, tum demum in Capitolium invecta est : quod vix credet qui animadvertet combusta esse a Caesare signa conversumque in praedam aurum. — Capitolinas et Glabrionis et Regilli tabulas inter ea aerearum tabularum tria milia fuisse crediderim quae, sive genuinae erant sive post incendium anni ante Christum* 83 *refectae, post Caesii tempora anno post Christum natum* 69 *novo incendio conflagratae sunt; qua de re Suetonius, Vespasianus* 8.]

Apud NEVIUM poetam
hos repperi idoneos:

[*Haud dubium quin in Bello Poenico.*]

---

1. *Quem* in codice bis scriptum.
2. Post *Achilii* vox *tabula* scripta et deleta.
3. *Quodie* scribendum, ut *hodie* : *Mém. de la Soc. de linguistique de Paris* t. IV p. 229.

†MEVIUS[1] sic: †MAEVIUS[2] hoc modo

1. Codex Valentianus manu recentiore *Nevius*.
2. *Maevius* codex Valentianus, *Nevius* Vossianus et Parisiensis.

Ferunt pulchros †pateras,
†tereas lepistas.

Et alio loco :

†Navem Jovis concordes
filiae sorores.

Item :

Ferunt pulchras †ereterras[1]
†aureasque lepistas.

[*Male Victorinus hunc versum a Naevio abjudicare videtur.*

Et apud NAEVIUM[2] :

†Novei †moves concordes
filiae sorores.

Videtur[3] tamen e duorum versuum membris compositus, dimetri et quadrati. Constat autem pedibus sex et semipede, nam primos[4] tres pedes et semipedem habet ex parte prima[5] dimetri, reliquos vero tres pedes qui sunt ultimi habet a parte prima quadrati tragici trochaici :

ut

Cum victor Lemno classem
Doricam appulisset.

[*Hunc versum, quamquam caesura Korschiana in utroque hemist. carentem existimare nequeo ficticium, nam propter argumentum a ceteris versibus ficticiis valde dissimilis est. Petitum puto ex Carmine Priami, cujus laudatus est supra p. 255 versus caesura Korschiana in hemist. priore carens* Veteres Casmenas cascas res volo profari, *et initium alterius versus qui caesuram Korschianam vix recipere potuit* Et Pri[a]mum; *argumentum quoque convenit.*

1. *Ereterras* etiam codex Parisiensis.
2. *Nevium* codex Parisiensis.
3. *Videtur tamen e duorum versuum membris* in margine add. codex Palatinus.
4. *Primus* codices.
5. *Prima parte* cum notis transponendi codex Parisiensis.

Habet autem
in prima parte[3]
iambicon dimetron
catalecticon,
in secunda
trochaicon dimetron
brachycatalecton,
quod et ithypallicom†
diximus [p. 223,19], ut :

Ferunt pulchras[1] creterras[2]

Huc[4] usque hip-
ponactium[5] amphicolum dimetrum
catalecticum[6] iambicum est.
Nam quod sequitur
trochaicum dimetrum
brachycatalectum[7]
†ithypallicum[8] tale est :

aureas lepistas.

Novissima[9] syllaba indifferens.
Totus versus sic :

Ferunt pulchras creterras[10],
aureas lepistas.

Et :

Ut si vocet Camenas
quis novem sorores.
[*cf. infra Victorinus.*]

[*Similia supra pp. 313 et 319 Terentianus, Atilius, Sacerdos, Sacerdotis interpolator.*]

---

1. *Pulcras* corr. *pulchras* codex Vossianus.
2. *Crateras* codex Parisiensis.
3. *Primam partem* librarius, *in prima parte* corrector.
4. *Hoc* codex Valentianus.
5. *Hypponactium* codex Parisiensis.
6. *Catalectum* corr. *catalecticum* codex Valentianus, *acatalecticum* Voss. et Paris.
7. *Brachicatalecticum* codex Parisiensis.
8. *Ithipalicum* codex Vossianus, *ytipallicum* Parisiensis, *stipallicum* Valentianus.
9. *Novissima s. indifferens totus v. sic Ferunt p. creterras a. lepistas* om. codex Parisiensis.
10. *Crateras* codex Cusanus.

SCRIPTOR INCERTUS.	MARIUS VICTORINUS.
	Est autem duabus primis syllabis longior ab hendecasyllabo[1]. Nam uno pede in capite hendecasyllabi[1] posito[2] saturnius[3] versus fiet, cujus exemplum
Sed ex omnibus istis, qui sunt asperrimi et ad demonstrandum minime accommodati, optimus est quem METELLI proposuerunt de Nevio, aliquotiens ab eo versibus lacessiti :	METELLI proposuerunt de Naevio[4], aliquotiens ab eo lacessiti, ita :
Malum dabunt Metelli Nevio poetae.	Malum dabunt Metelli Naevio[5] poetae.

[*Pseudo-Asconius in Ciceronis actionem* I *in Verrem*, 10,29 (*te non fato ut ceteros ex vestra familia*) : « *Dictum facete et contumeliose in Metellos antiquum Naevii est : Fato Metelli Romae* » *fiunt consules. Cui tunc* METELLUS CONSUL *iratus versu responderat senario hypercatalecto* » [*cf. supra p.* 314 *Diomedes*], *qui et saturnius dicitur*. Dabunt malum Metelli Naevio poetae ».]

Hic enim saturnius constat ex hipponactei quadrati iambici posteriore commate et phalleco[6] metro. Hipponactei quadrati exemplum :

Quid immerentibus noces,
quid invides amicis ?

[*Diomedes p.* 515,3 : « *Septenarium* » *versum Varro fieri dicit hoc modo,* » *cum ad iambicum trisyllabus pes* » *additur, et fit tale : Quid inmerenti-* » *bus noces, quid invides — amicis ?* » *Eadem Rufinus apud Keil t.* VI *p.* 555,18, *ex Charisio ut dicit.*]

SCRIPTOR INCERTUS.	MARIUS VICTORINUS.
Nam	Nam
Malum dabunt Metelli	Malum dabunt Metelli

simile est illi

Quid invides amicis,

cui detracta syllaba prima facit phallecon[7] metron :

invides amicis.

Ex quibus compositus est hic saturnius, ut sit par huic :

Quid invides amicis,
invides amicis ?

[*Aperte ficticius hic saturnius.*]

1. *Endecasyllab.* utroque loco codex Parisiensis.
2. *Positos* codex Parisiensis.
3. *Saturnios* codex Palatinus et codex Parisiensis.
4. *Nevio* codex Parisiensis.
5. *Nevio* codex Parisiensis.
6. Hic *phalleco* codex; infra *phallecon. Phallico* et *phallicon* Santen, Keil, sed cf. paulo infra Victorinus.
7. Vide praecedentem adnotationem.

Et Nevio poetae
Sic ferunt METELLOS,
Cum saepe laederentur,
esse comminatos :

Dabunt malum Metelli Nevio poetae.	Dabunt malum Metelli Nevio poetae.	Malum dabunt Metelli Naevio[1] poetae[2].

[Dabunt malum *malo quam* Malum dabunt, *cum propter pseudo-Asconii testimonium ex alio ut videtur fonte haustum, tum propter allitterationem, quae dicitur,* malum Metelli.]

[*Anno ab urbe condita 548, ante Christum natum 206 Q. Caecilius Metellus, de quo hic sermo est, consul fuit cum L. Veturio Philone.*]

Dabunt malum Metelli

1. *Nevio* codex Parisiensis. Codex Valentianus *Metellinae carrinas*, in margine *io poetae et trahuntque siccas multas machinae*.
2. *Poete* codex Parisiensis.

hoc modo :

Malum dabunt Metelli
Nevio poetae.

clauda pars dimetri iambici est;

[*Eadem exempla apud Victorinum infra.*]

Dehinc : Naevio[1] poetae
tribus trochaeis[2] constat,
quod phalaecium[3] vocamus,
nec quicquam oberit trochaeo
quod[4] suprema longa est,
quod semper in metris
indifferenter, sicut diximus, ponitur.

(III iambos cum syllaba et III trochaeos ?.)

[*Glossematis reliquiae, quod referri debet ad haec supra p* 318 *posita verba*: Nam primos tres pedes et semipedem habet...., reliquos vero tres pedes...]

Ergo erit prima pars, id est

Malum dabunt Metelli,

talis qualis est

Adest celer phaselus[5],

item

Memphitides puellae :

sequens

Naevio[1] poetae

talis est ut[6]

Bacche plaude Bacche[7].

Sane ut in [hen]decasyllabo[8]
primus pes incertus est, † ita ut in
hoc duo primi pedes variantur

Jam nunc vocet Camenas
[quis[9]] novem sorores

qui ut terminus a spondeo incipit †.

[*Quae emendationi Santenius et Keilius contulerunt non efficiunt ut hic locus sensu non careat.*]

---

1. *Nevio* codex Parisiensis.
2. Loco priore *trocheis*, altero *trocheos* codex Parisiensis.
3. *Phalechium* codex Parisiensis.
4. *Trocheo qui* codex Parisiensis.
5. *Celer* priore *e* caudata, *phasellus* expunctis *h* et priore *l* codex Parisiensis.
6. *Talis ut est* emendatum ut videtur ex *talis uthat* vel *talis uthect* codex Paris.
7. *Bacche* bis cum *e* caudata codex Parisiensis.
8. *Decasyllabo* codices; *hendecasyllabo* Santenius, quae vox supra invenitur.
9. *Quis* additum ex Terentiano.

claua pars †trimetri:

Dabunt malum Metelli,
Adest celer phaselus,
Memphitides puellae,
Tinctus colore noctis.

Post, Nevio poetae,
Tres vides trochaeos.

Nam nil obest trochaeo
longa quod suprema est.

[Eadem exempla paulo ante Terentianus.]

[Eumdem prope versum supra p. 319 Terentianus.]

Quidam volunt hunc [1] feriri [2] sexies

[*Optimo id jure : supra pp.* 11,43.]

et recipere pedes septem,

hoc est

[*Memento qui haec legis, hemistichium saturnii prius videri grammaticis antiquis ex tribus pedibus iambicis et una syllaba compositum, non ut nobis ex anacrusi et tribus pedibus trochaicis.*]

spondeum,

[*Sic in hemistichio priore :* Terra|, *Publi*|, *progna*|tum ;

iambum,

[*Sic in hemistichio priore :* Quare| *lubens*| te in gremi|u ;

(pyrrichium,) pariambum,

[*Glossema deleto.*]

[*Sic in hemistichio priore pseudopyrrhichius :* Topper| *facil*| homines ;

[choreum,]

[*Excidit propter illud « recipere pedes* septem *» vox genuina* choreum *post insertum glossema* pyrrichium.]

[*Sic in hemistichio priore pseudochoreus :* Honos|, *fama*| virtusque ;

dactylum[3],

[*Sic in hemistichio priore :* Bene rem| geras| *et vale*|as ;

trochaeum[3], [*Id est tribrachum.*]

[*Sic in hemistichio priore pseudotribrachus : Facile*| facteis| supera|ses ;

anapaestum[3],

[*Sic in hemistichio priore : Bene rem*| geras| et vale|as ;

---

1. *Hunc* in codice Palatino supra scriptum.
2. *Ferri* cum *i* supra scripta codex Parisiensis.
3. *Dactilum* codex Parisiensis. Idem *trocheum* et *anapestum*.

PSEUDO-CENSORINUS
in Keilii Grammaticis t. VI p. 615.

Ex fontibus qui sunt :
Codex Coloniensis saec. VII, Cod. Vaticanus s. x,
Editiones.

Numerus saturnius :

Magnum numerum triumphat
hostibus devictis[1].

[*Versiculus ex aliqua tabula triumphali depromptus. Sic praesens tempus in tabula Glabrionis,* Fundit fugat prosternit. — *Ad eum fictus a « Celsio » seu rectius Caesio) Basso apud Diomedem p.* 513,17 *versus* Romani victores Germanis devictis, *qui laudatur etiam a Diomede p.* 495,23 *ubi* devinctis. *Ergo Caesium pseudo-Censorinus quoque exscribit; ut ex Caesio sumpta sint quae et ille et Victorinus de pedibus dicunt.*]

Sunt qui hunc †aristodolion vocant.

Recipit pedem

[*Ubi pseudopyrrhichios, pseudochoreos, pseudotribrachos, pseudiambos admisimus nos, cogitabamus de productione finalium per arsin facta* (*supra pag.* 56), *Caesio autem Basso nisi fallimur ignota.*]

spondium,
in hemistichio altero :
Publi|*o*, *Cor*|neli.]

iambum,
in hemistichio altero pseudiambus : in se|*ce ver*|sutum.]

pyrrichium,
in hemistichio altero pseudopyrrhichius : capiti|*bus o*|pertis.]

chorium,

[Choreus *est quem nos hodie trochaeum,* trochaeus *vel* brachysyllabus *quem nos tribrachum nuncupamus* (*vide lexica*).]

in hemistichio altero choreus :
Glori|a atque in|genium.]

dactylum,
in hemistichio altero :
dormi|*as sine*| qura.]

brachysyllabum,
in hemistichio altero tribrachus : capiti|bus o|pertis.]

anapaestum.
in hemistichio altero :
lacrimis| cum| multis.]

---

1. *Devicti* codex Coloniensis.

e quis est †Thacomestus,

et nasci a trimetro scazonte[1].

[*Revera, dummodo ad caesuram non respexeris, trimetri scazontis ut* Nec in bicipiti somniasse Parnasso *similes sunt saturnii ejus modi :* Taurasia Cisauna Samnio cepit, — Magna sapientia multasque virtutes.]

Alii vero omnes XII pedes admittere neque semper eum, ut illi asserunt, nasci a[2] trimetro scazonte[3].

[*Reliqui pedes quinque sunt:* U — U, U — —, — U —, — — U, — — —. *Ex his palimbacchius* — — U *nomen acceperat* saturnii (*de hoc pede vide infra p.* 355 *locum Diomedis p.* 479). *Qui tales pedes admittebant, saturnium, puto, versum volebant feriri quater : exempli gratia versum* Taurasia Cisauna Samnio cepit *in quattuor metra discerpi, quorum primum constaret ex pedibus duobus, spondeo et iambo, cetera tria ex pedibus singulis, bacchio aut molosso, choreo, palimbacchio sive saturnio.*]

Unde apud omnes grammaticos super hoc adhuc non parva lis est.

....

....

Victorinus p. 143,26 (*codex Paris. f.* 62 *v*°) :

... ex trimetro iambico catalectico[4], medio trochaeo[5] immisso[6], sic :

Trahuntque siccas [multas[7]]
machinae[8] carinas.

[Multas *perperam sustulit librarius, Horatii non recto tempore memor.*]

Nam †fallache[9] medius trochaeus insertus est iambico versui. Haec forma conveniens saturn[i]o[10] versui est.

1. Inter *a* et *z* supra scripta *n* in codice Parisiensi; idem iterum infra.
2. Hic codex Parisiensis e *trimetro*.
3. Vide supra adnotationem 1.
4. *Acatalectico* codex Parisiensis.
5. *Trocheo* codex Parisiensis.
6. *Inmisso* codex Parisiensis.
7. *Multas* ex Plotio additum.
8. *Machinas* corr. *machinae* codex Palatinus.
9. *Fallache* cum *e* caudata codex Parisiensis. *A Callimacho* Camerarius.
10. *Saturno* codices.

et

Trahuntque siccas multas
machinae carinas[1].

[illegible] e Horatio, Carm. I 4.2

1. Vide supra p. 321 adnotationem 1.

Quidquid opus visum est commentario aliquo illustrare, sub singulis locis tractavimus. Unum hoc restat, ut hic versiculos a scriptoribus nostris laudatos in suos pedes solvamus :

Dvel|lo ma|gno diri|mendo| regi|bus subi|gendis.
(cf. supra p. 283).
Sum|mas o|pes qui| regum| regi|as re|fregit.
Fun|dit fu|gat pro|sternit| maxi|mas legi|ones.
Fe|runt pul|chras cre|terras|, aure|as le|pistas.
No|vem Jo|vis con|cordes| fili|ae so|rores.
Cum| victor| Lemno| classem| Doricam| appu|lisset.
Da|bunt ma|lum Me|telli| Naevi|o po|etae.
Ma|gnum nume|rum tri|umphat| hosti|bus de|victis.

§ 5. — De fragmentis a Gellio laudatis.

Codices *Noctium* A. Gellii *Atticarum* omnes (praeter recentiores, qui nullius momenti sunt) aut septem tantummodo primos libros aut duodecim tantummodo a nono ad vigesimum ultimos continent; nam liber octavus deperditus est; itaque nobis duae illae universi operis partes sic tractandae sunt, quasi duo distincta essent opera. Valde dolendum est, quod nondum prodiit editio unde et codicum lectiones petere et rectam constituendi Gelliani textus viam discere promptius possis. Nos, cum utrique Noctium Atticarum parti suus sit codex Parisiensis isque fontibus praecipuis adnumerandus, horum scripturas ex ipsis exscriptas in textu afferre voluimus, in adnotationibus lectiones reliquorum codicum sicubi opus erit laudaturi ex editione Gronoviana Leidensi anni 1706.

Fragmenta ex libris I-VII.

His libris fontes esse existimantur praecipui, praeter codicem Parisiensem lat. 5765 saeculi XIII a nobis in textu adhibitum, codices manu scripti hi[1] : codex Romanus Vaticanus 3452, codex Leidensis Rottendorfianus (Gron. 21) saeculi XIII.

A. Gellius 1,24,1 s. ex codice Parisiensi 5765 fol. 72 verso *a* : « Trium poetarum illustrium epygrammata, C. N. » Nevii, Plauti, M. Pacuvii, quae ipsi fecerunt et inci- » denda sepulchro suo reliquerunt, nobilitatis eorum gratia et » venustatis scribenda in his commentariis esse duxi. EPY-

1. In locis infra laudandis nihil est, quod in codice palimpsesto Romano Vaticano Palatino sit servatum.

» GRAMMA NEVI plenum superbie campane, quod testimo-
» nium justum esse potuisset, nisi ab ipso dictum esset :
» IMMORTALES MORTALES SI FORET FAS FLERE, FLERENT DIVE
» CAMENE NEVUM POETAM, ITAQUE POSTQUAM EST ORCHO[1] TRA-
» DITUS, THESAURO OBLITI SUNT ROME LOQUIER LINGUA
» LATINA. »

Ordo verborum olim a Carrione turbatus, qui « optima collectanea » secutus *Mortales immortales flere si foret fas* et *lingua latina loquier* scripsit. Quattuor sunt versus saturnii ; primus, secundus, quartus incorrupti (nam non magni negotii est restituere *div[a]e, camen[a]e, N[a]evium, Rom[a]e*); in tertio pro *orcho* vel *orchio* alii *orcino*, alii *orcivo*, alii *Orci* legunt. Hi quamquam pauciores sunt magis tamen probandi mihi quidem videntur; *orcho* enim, puto, casu dandi propter vicinum *traditus* pro *Orchi* est scriptum ; *orchio* autem ortum ex emendatione a librario quodam male intellecta. In hoc igitur versu thesis hemistichii prioris paenultima sublata est. In eodem *itaque* propter arsin producitur.

Im|morta|les mor|tales| si fo|ret fas| flere,
Fle|rent di|vae Ca|menae| Naevi|um po|etam.
Ita|que, postquam| est| Orci| tradi|tus the|sauro,
Ob|liti| sunt Ro|mae loqui|er lin|gua la|tina.

Ultimus versus, nisi fallor, « malevoli veteris poetae » est in juniorem Ennium infensi. Scilicet antequam Naevius poeta ea verba scriberet puto Ennium jam versus heroicos Graecorum imitatum fuisse, jam *versibus quos olim Fauni vatesque canebant* odium atque contemptum suum significavisse. — Neque male Naevius poeta Ennium quasi linguam latinam dedidicisset insectari potuit, si quidem ille jam talibus utebatur vocibus, quales sunt *Metioeo Fufetioeo* pro *Meti Fufeti*.

---

1. *Orchio* codex Rottendorfianus (et sic libri omnes Carrioni noti praeter Buslidianum, qui *Orchi*).

[A. Gellius 1,24,3. Vide Indicem hujus voluminis sub vocibus *postquam morte*.]

A. Gellius 3,16,11 ex codice Parisiensi 5765 folio 89 recto *a* : « Cesellius autem vindex in lectionibus suis anti-» quis : tria sine quod[1] [s. q. *in rasura*] nomina parcarum » sunt, *nona decuma* †*orta*, et versum hunc LIVII antiquis-» simi poete ponit ex ΟΔΥΣΣΕΙΑ :

QUANDO DIES ADVENIET QUEM PROFATA MORTA EST.

» Sed homo minime malus cesellius *mortam* quasi nomen » accepit, cum accipere quasi *moeram* deberet. » Ex Homero β 99 et alibi : εἰς ὅτε κέν μιν Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι.

Livii versus integer est. *Dies* accipi potest et pro iambo et pro pyrrhichio vel longa syllaba. Illud veri similius ; hoc si probaveris, thesis hemistichii prioris paenultima tolletur.

Quan|do di|es ad|veniet| } quem pro|fata| Morta est.
Quan|do dies| ad|veniet| }

[A. Gellius 4,9,1. V. Indicem hujus vol. sub v. *religentem*.]
A. Gellius 5,12,7. Vide infra p. 433.

A. Gellius 6(7),7,11 s. ex codice Parisiensi 5765 folio 106 verso *b* : « *Ad primum* autem longe primum L. LIVIUS » in ODYSSIA dicit in hoc versu :

IBIDEMQUE[2] VIR SUMMUS AD PRIMUS PATROCLUS.

» Idem LIVIUS in [O]DYSSIA *p[rae]modum*[3] dicit » quasi *admodum* PARCENTES inquid P[RAE]MODUM[3] quod[4]

1. Legendum *Tria, inquit* [scilicet Caesellius Vindex], *nomina*.
2. In multis editionibus male legitur *ibi denique*. *Ibidemque* codex quoque Rottendorfianus.
3. *Prae* per notam expressum bis, cujus formam parum usitatum adnotat Gronovius.
4. *Quod* correctum ex *quid*.

» significat *supramodum* dictumque est quasi *preter* » *modum* in quo scilicet prima syllaba acui debe- » bit. » Ex Homero γ 109 : ["Ενθα μὲν Αἴας κεῖται Ἀρήϊος, ἔνθα δ' Ἀχιλλεύς, | "Ενθα δὲ Πάτροκλος θεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος, ["Ενθα δ' ἐμὸς φίλος υἱός], et fortasse ξ 91 : ἔκηλοι Κτήματα δαρδάπτουσιν ὑπέρβιον, οὐδ' ἔπι φειδώ.

In priore Livii Andronici loco jussit Bergkius restituere pro *Patroclus* formam vetustiorem *Patricoles*, de qua vide Ritschelii Opuscu lat. II pp. 476, 493, 495; numerus tamen non vetat servari *Patroclus*. *Ibidem* si altera syllaba correpta legeris, deerit hemistichio priori thesis paenultima; item alteri hemistichio, si *Patrŏclus* malueris quam *Patricoles*; nam non audiendus est Theodorus Korsch, qui legit altera producta *Patrōclus*. Ex omnibus autem versus formis :

Ibi|demque| vir| summus|, { adpri|mus, Pa|tricoles. / adpri|mus|, Patroclus. }

I|bidem|que vir |summus, { adpri|mus, Pa|tricoles, / adpri|mus|, Patroclus. }

primam sine dubitatione ceteris praeferrem, nisi contra morem thesis quarti pedis thesi quinti non sublata produceretur.

In altero fragmento nihil certi dici potest ; suspicor tamen sic esse voces disponendas :

.... par|centes| praemo|dum........

[A. Gellius 7,8,5. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *etiam*.]

Fragmenta ex libris VIIII-XX.

His libris fons esse existimatur praecipuus, praeter codicem Parisiensem lat. 8664 saeculi XIII a nobis ubi non defuit

(vide infra p. 433) in textu adhibitum, codex Leidensis Vossianus 7, apud Gronovium *Vossianus major* vocitatus[1].

A. Gellius 17,21,45. Vide infra p. 433.

A. Gellius 18,9,5 ex editione Gronoviana[2] : « Ego arbi-
» tror et a M. Catone *insecendo*[3] et a Q. Ennio *insece*
» scriptum sine *u* littera. Offendi enim in Bibliotheca Pa-
» trensi librum verae vetustatis LIVII ANDRONICI, qui
» inscriptus est ΟΔΥΣΣΕΙΑ, in quo erat versus primus
» cum hoc verbo sine *u* littera,

VIRUM MIHI CAMOENA INSECE VERSUTUM,

» factus ex illo Homeri versu [α 1 : Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα
» πολύτροπον]; illi[4] igitur aetatis et fidei magnae libro credo. »
Sic legito :

Vi|rum mi|hi, Ca|mena|, inse|ce ver|sutum.

§ 6. — De fragmentis a Nonio Marcello laudatis.

Nonii Marcelli codicum numerus est ingens. Ex illis qui boni sint, qui deteriores, jam satis bene notum est; vide Ludovici Quicherat in editione Nonii (Parisiis 1872) praefationem. Sed hoc incommodum est, quod etiam meliorum codicum nondum stemma exstat; itaque ignoratur quibus cognationis gradibus ii inter se sint devincti; cujus rei cognitio maxime criticos in dijudicandis scripturis adjuvaret. — Optimos omnium, si recte modo verba ejus interpretor, Quicheratius Harleianum et Parisiensem 7667 existimat.

1. Praeterea Bernae fragmentum exstat saeculi XII, in quo loci nostri non continentur.
2. Deest hic locus in codice Parisiensi 8664 folio 45 recto a.
3. *Insecenda* editio Hertzii.
4. *Illic* editio Hertzii.

Quidquid ex opere Nonii superest, scilicet libros I-XV et XVII-XX, id omne servaverunt ex vetustiorum quidem codicum numero hi : Londiniensis Britannici Musei Harleianus saeculi IX, Wolfenbuettelanus seu Guelferbytanus Gudianus saeculi XI (cui proximus videtur fuisse codex abbatiae sancti Victoris a Mercero adhibitus), Leidensis Vossianus saeculi XI et ipse cum Guelferbytano saepe consentiens. Quos tres codices ex Quicheratio laudavi, qui ipse Leidensem et Guelferbytanum ex editione Rothii et Gerlachii, Harleianum vero ex collatione nova sui gratia confecta noverat: quidquid apud Quicheratium didici in Leidensi vel in Guelferbytano legi, rursus apud Rothium et Gerlachium inspexi.

Itidem ex Quicheratio laudavi codices non Parisienses qui unum aut alterum librum omittunt, ut Monspessulanum ab ipso collatum, Genevensem, alios. Nam quod ad Parisienses attinet, satius duxi ipsos inspicere, quia consulto vir doctissimus rei orthographicae minus operae tribuerat, quam hic quidem mihi tribuendum videtur. Aegre sane animum inducere potuissem, ut ex editione *coelum* pro vera forma *caelum* exscriberem; tamen periculosum erat ex memet ipso, non ex auctoritate librorum, talia corrigere. Quid autem, quod non solum falsis editorum verae codicum lectiones praeferendae videbantur, verum etiam, quae operis hujus ratio est (supra p. 217), falsas codicum quam editorum veras malle debebam? ut exempli gratia mihi cum codicibus *polybrum*, non cum doctis *pollubrum* scribendum fuit[1].

Sed ad illos codices redeo, qui non integrum Nonii opus continent. In Parisiensi 7667 olim Colbertino, saeculi X, liber III cum magna parte libri II deest. In Parisiensibus 7665 et 7666, pariter saeculi X, qui in editione Quicheratiana *Petri Danielis codex* et *Colbertinus codex* vocitan-

1 Quod igitur ad rem orthographicam attinet, scito me, ubicumque nihil adnotatur, codicem Parisiensem 7667 secutum esse; ubi ille deficit, Quicheratium exscribere debui.

tur, duo libri sunt praetermissi III et IV. In codice Genevensi saeculi XI solus liber IV exstat.

Seorsim nominandus codex Monspessulanus saeculi X, optimae notae Quicheratio judice, quique ejusdem viri sententia nullum alium affinitate attingit. In hoc (praeterquam quod et liber nonus totus et in reliquis libris « permulta lemmata et innumerabilia exempla » desunt) librum II liber V sequitur, libris III et IV omissis; liber IV in ipso initio ante primum legitur. Codicem igitur suspicor ex codicibus duobus esse descriptum, quorum alter Parisiensibus 7665 et 7666[1], prior Genevensi similis fuerit.

Fragmenta ex libro I et initio libri II.

Codices : Harleianus; Leidensis et Guelferbytanus; Parisiensis 7667; Monspessulanus et Parisienses 7665 et 7666.

[Nonius p. 110 M. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *Sane*.]

Nonius p. 76 M. : « *Atrox* crudum. N[A]EVIUS BELLI » POENICI lib. III[2] : SIMUL ATROCIA PROICERENT EXSTRA[3] » MINISTRATORES. »

1. Vide quaeso ut consentiat Monspessulanus cum Parisiensibus 7665 et 7666 in loco nostro p. 76 M. (*lib.* IIII Monsp. Pariss., *lib.* III cett.). Sic p. 4,5 hi *ponticum*, ceteri *pontica;* p. 5,23 hi *cinaedis*, ceteri *cinaedos*. Itidem p. 7,29 *sariunt*, *sarriunt;* p. 72,33 *acerva tibi*, *acerbat ibi;* ibid. *sit*, *sic;* p. 86,5 *toribus*, *toris*. Praeterea saepe Monspessulani cum alterutro Parisiensium consensum Quicheratius adnotat, de altero Parisiensi tacens. Nam in libro IV Monspessulanus aliquando cum Bernensibus et Genevensi consentit (ut *ea fontia* p. 319,18), saepe Bernenses aut cum Monspessulano aut cum Genevensi. Doleo quod Monspessulani lacunas non indicaverit atque opto ut ex viris doctis qui Montem Pessulanum incolunt aliquis collationem novam hominibus philologis praebeat.

2. Codex Monspessulanus et Parisienses 7665 et 7666 IIII.

3. Codex Parisiensis 7665 *exta*, sed *a* altera manu in rasura scriptum, in Parisiensi 7666 *extra*.

Pro *proicerent exstra* vel *extra* Junius *porricerent exta* emendavit. Versus exitum versusque initium habemus; *atrocia* et *exta*, fortasse *simul* per arsin producuntur; caesura habet locum post arsin :

...... si|mul a|troci|a por|ricerent
Ex|ta mi|nistra|tores| ....

Etiam sic possis :

.... |simul a|troci|a por|ricerent

Ex|ta mini|strato|res· ...|.......
Ex|ta mini|stra|tores| ....

Nonius p. 90 M. : « *Concinnare* conficere vel colligere[1].
» N[A]EVIUS BELLI POENICI lib. IIII : TRANSIT MELI-
» TAM ROMANUS EXERCITUS INSULAM INTEGRAM URIT POPULA-
» TUR VASTAT REM HOSTIUM[2] CONCINNAT[3]. »

Tus in *exercitus* longam syllabam efficere nequit, quia arsin non accipit; haud magis brevem, nam terminationes dactylicae pro trochaeis non ponuntur (supra pp. 54, 88, 151). Ergo, puto, *exercitu* emendandum est; quae vox propter vicinum *Romanus* in nominativum abiit. In reliquis certo aliquid claudicat; levissimum remedium est, ut *populat* pro *populatur* scribamus, quamvis Nonius p. 471 in lemmate *populat* hoc exemplo non utatur. Habemus versus exitum, versum, versus initium; in primo versu melius sublata thesi paenultima scribes

....| transit| Melitam| Ro|manus

quam soluta antepaenultima

..........|... trans|it Meli|tam Ro|manus.

1. Quae sequuntur desunt in codicibus Parisiensibus 7665 et 7666.

2. In codice Parisiensi 7667 *ostium* cum littera *h* supra scripta.

3. [*P. S.* De hoc fragmento mutavi sententiam : v. p. 436.]

In altero synaloepham caesura admittit :

Ex|ercitu| insulam| integram| urit|, populat|, vastat.

In tertio *rem* cum insequenti voce hiat :

Rem| hosti|um con|cinnat ....

Cum tamen offendere possit thesis antepaenultima producta in *urit*, etiam aliam emendationem quaeras licet. Theodorus Korsch, duce Johanne Vahlen *exercitus* tollens, duos versus obtinet hos :

Trans|it Meli|tam Ro|manus|, insu|lam in|tegram
U|rit, popu|latur|, vastat|, rem hosti|um con|cinnat.

Qui optimi essent, nisi altera in *integram* syllaba necessario corriperetur (supra pp. 25 et 71). Fortasse Naevii poetae tempore *integera* dicebatur; quamquam enim a *tangere integra*, a *macere macra*, a *pigere pigra*, ab *inhibere inebra* vel *enubra* sine *e* littera informatur, tamen eam habent *tolerare* a *tollere*, *caperare* a *capere*, *blaterare* a *blatire*. Alia excogitare promptum est, ut

..........| insulam| integram| urit,
[*Cae*|*dit*], popu|latur|, vastat|, ...

Nonius p. 97 M. : « *Danunt* dant[1]. Pacuvius Iliona : *Di* » *me etsi perdunt tamen esse adjutam* [*ex*]*petunt*[2], *quod* » *prius quam intereo spatium ulciscendi danunt*. Plautus » Pseudolo : *Cui seruitutem di danunt lenoniam*[3]. NAE- » VIUS BELLI POENICI lib. IIII : EAM CARNEM VICTO- » RIBUS DANUNT. C[a]ecilius Plocio[4] : *Patiere quod dant* » *quando optata non danunt*. »

Non possumus quin *carnem* in fine versus locemus; *eam* quomodo efferri debeat incertum est :

1. Quae sequuntur desunt in codicibus Parisiensibus 7665 et 7666.
2. *Expetunt* ex Nonio p. 104.
3. Codex Parisiensis 7667 *leinoniam*.
4. Codex Parisiensis 7667 *plothio*.

............| { ....| eam| carnem
....|... eam| carnem
.... e|am| carnem }

Vi|ctori|bus da|nunt ...|.........

Nonius p. 116 M. : « Gratulari gratias agere[1]. Ennius » Hecuba : *Juppiter, tibi, summe, tandem male re gesta* » *gratulor.* N[A]EVIUS BELLI PUNICI lib. III: ISQUE SU- » SUM AD CAELUM SUSTULIT[2] SUAS RES AMMULLUS GRATULABATUR » DIVIS. Afranius Cinerario : *Quod saluus venis melius-* » *[que[3]] est gratulor di(i)s.* »

Glossae apud Gustavum Loewe, Prodromus corporis glossariorum latinorum (Lipsiae 1876) : « IR : θέναρ ». « IR » indeclinabile est : vola, θέναρ ». « IR : θέναρ, τὸ κοῖλον τῆς χειρός ». « IR : concava pars manus ». « IR : semis palma ». « IR : » medietas palmae, quae et vola dicitur ». Interpolator codicum Prisciani Sangallensis, Leidensis, Caroliruhensis 5,3,18 ad verba *et unum neutrum indeclinabile, hoc ir :* « ΤΟ ΘΕΝΑΡ ΤΗΣ ΗΙΡΟΣ » ; interpolator codicum Ambianensis et Bernensis: « ΤΟ ΗΝΑΡ ».

Pro *isque* poni jussit *manusque* Merula, Stephanus[4] *rex* pro *res;* quae emendationes si ambae sunt verae, *suas* posteriori librariorum errori ansam dedit, prior nullo modo intellegi videtur posse. Quare contra putavi *res* primum pro *rex* positum esse, propter *res* scriptum *suas;* hujus autem adjectivi eam antiquitus fuisse terminationem, quae cum substantivo in *isque* latente congrueret. Itaque veteris nominis *ir* memor, quam vocem alii indeclinabilem ajunt, alii melius nisi fallor monoptotam, priorem versum ta constituo :

Ir|que su|sum ad| caelum| } sustu|lit su|um rex.
Ir|que susum| ad| caelum| }

1. Quae sequuntur desunt in codicibus Parisiensibus 7665 et 7666.

2. Codex Leidensis omittit *sustulit.* Codex Parisiensis 7667 *sustullit,* priore *l* expuncta.

3. *Que* additum ex Prisciano 8,7,37.

4. Idem deesse *manus* putat (Fragmenta poetarum veterum p. 215).

Ir enim, vel *hir* secundum Charisii scribendi rationem, aperte ejusdem originis est atque graecum χείρ; unde conjicere licet latiorem ei voci olim sensum fuisse quam voci *vola* (quod nisi re vera esset, alterutra non exstaret). Ergo rex eodem modo *ir* ad caelum sustulit, atque dicitur a Vergilio (Aen. 1,93) Aeneas tendere *duplices* ad sidera *palmas*, sive in altero versiculo *utrumque* addi oportet sive aliqua ratione *ir* singulari numero positum rectum sensum efficit. Ex Naevio poeta, non ut Loewe voluit ex Lucilio conjicimus *ir* in glossaria transiisse.

Gratulabatur ut in versum cogeretur Hermannus paenultima abjecta in *gratulatur* mutabat; nos tempus imperfectum servare cupientes (nam similiter Naevius poeta alibi *Postquam avem* aspexit..., *Sacra in mensa Penatium ordine* ponuntur, *In auream* molabat *victimam pulchram*) scribere maluimus *gratulabat*; quod si re vera ea aetate dicebatur ut *populat*, *auspicat*, non poterat in *gratulabatur* non corrumpi. Rex noster Ammullus vulgo *Amulius* vocitatur, sed de talis nominis forma haud ita ea praesertim litterarum latinarum aetate constat, ut a codicibus Nonii discedendum sit. Versus aut a Nonio mancus laudatus est :

Am|mullus|; gratu|labat| divis|.....

aut, quod libentius crediderim, aliquid in hemistichio priore excidit :

Am|mullus| .....|......| } gratu|labat| divis.
..|.....|.... Am|mullus| }

Fragmenta ex fine libri II.

Codices : Harleianus ; Leidensis et Guelferbytanus; Monspessulanus et Parisienses 7665 et 7666.

Nonius p. 170 M. Vide infra II, II, 6.

Nonius p. 183 M. : « *Vicissatim* per vices[1]. NAEVIUS » BELLI POENICI lib. IIII : VICISSATIM VOLVI VICTORIAM. » Melius unius versus quam duorum frustula efficies; nihil tamen hic certum esse potest. In *vicissatim* fortasse altera syllaba corripitur propter praeeuntem brevem (supra p. 38). *Volŭi* illa aetate potius quam *volvi* esse enuntiatum crediderim (supra p. 82).

Vi|cissa|tim volu|i vi|ctori|am......

............| vicissa|tim| volui
Vi|ctori|am...... ....

.... { ....|... vicis|satim
{ ...vi|cis|satim

Volu|i vi|ctori|am ...|...............

Fragmenta ex libro III.

Codices : Harleianus; Leidensis et Guelferbytanus.

[Nonius p. 194 M. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *auratae*.]

Nonius p. 197 M. : « *Castitas* et *castimonia* generis » feminini. Masculini [*castus*]. Varro Rerum divinarum » lib. I : *Nostro ritu sunt facienda* † *quam his civilibus* » *graeco castu*. Idem : *Et religiones et castus id possunt, ut ex periculo eripiant nostro*[s]. NAEVIUS carmine PUNICI BELLI : RES DIVAS EDICIT, PRAEDICIT » CASTUS. »

Dummodo admiseris, in uno eodemque versu utrumque

1. Quae sequuntur desunt in codicibus Parisiensibus 7665 et 7666.

hemistichium thesin pedis secundi amittere posse, integrum habemus saturnium:

Res| divas| e|dicit|, praedi|cit| castus.

Nonius p. 211 M. : « *Loca* generis neutri Virgilius Ae- » neidos lib. I : *Loca feta furentibus austris*. Masculini » Virgilius Aeneidos lib. I[1] : *Devenere locos ubi nunc in-* » *gentia cernis moenia*. NAEVIUS BELLI PUNICI lib. » VI : CONVENIT REGNUM SIMUL ATQUE LOCOS UT[2] HABERENT. » Cicero in Oratore :... »

Suspitionem movet Naevii poetae fragmentum, quia hexametrum heroicum efficit; quid enim si versus refectus est, ut hi Livii Andronici, quos infra videbis :

At celer hasta volans perrumpit pectora ferro.
Inferus an superus tibi fert deus funera, Ulixes?

quid, si excidit genuinum Naevii poetae fragmentum nomenque alius poetae, ita ut hexametrum ex Annalibus Ennii vel aliunde depromptum habeamus? Tamen utut est, is versus etiam ut saturnius potest feriri :

Con|venit|, regnum| simul at|que lo|cos ut ha|berent.

Producitur *atque* ut in aliis versibus apudque ipsum Naevium poetam; caesurae genus insolentius est, sed quale etiam in vaticinio quodam Marciano invenimus (supra pp. 207 ss., 273).

Nonius p. 214 M.: « *Metus* masculini. NAEVIUS: MAGNI » INTUS TUMULTUS PECTORA POSSIDET. Ennius : † *Ni metus* » *ulla tenet rite virtute quiescunt.* »

Ex lemmate editores *metus* pro *intus* reposuere. Sed

1. Codices *II*.
2. Codex Leidensis *non*.

claudicabat versus; levissima mutatione Andreas Spengel feliciter emendavit:

Ma|gni me|tus tu|multus| pecto|ra pos|sidit.

Fragmenta ex libro IV.

Codices : Harleianus; Leid. et Guelferbyt.; Parisiensis 7667; Genevensis et Monspessulanus.

Nonius p. 267 M. : « *Censere* significat existimare, arbi- » trari. Attius Eurysace : † *Nam ea oblectat spes [a]eru- » mnosum hospitem dum id quod miser est clam esse cen- » set alteros.* N[A]EVIUS BELLI POENICI[1] lib. VI : » CENSET[2] EO VENTURUM OBVIAM POENUM. Cassius [H]emina » Hist[oriarum] lib. II : *Censuit sese regem Porsennam » occidere.* Quadrigarius : ... »

Prorsus incertum est utrum *censet* an *censent* scribi debeat. In hemistichio altero thesis paenultima supprimitur, quod ne in priore fiat, noli *eo* corripere vel contrahere. In caesura hiatur :

Cen|set e|o ven|turum| obvi|am| Poenum.

Nonius p. 325 M. : « *Ilico* significat statim, mox. » Pacuvius Medo : *Repudio auspicium, regrediendum » est ilico.* C[a]ecilius † notoni in casione : *Ilico ante » ostium*[3] *hic erimus. Ilico* illo. Turpilius Leucadia : *Sed » quam longe est cum isti [ilico]. Ilico*[4] in eo loco. N[A]E- » VIUS BELLI POENICI lib. VI[5] : SEPTIMUM DECIMUM[6] AN- » NUM ILICO SEDENT. Accius Eurysace : *Ilico...* »

1. Codex Parisiensis 7667 *poenici belli.*
2. Codex Guelferbytanus *n* superscriptum. Codex Parisiensis 7667 *censente oventurum ;* in margine *censent eo.*
3. Codex Parisiensis 7667 *hostium.*
4. Codex Parisiensis 7667 *ill co* cum *i* supra scripta, altera *l* expuncta.
5. Codices Parisiensis 7667 et Bernensis *III.*
6. In codice Parisiensi 7667 rasura inter *de* et *cimum.*

Hoc fragmentum sine emendatione in saturnium redigi nequit, quare notam syllabae *er* excidisse suspicor, id est lineolam trans litteram *d* ultimae vocis ductam,

...|septi|mum decimum| annum| ili|co se|d[er]ent.

Anacrusis *ut* supplenda videtur; facile enim *ut* cum numero libri *.ui.* confundi potuit. — De eo numero igitur dubitandum videtur.

Nonius p. 335 M. : « *Liquerit* significat et *reliquerit.* » Accius Stasiastis : *Tum †sibidaedeloidelorehoc anima* » *corpus liquerit.* N[A]EVIUS BELLI POENICI lib. II : » BLANDE ET DOCTE PERCONTAT ENAS[1] QUO PACTO[2] TROJAM URBEM LIQUERIT[3]. » Idem Nonius in libro VII p. 474 : « *Per-* » *conta*[4]. Novius Malevolis : *Si percontassem malum hoc* » *me praeterisset.* N[A]EVIUS BELLI PUNICI libro II : » BLANDE ET DOCTE PERCONTAT AEN[5] QUO PACTO TROJAM UR- » BEM RELIQUISSET. » Quintilianus 1,5,61 : « ne miremur » quod ab antiquorum plerisque *Aenea* ut *Anchisa* sit » dictus. » Charisius p. 66,17 Keil : « quamvis veteres » *hic Aenea* dixerint sine *s*, ut Varro in Age modo. » Festi epitome p. 20 Mueller[6] : « AENESI dicti sunt comites » Aeneae. *Aeneatores* cornicines dicuntur, id est cornu » canentes. AENARIAM appellavere locum ubi Aeneas clas- » sem a Troja veniens appulit. »

1. Codex Victorinus *enos*, Harleianus *enas*, ms. Carrionis *ennius*; *percontenas* codex Parisiensis 7667.

2. Codex Parisiensis 7667 *pac to* interposita rasura.

3. Codices Harleianus, Leidensis, Guelferbytanus *liquerit*, Parisiensis 7667 et Victorinus *reliquerit*.

4. Codex Parisiensis 7667 *perconta*, non *percontat;* item codex 7666.

5. Codex Parisiensis 7666 *aen*, Parisiensis 7665 *aeneam*, Harleianus *aennius*, Guelferbytanus *ennius ;* — *percontra aeneidos* Parisiensis 7667, sine intervallo, quamquam Quicheratius puncta interponit.

6. Nil huic loco adscripsit Roserot cum codicem Tricassinum conferret.

In Naevii poetae fragmento una res difficilis dictu, quae scilicet fuerit forma nominis Aeneae. Vix in recto casu *Aeneas* dicere potuit Naevius poeta, vix quod quidam voluerunt *Aenas:* in accusativo enim, quae horum temporum declinandi ratio erat, ex tali nominativo *Aeneatem* vel *Aenatem* fingere debuisset, quod eum nemo credet fecisse. *Aenea* collatis Quintiliani et Charisii testimoniis optimum videretur, nisi miro consensu in utroque Nonii loco tot codices in vocali discrepantes solam consonantem *s* pertinacissime servarent; insistendumque est in illis Quintiliani verbis, *ab antiquorum plerisque*, unde eum patet alios ex veteribus novisse, qui forma *Aenea* non uterentur. Ergo Francisco Buecheler assentior, qui anno 1863 in Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXXVII p. 333 s. *Aenes* legere jussit. Ex *Aenes* enim, ut ille adnotat, *Aenides* pariter informatum est atque *Pelides* et *Tydides* ex veteribus Latinorum formis *Peles* et *Tydes;* inde et illud *Aenesi* (vel, ut O. Mueller maluit, *Aenesii*) insulaque *Aenaria* (non *Aenearia*) quorum nomina pervenisse ad Festum ex Naevii poetae carmine Buecheler probabilitate summa opinatur[1]. *Aenes* igitur legentes versum habemus in quo thesis paenultima sublata est :

Blande| et do|cte per|contat|, Aenes| quo| pacto

postque eum hemistichium sequentis in arsin desinens :

Trojam| urbem| lique|rit ....

Nonius p. 368 M. : « *Pullum* est aetatis novellae. Vir-
» g[ilius] Georg. lib. III : *Continuo pecoris generosi pullus*
» *in arvis. Pullum* non[2] album. Virg[ilius] in Georg. lib. III :
» *Ne maculis infuscet vellera pullis nascentum.* TITUS
» LIVIUS : VESTIS PULLA PURPUREA[3] AMPLA. M. Tullius De

1. Vide infra (II, II, 6) locum de insula Prochyta ex Servii interpolatore ad Aeneidos 9,715.
2. Codex Parisiensis 7667 *no;* manu posteriore *n* repositum.
3. Codex Parisiensis 7667 *propurea.*

» signis : *In hac officina* c. q. s. » Luctatius Placidus p. 75,21 Deuerling : « unde VESTIS nigra PULLA est dicta. » *Titus* apud Nonium ex errore est, nam Livii versus est Andronici ex Homero τ 225 : Χλαῖναν πορφυρέην οὔλην ἔχε δῖος Ὀδυσσεύς Διπλῆν. *Ampla*, quod derivatur ab *ambo* ut *dupla* a *duo* (ex-*emplum* autem est quod nos *un double* appellamus) vetustissimo hic sensu pro illo διπλῆν positum est.

Versus exitus est ; *purpurea* quo modo feriatur incertum. Quae sensus addi requirit varie excogitari possunt.

|*E*|*rat U*|*lixi*|| vestis| pulla|, purpurea|, ampla.
|*U*|*lixi erăt*|| vestis| pulla|, purpure|a|, ampla.

Fragmenta librorum v–viii, x–xv, xvii–xx.

Codices : Harleianus; Leid. et Guelferbyt.; Parisiensis 7667 ; Monspessulanus et Parisienses 7665 et 7666.

Nonius p. 468 M. : « *Auspicavi* pro *auspicatus sum* Plau» tus in Persa : *Lucro faciendo ego auspicavi*[1]. Idem in » Sticho : *Eam auspicavi ego in re capitali mea.* Atta[2] Lu» cubratione : *Cum primo luci hodie ut exornata sit at» que ut auspicetis, cras est communis dies.* C|a|ecilius » Plocio : †*insavum* [3] *hospicium aliter istrionum est at» que ut magistratus publice cum auspicant*[4]. NA|E|V|I|US » BELLI POENICI[5] libro IIII : VIRUM PRAETOR ADVENIET[6] » AUSPICAT AUSPICIUM[7] prosperum Caecilius Plocio *ut ma» gistratus publice cum auspicant*[8]. »

Caecilii fragmentum corruptum bis repetitur ; *prosperum* loco altero glossema esse videtur ad illam prioris loci vocem *insavum* vel *insanum*. *Virum praetor* in fragmento

1. Quae sequuntur desunt in codice Parisiensi 7665.
2. Codices *acta*.
3. *Insavum* codex Parisiensis 7667, non *insanum*.
4. Quae sequuntur desunt in codice Parisiensi 7666.
5. Codex Parisiensis 7667 *poenica*.
6. Codex Parisiensis 7667 *adveniat*.
7. In codice Parisiensi 7667 rasura inter *auspici* et *um*.
8. Codex Parisiensis 7667 *auspiciant*.

Naeviano immutare noluimus, ne citra necessitatem eas res tractaremus quae ad opus nostrum non pertinent, sed veri similem concedimus esse Junii emendationem *verum*. *Praetor* et *auspicat* propter arsin producerentur, nisi Naevii poetae aetate constaret tales terminationes nondum correptas esse (supra p. 44 s.). *Adveniet*, quod vulgo in *advenit* mutant, puto factum ex *advenies*, id est *adveniens* (cf. *advenies* supra p. 300).

Vi|rum prae|tor ad|venie[n|s| auspi|cat au|spicium.

Nonius p. 474 M. Vide ad Nonii p. 335 (supra p. 343).

Nonius p. 474 M. : « *Paciscunt*. NAEVIUS[1] BELLI » POENICI libro VII[2] : ID QUOQUE PACISCUNT[3] MOENIA SINT » QU[A]E LUTANTIUM[4] RECONCILIANT CAPTIVOS PLURIMOS. Idem[5]: » SICILIENSES PACISCIT OBSIDES UT REDDANT[6]. »

Hic agitur de foedere icto anno ante Christum natum 241 inter Carthaginienses et Q. Lutatium Catulum, per quod foedus bello punico primo finis impositus est. Voces corruptas aliter alii emendare conati sunt; vereor ut recte Buecheler[7] *idem* Nonio tribuerit, nam nihil mutans praeter illud *reconciliant* (ubi *n* post *a* propter *paciscunt* invecta est) optimos saturnios duos de Lutatio dictos agnosco:

Re|concili|at ca|ptivos| pluri|mos| idem,
Si|cilien|ses pa|ciscit| obsi|des ut| reddant.

1. *Navius* cum *e* superscripta codex Parisiensis 7667.
2. Codex Parisiensis 7667 *VI*.
3. Codices Harleianus, Parisiensis 7666, Leidensis, Guelferbytanus *paciscuntur*. *Paciscunt* Parisiensis 7667, *s* ex correctura.
4. Superscripta *c* codex Parisiensis 7667 *luctantium*; codex 7666 *lutatium*.
5. *Idem* in codice Guelferbytano expunctum.
6. Nihil in codice Parisiensi 7665 praeter haec : *Paciscunt.Nevius* : *Sicilienses paciscit obsides ut reddant.* Sic codex 7666 : *Paciscunt Nevius belli punici lib.* VII : *Id quoq. paciscuntur moenias In quae lutatium reconciliant captivos plimos* (*ri* eadem manu superscriptum) *Idem sicilienses paciscit obsides ut reddant.*
7. *Neue Jahrbuecher*... LXXXVII (1863) p. 334.

Pacis enim condiciones teste Polybio 1,62,8 s. hae fuerunt, ἐκχωρεῖν Σικελίας τοὺς Καρχηδονίους καὶ μὴ πολεμεῖν Ἱέρωνι μηδ᾽ ἐπιφέρειν ὅπλα Συρακοσίοις μηδὲ τῶν Συρακοσίων συμμάχοις· ἀποδοῦναι Καρχηδονίους Ῥωμαίοις χωρὶς λύτρων ἅπαντας τοὺς αἰχμαλώτους, ut dicit autem Zonaras 8,17, καὶ μήτε τῷ Ἱέρωνι πολεμεῖν... καὶ τοὺς μὲν ἐκείνων (sive Romanorum sive et Romanorum et Hieronis) αὐτομόλους καὶ αἰχμαλώτους προῖκα ἐκπέμψαι, τοὺς δ᾽ ἑαυτῶν πρίασθαι. Similiter Eutropius 2,27,4 : *Captivi Romanorum qui tenebantur a Carthaginiensibus redditi sunt.*

Paciscunt aperte de Carthaginiensibus dictum est; quid autem *paciscant* ignoramus, nam de ea re historici tacent. Tamen de Carthaginis muris actum esse in foedere inde colligo, quod apud Florum (1,19 vel 2,3) legimus : *tanta denique fuit illa victoria, ut de exscindendis hostium moenibus non quaereretur*; primum igitur versum sic fere restituerim (quamquam fuit, qui pro *moenia* acute *Poeni* scribere jussit) :

Id| quoque pa|ciscunt|, moenia| [ut lice|at ser|vare].

Quae intersunt, *sint quae lutantium*, sine dubio trunca sunt et Lutatii nomen continent. Id nomen si in fine versus stetit nullum casum accipere potuit praeter genetivum, *Lutati*, ut litterae *um* ex errore aliquo ortae esse videantur. Sin accusativum *Lutatium* servamus, iterum sententia hiat :

Sint| quae Lu|tati|um   ....

In sylloge nostra quod scripsimus (infra II,II,6):

Id quoque paciscunt, moenia   [*ut liceat servare*;
Reddant cuncta sed Poeni],   sint quae Lutati,

id non posuissemus, nisi aliquid etiam in desperato loco ponendum fuisset. At inter *moenia* et *sint*, item inter *lutantium* et *reconciliant*, fortasse complures versus Naeviani ipsiusque Nonii verba nonnulla exciderunt.

Nonius p. 475 M.[1] : « *Fite* imperativo modo. Cato De » praeda militum dividenda : †*cudives fite*. †Crassus » libro XVI Iliados : *Socii nunc fite viri*. LIVIUS » ODYSSIA[2] †FIT QUOQUE FITUM EST. »

Pro *fit* Hermannus scripsit *sic*, quod miror esse a Quicheratio rejectum. Versus exitus videtur esse:

.... { ...|sic quoque| fitum est.
{ sic quo|que| fitum est.

Agnovit Bartschius Homeri versum ν 40 : Ἤδη γὰρ τετέλεσται ἅ μοι φίλος ἤθελε θυμός.

Nonius p. 493 M.[3]: « *Dextrabus* pro *dexteris*. †LABE» RIUS in ODISSIA : DEQUE[4] MANIBUS DEXTRABUS. » Ex Homero ω 534: Τῶν δ' ἄρα δεισάντων ἐκ χειρῶν ἔπτατο τεύχεα.

Laberius falso pro *Livius* scriptum est, nisi fragmentum Laberii cum Livii nomine excidit. Hemistichium habemus; *que* propter arsin producitur, nam male de tribracho *que mani* cogitares (supra pp. 57 et 134):

De|que mani|bus dex|trabus| ....

Nonius p. 509 M. : « *Disertim* dicere, plane, palam, » † Lucilio auctore possumus, in Veliterna : *Habui recte* » *dissertim*. Plautus in Stico : *Fuit dissertim id usu per-* » *didi*. Accius Eurisace : *Disertim*[5] *id unum incommodis* » *defit meis*. LIVIUS[6] : TUQUE[7] MIHI NARRATO OMNIA DISER-

1. Deest hic locus in codice Parisiensi 7665.
2. Codex Parisiensis 7666 *Livivius odiss//ia*.
3. Deest hic locus in codice Parisiensi 7665.
4. Codex Parisiensis 7667 *Laberius modissi adeque*. *Odissa* (sed ante *a* pallidiore atramento *i* additum) codex Parisiensis 7666. *Deque* Harleianus Leidensis, *denique* Guelferbytanus.
5. Codex Parisiensis 7667 *dissertim* priore *s* expuncta.
6. Codex Parisiensis 7667 *Lucilius*.
7. Cod. Paris. 7667 *tuque*, Harleianus, Parisienses 7665 et 7666 *tu quae*.

» TIM[1]. » Haec ex Homero α 169, 206, 224 et alibi : 'Αλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον.

Que et *omnia* propter arsin producuntur; *mihi* pro iambo libentius acceperim quam pro pyrrhichio :

Tu|que mi|hi nar|rato| } omni|a dis|ertim
Tu|que mihi| nar|rato| }

Utrum in caesura hietur necne incertum est, nam fortasse poeta pronuntiabat *narratod*.

Nonius p. 515 M. : « *Superbiter*[2] Afranius Purgamento: » *Illa superbiter imperat.* N[A]EVIUS BELLI POENICI » libro VI : SUPERBITER CONTEMTIM[3] CONTERIT LEGIONES. » *Longinque* et *longiter* pro *longe* e. q. s. *Perplexim* pro » *perplexe* e. q. s. *Saniter* e. q. s. *Rarenter* e. q. s. *Per-* » *spicace* e. q. s. *Contemtim* contemnenter. N[A]EVIUS » BELLI POENICI lib. VI: SUPERBITER CONTEMTIM CONTE- » RIT LEGIONES[4] . »

Sic Naevianum versum ferito :

Su|perbi|ter con|temptim| conte|rit legi|ones.

Nonius p. 544 M. : « *Polybrum*[5] quod Gr[a]eci χερνιβα, » nos trull[e]um[6] vocamus. LIVIUS : ARGENTEO POLYBRO » AUREO ET GLUTRO[7]. Fabius Pictor lib. XVI : *Aquam* » *manibus pedibusque dato, polybrum sinistra manu* » *teneto*[8], *dextera vasum cum aqua.* » Livii Andronici

1. Codex Parisiensis 7667 *desertim.*
2. Hic et in sequentibus pars codicum *superviter.*
3. Codex Leidensis *contemptim*, Harleianus et Guelferbytanus *contentim.*
4. In codice Parisiensi 7665 nihil praeter haec : *Superbiter. Afranius : Illa superbiter imperat. Rarenter. Cecilius : Edepol voluntas homini rarenter venit.*
5. Codex Monspessulanus *polubrum*, Guelferbytanus in margine *polibrum.*
6. *Trullam*, non *trullum*, codex Parisiensis 7667.
7. *Aureo et glutro* desunt in codice Parisiensi 7665.
8. *Ceneto* (non *cencto*) codex Parisiensis 7667.

locus ex Homero α 136 : Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα Καλῇ χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος, Νίψασθαι. Epitome Festi p. 247 Mueller : « POLUBRUM pelluvium vas, quod nos pelvem » vocamus. » Luctatius Placidus p. 74 Deuerling: « Pollubreo » tulleo. »

Polybro Livius Andronicus non scripsit, cujus aetate littera *y* Romae in usu non erat; neque *pollubro*, nam tum temporis Romani consonantes geminare nondum didicerant, TABELAI scribentes pro *tabellae* et DVELONAI pro *Bellonae* et VELET pro *vellet* et omnia similiter. Illi autem qui exemplaria Liviana posteriore aetate edenda emendandaque susceperunt num duplicem *l* invexerint quis scire potest, cum ea vox apud nullum scriptorem praeter Andronicum Fabiumque reperiatur[1]? Ergo *polubro* scribito. *Glutro*, quod ἅπαξ εἰρημένον est, plerique cum Junio mutant in *gutto*; recte nisi fallor, nam si re vera exstaret vox *glutrum*, lemma ei peculiare tribuisset Nonius; tamen *glutro* reliqui, quia nihil hoc attinet ad numerum saturnium. Incertum utrum *aureod* dici debeat anne *aureo*; neque haec ipsa forma, si servatur, hiatumne an synaloepham recipiat constat.

Ar|gente|o po|lubro|, { aure|o[d| et| glutro.
{ aureo| et| glutro.

---

§ 7. — De fragmentis a Charisio et Diomede laudatis.

Charisium ex fonte unico, codice Neapolitano bibliothecae tunc Borbonicae IV A 8, Bobii scripto vel ineunte VIII saeculo vel exeunte VII, edidit Henricus Keil in volumine I Grammaticorum latinorum (Lipsiae 1857). Ex qua éditione locos nostros descripsimus.

---

1. Nam *polubro* pro *pulvere* a Scaligero in versu Varronis apud Nonium p. 471 M. repositum nulla codicum auctoritate nititur. Hanc emendationem qui probant, melius p. 544 scribent *polubrum* quam *pollubrum*.

Charisius p. 66,17 Keil. Vide locum Nonii p. 335 M. (supra p. 343).

Charisius p. 84,5 ss. Vide infra § 10 locum Prisciani 6,8,41.

Charisius p. 128 Keil: « *Exerciti* GN. NAEVIUS » BELLI PUNICI libro I: M. VALERIUS CONSUL PARTEM » EXERCITI IN EXPEDITIONEM DUCIT. »

Manius, non *Marcus*, vocatur consul hic Valerius apud Polybium 1,16,1: *Valerius Marcus* apud Eutropium 2,19 translatoremque Eutropii Paeanium; facillime enim et saepissime notae *M.* et *M'.* inter se confunduntur[1]. Polybio majorem fidem esse habendam omnes puto concedent, praesertim cum rarius sit praenomen *Manius* quam *Marcus* atque librariis graecis multo minus notum. Itaque eos probare nequeo, qui veterem levissimamque emendationem illam *M'.* contempserunt.

Manius si legitur neque in vocibus sequentibus aliquid intercidit, necessario ita discerpendi sunt versus, voce *expeditionem* in suas partes resoluta:

.... Mani|us Va|lerius| consul| partem
Ex|erci|ti in| ex- -pe|diti|onem| ducit.

nisi fortasse *Valerīus* ut *Lucīus* dicebatur; quare *Mani|us Vale|rius|* feriendum esset. Utut de *i* vocali est, *Valeriu* sine *s* pronuntiabimus, ut thesis antepaenultima brevis sit (supra p. 181).

Charisius p. 197,15 ss. Keil: « *Donicum* pro donec. Ita » LIVIUS, †inquit, usurpat: IBI MANENS SEDETO DONICUM » VIDEBIS ME CARPENTO VEHEMENTEM DOMUM VENISSE. » Ex

1. *M(arcus)* pro *M'(anius)* etiam legitur exempli gratia apud Macrobium, Saturn. 1,13,21.

Homero ζ 295: Ἔνθα καθεζόμενος μεῖναι χρόνον, εἰσόκεν ἡμεῖς Ἄστυδε ἔλθωμεν καὶ ἱκώμεθα δώματα πατρός.

Pro *vehementem* jamdudum docti viderunt esse ponendum verbum vehendi. Sed et alio remedio opus est, nam ut versus prior optime se habet :

I|bi ma|nens se|deto| doni|cum vi|debis;

ita versus alter propter nimiam brevitatem claudicat. Ritschelius (Parerga p. 28) legere jussit |*domum ve*|*nisse pa*|*rentis*, quod propter dactyli thesin inter duas voculas discerptam admitti nequit (supra pp. 54, 88); sed si omnino vox πατρός a Livio omissa non est, etiam sic legere licet : |*domum pa*|*tris* vel |*patris do*|*mum*. Veri tamen similius videtur Alcinoum hic non fuisse in Odyssea latina designatum. Neque magis probo, quae Francisco Buecheler (Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXXVII, 1863, p. 332) placuit propter Ennianum *endo suam do*, emendationem *endo domum venisse*. Propius, credo, veritati Korschius accedit legens : *me, carpento vehentem*, [*in*] *domum venisse*; ego malim

Me|, carpen|to ve|hente|, in do|mum ve|nisse.

Littera enim *m* ex *in* facta est ; *vehens* autem non solum de eo qui vehitur, sed et de ea re quae vehit dici potest, ut apud Plinium Hist. nat. 32,4,14,41 *aliqui tradunt tardius ire navigia testudinis pedem dextrum vehentia*, apud A. Gellium 16,19,23 *simulacra duo aenea ad Taenarum viserentur delphinus vehens et homo insidens* et 20,1,26 *jumentumque dici pecus aliquod unicum tergo vehens*, apud Julium Valerium loco in Forcellini lexico laudato.

[Charisius p. 288-289. Vide supra p. 5 in adnotatione.]

Diomedis fontes, praeter libros recentiores eosque dete-

riores, codices tres saeculo IX scripti, Parisiensis lat. 7494, Parisiensis lat. 7493, Monacensis. Edidit Henricus Keil in volumine I Grammaticorum latinorum Lipsiae anno 1857. Parisienses contuli.

Diomedes p. 369,19 Keil : « *Necto nexui*[1]. Virgilius: » *Palmas amborum innexuit*[1] *armis*. LIBIUS in ODIS- » SEA[2]: NEXABANT[3] MULTA INTER SE. Maecenas[4]: *Nexisti* » *retia lecto*. Lucilius satirarum †*curarum retia nectit*.» Priscianus 9,6,33 ex codice Paris. lat. 7496 fol. 108 r°. : » *Nexo* quoque *nexas*[5], vel *nexis* ut Probo placet, *nexui*. » Virgilius tamen in V : *Nexantem nodis seque in sua* » *membra plicantem*, secundum primam protulit conju- » gationem. LIVIUS vero in ODISSIA : NEXEBANT[6] MULTA » INTER SE[7] FLEXU NODORUM DUBIO. Accius in Deiphobo : » *Nos continuo ferrum eripimus, omnibus manicas nexi-* » *mus*. *Necto* tamen ejus est primitivum; nam quomodo » a participio *amplexus*, quod ex verbo nascitur *amplector*, » fit verbum frequentativum *amplexor amplexaris*, sic a » participio *nexus*, quod nascitur a verbo *necto*, fit frequen- » tativum *nexo nexas*. Unde manifestum, quod rationabilius » hoc secundum primam conjugationem protulit Virgilius. » A *necto* tamen similiter *nexui* protulerunt plerique, » quidam tamen etiam *nexi*, *necto nexi* dicentes et *nexus* » ut *flecto flexi* et *flexus*. Virgilius in V : *Et paribus pal-* » *mas amborum innexuit armis*. Lucilius in V : *Hic solus* » *vigilavit, opinor, et cum id mihi visus facere est tum*

1. *Necxui*, postea *innecxuit* et *necxabant* codex Parisiensis 7493 fol. 30 v°. *Nexui vel nexi* cod. Paris. 7494 fol. 44 r°.

2. *Libius in odissea, libens in odissea, lybin synodysse* codices.

3. Codex Monac. *nectabant* superscripta *x* littera, Paris. 7493 *necxabant*.

4. Codex Monacensis *Mecinas*. Non Maecenatis (qui re vera *pexisti*, non *nexisti* alicubi scripserat, ut testatur Priscianus 10,8,47) verum Propertii 4,8,37 est versus.

5. *A* manu posteriore in rasura.

6. *Nexabant* codices Bernensis, Leidensis, codicis Parisiensis 7496 manus posterior.

7. *Sese* codex Sangallensis; *se*** Bambergensis, ex *sese* factum ut visum est Hertzio.

» *retia nexit.* » Idem Priscianus 10,8,48 ex codice Parisiensi lat. 7496 fol. 123 r° : « *Texo texui*, et *nexo*, *nexis* vel » *nexas*, *nexui*. Ovidius in VII Metamorphoseon : *Luna* » *quater plenum tenuata retexuit orbem.* Cicero in II De » oratore : *Sic omnia quae fiunt quaeque aguntur leniori-* » *bus principiis natura ipsa retexuit.* Virgilius in V : » *Nexantem nodis seque in sua membra plicantem.* Idem » in eodem : *Et paribus palmas amborum innexuit armis.* » LIVIUS: NEXABANT[1] MULTA INTER SE FLEXU NODORUM[2] DUBIO. » Actius in Deiphobo : *Nos continuo ferrum eripimus,* » *omnibus manicas neximus.* » Livii versus ex Homero, ut volunt, θ 264 : Πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς Μαρμαρυγὰς θηεῖτο ποδῶν θαύμαζε δὲ θυμῷ. Sed confer potius θ 378 : Ὠρχείσθην δὴ ἔπειτα ποτὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ Ταρφέ᾽ ἀμειβομένω.

In versu Livii, si unus est versus, necesse est pro *nodorum* legere *nodum*[3] :

Ne|xabant| multa in|ter se| flexu| nodum| dubio.

Quod remedium si cui justo acrius videtur, versiculi unius exitum alteriusque versiculi initium is constituat licet sic :

.... ne|xabant| multa in|ter se
Fle|xu no|dorum| dubio ....

Diomedes p. 384,7 : « Item vulgo dicimus *amplector*; » veteres inmutaverunt, *amploctor*[4] crebro dictitantes[5] ut » LIBIUS in ODYSSEA : UTRUM[6] GENUA AMPLOCTENS[7] VIRGINEM ORARET[8]. In hoc quidem totum figuravit verbum :

1. Codex Sangallensis *nexabat*.
2. Codex Bernensis *nudorum*.
3. Quod perspexit Buecheler, Neue Jahrbuecher LXXXVII (1863) p. 340.
4. *Amplector* codex Parisiensis 7494 fol. 50 r° ; *o* ex emendatione cod. 7493 fol. 37 v°.
5. Codices Monacensis et Parisiensis 7493 *dictantes*.
6. *Utrum* manu posteriore in rasura codex Parisiensis 7493.
7. Codices Monac. et Paris. 7494 *amplectens*, Paris. 7493 *amploctens* ex emendatione.
8. Codex Parisiensis 7493 *orraret*.

» *amploctens*[1] dixit pro amplectens et amplexens pro » amplexans... » Haec ex Homero ζ 142 : Ἢ γούνων λίσσοιτο λαβὼν εὐώπιδα κούρην.

In utroque hemistichio, nisi fallor, admitti debet hiatus; simul producuntur breves vi arsis. Nam hominis parum cauti esset, ut *fīeri*, *fūit* similiaque ita *genūa* legere.

Utrum genu|a am|ploctens| virgi|nem o|raret.

Tamen alia legendi via praesto est : theses hemistichiorum paenultimae detrahi possunt :

Utrum genua |am|ploctens| virginem| o|raret.

Etiam liceret in *genua* hiatum, in *virginem* synaloepham, vel contra synaloepham in *genua*, hiatum in *virginem* admittere. Sed melius erit utramque synaloepham rejicere; quod etiam Korschio placuit. Sic enim fit legi illi caesurae Korschianae satis.

Diomedes p. 476,15 Keil. Vide infra, II, II, 1.

Diomedes p. 479,20 Keil : « Huic contrarius est[2] *palin-* » *bacchius*, *latius*[3], qui et *saturnius*[4], ultimibrevis[5], quem » quidam *propompicon*, alii *theseleon* vocant. Constat ex » duabus longis et brevi... »

Ex hoc loco conjicio alicui ex veteribus (an Varroni? nam a Caesio Basso haec doctrina videtur fuisse aliena) notos fuisse versus qui thesin paenultimam amitterent, ut *Taurasia Cisauna Samnio cepit*; in his eum ita divisisse

1. Cod. Paris. 7493 *amploctens*, cod. Monac. et Paris. 7493 *amplectens*.
2. *Est* om. codex Parisiensis 7493 fol. 86 rº.
3. In codice Parisiensi 7494 fol. 53 vº et in cod. Monacensi *latis*, manus posterior utriusque codicis *latius*; haec vox omissa est in cod. 7493.
4. *Saturninus* codex Paris. 7494.
5. *Ultimibreves* codex 7493, *ultimae brevis* cod. Monac., *ulti brevis* cod. 7494.

hemistichium alterum, ut constaret duobus pedibus, trochaeo *Samni* et palinbacchio *o cepit;* huic pedi, quia videretur adhibitus in saturniis latinis, nomen esse inditum *latio* vel *saturnio*.

De pedibus in saturnio receptis vide supra pp. 324-325.

Diomedes p. 512 Keil. Vide locos ex Caesio Basso (supra p. 314).

§ 8. — De fragmentis a Servio et a Servii interpolatoribus laudatis.

Servii liber De centum metris.

Vide locos ex Caesio Basso (supra p. 312).

Servii et interpolatorum commentarii in Vergilium.

In textum Servianorum in Vergilium commentariorum perquam multa eaque maximi pretii inferserunt e variis fontibus auctores ignoti non pauciores duobus[1].

Alter ex interpolatoribus ea additamenta confecit, quae pertinent ad libros Aeneidos I et II. Hujus textui constituendo fontes sunt tres, codex Parisiensis 1750 sive Fuldensis A, qui excerpta tantum continet; Fuldensis B nunc deperditus, cujus collatio a Scioppio confecta in editione Danielina Servii anno 1600 in supplemento facta est publici juris; codex Cassellanus saeculo IX vel ineunte decimo scriptus, fortasse[2] olim et ipse, ut conjicere licet, Fuldensis, cujus lectiones

1. Vide optimum ac doctissimum Aemilii Thomas libellum, *Essai sur Servius et son commentaire sur Virgile*, Paris, 1879, XVIII-358 p. 8° cum tabula. — *Supplément*, ibid. XXXIII p.

2. Vide Aemilii Thomas supplementum p. XXII s.

petendae ex editione a Georgio Thilo et Hermanno Hagen anno 1878 Lipsiae data[1]. Sed ex iis locis, qui nobis laudandi sunt, nullus in Fuldensi A inest; duos igitur tantummodo fontes adeundi sunt, Danielis supplementum et Cassellanus. At rursus in Cassellano aliquot quaterniones interierunt, quo fit ut in certis locis unus sit fons supplementum Danielis. — Ille auctor, cujus additamenta in codicibus Fuldensibus sunt inventa, infra vocabitur a nobis interpolator Fuldensis.

Nam « interpolatorem alterum » indefinito sane nomine eum appellabimus, sive fortasse eos, qui in libros Aeneidos III-XII, in Eclogas inde a quarta atque in Georgicon lib. I additamenta conscripsit vel conscripserunt. In iis additamentis duae nobis partes sunt distinguendae, quarum altera constat ex Aeneidos libris ultimis decem, altera ex Eclogis cum Georgicis.

In Aeneide fons praecipuus codex Danielis *Floriacensis*, ab abbatia *Fleury-sur-Loire* nominatus. Is duobus tomis constat; prior tomus, qui libros III, IV, V continet, Bernae nunc sub numero 172 servatur; alter Parisiis in Bibliotheca Publica sub numero lat. 7929[2]. Codex saeculo scriptus est decimo. Lectiones libri III pete ex editione Thiloniana, librorum IV-V ex editione Danielis. Ego in libro VI et sequentibus ipsum codicem inspicere potui. Praeterea in versu Aeneidos 3,10 consului codicem excerptorum Parisiensem lat. 7930 saeculi XI, quem in Bibliotheca Publica Aemilius Thomas reperiit; is codex in locis 4,9 et 9,715 nihil praebet. Adhibuerat in Aeneide Daniel codicem quemdam Antissiodorensem vel melius Antessiodurensem, ab urbe *Auxerre* nominatum, qui nunc est Bernensis 167, saeculi noni vel decimi; dimidiam ferme partem is codex continet scholiorum, quae in altero Bernensi leguntur.

1. Fuldensem B et Cassellanum pro uno eodemque codice habet Thilo; eos Thomas bonis argumentis usus distinguere jubet; judicium tamen omnino certum nondum fieri potest, ut ipse Thomas agnoscit.

2. Vide Aem. Thomas, *Revue critique d'histoire et de littérature*, 11 octobre 1879, p. 286 s.

In duobus Georgicon libris, quos jam supra (p. 256 et 295) attulimus, fons fuit codex Lemovicensis, nunc Leidensis Vossianus F 80, saeculi X : lectiones in loco 1,101 ex editione Danielina petendae, in loco 1,11 ex Georgii Thilo libello qui commentarios Servii in versus Georg. 1,1-100 continet; qui libellus Halis prodiit anno 1866[1].

Ipsius Servii textus ex compluribus codicibus hauriri potest, quorum unus est Parisiensis lat. 7959 saeculi IX[2] a me inspectus. In tribus primis libris cognosci possunt per editionem Thilonianam lectiones codicum Lipsiensis saec. X, Hamburgensis saec. XI, Monacensis 6394 saec. XI, praeterea in primo libro Bernensis 363 saec. IX et Caroliruhensis 186 saec. IX, in secundo et tertio Monacensis 18059 saec. XII. Denique in codicibus utriusque interpolatoris Serviana cum alienis promiscue descripta inveniuntur.

Fragmenta ex ipso Servio.

Servius ad Aeneida 1,92 et 2,797. Vide infra (pp. 359, 360) locos interpolatoris Fuldensis.

Servius ad Aeneida 6,70. Vide locum T. Livii 25,12 (supra p. 272).

Servius ad Aeneida 6,72. Vide infra, II, II, 2.

Servius ad Georgica 2,385 ex codice Parisiensi 7959 folio 43 verso : « *Versibus incomptis ludunt*, id est car-
» minibus saturnio metro compositis, quod ad rithmum
» solum vulgares componere consuerunt. »

1. *Nachricht ueber das koenigliche Paedagogium zu Halle, etc., 31. Fortsetzung. Inhalt* : 1. Servii grammatici in Vergilii Georg. lib. I 1-100 commentarius. Ed. Dr. Thilo.

2. De aetate vide Aem. Thomas p. 179.

Ad rhythmum solum Servius certissime non eo sensu scripsit, quem plerique admittunt, id est ad accentum solum. Nam numquam ita veteres loquuntur de accentu, ut cum rhythmo commune quicquam habeat. Neque hic Servius sollemnis inter *rhythmum* et *metrum* distinctionis meminit, qui de *metro ad rhythmum composito* loquitur. Ea verba nos sic intellegimus : *ad arsin solam,* ita ut syllabae in arsi positae nihil referat utrum productae sint an correptae.

Fragmenta ex interpolatore Fuldensi.

Ex iis locis, ubi codex Cassellanus praesto est.

Interpolator Fuldensis ad Aeneida 1,170. Vide infra, II, ii, 6.

Interpolator Fuldensis ad Aeneida 1,198. Vide infra, II, ii, 6.

Ex iis locis, ubi codex Cassellanus deficit.

Servius ad Aeneida 1,92 ex codice Parisiensi 7959 folio 70 verso : « *Frigore*, timore ; et est reciproca translatio : » nam et timor pro frigore et frigus pro timore ponitur. Ut » in Terentio : *Uxorem tuam pavitare ajunt ;* non timere, » sed laborare frigoribus. Utrumque enim in unum exitum » cadit. Sicut et de calore et de frigore urere dicimus, ut » est *Aut Boreae penetrabile frigus adurat.* » Post quae addit interpolator Fuldensis : « Nam et Graeci φρικτά dicunt » quae sunt timenda, ut (Homerus δῶρα μὲν οὐκ ἔτ' ὀνοστά.)[1] » LIVIUS in ODISSIA : Igitur demum Ulixi cor frixit » prae pavore. Reprehenditur sane hoc loco Virgil. quod

1. « Homerus δ. μ. ο. ἐ. ὀ. », voces ex errore ut videtur huc in Danielis demum Scioppiive scheda illatae, referri debent ad versum Aeneidos 1,77.

» improprie hos versus Homeri transtulerit, Καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν. Nam frigore soluta membra longe aliud est » quam λύτο γούνατα. » Livii locus ex Homero (exempli gratia ε 297) : Καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ. Festi epitome p. 70 Mueller : « Demum, quod significat post, » apud Livium DEMUS legitur[1]. »

In *Ulixi* syllaba altera vi primae corripitur (supra p. 38); post *demum* hiatur, nisi quod *demus* fortasse reponendum est. Thesis antepaenultima contra morem producitur (vide supra pp. 181, 191 s.) :

Igi|tur de|mum Uli|xi cor| frixit| prae pa|vore.

Interpolator Fuldensis ad Aeneida 1,273. Vide infra, II, ii, 6.

Servius ad Aeneida 2,797 ex codice Parisiensi 7959 folio 109 verso : « *Invenio admirans* : cum invenissem ad» miratus sum. » Ubi addit interpolator Fuldensis : « Vel » admiratus sum tantos evadere potuisse. Sane adamat » poeta ea quae legit diverso modo proferre. NAEVIUS » BELLI PUNICI PRIMO de Anchisa et Aenea fugientibus » haec ait : EORUM SECTAM SEQUUNTUR MULTI MORTALES. Ecce » hoc est *Invenio admirans numerum*. MULTI ALII E TROJA » STRENUI VIRI. Ecce hi sunt *animis parati*. UBI FORAS CUM » AURO ILLIC EXIBANT. Ecce et *opibus* instructi. »

Tres deinceps versus saturnios scholiasta laudat. In primo *eorum* disyllabum est, thesis paenultima supprimitur :

Eo|rum se|ctam se|quuntur| multi| mor|tales.

In altero bis hiatur, thesis paenultima supprimitur ; *viri*, ut

1. Deest teste H. d'Arbois de Jubainville hoc lemma in codice Tricassino, ubi fol. 43 v° post glossam *Donaticae coronae*... statim sine intervallo subit exitus glossae *Deminutus* : « ex alia familia in aliam... »

in alio Naevii versu *viros*, *i* producit (qua de re supra p. 85) :

Mul|ti ali|i e| Troja| strenu|i| viri|.

Nam minus bene post *alii* synaloepham fieri velles :

Mul|ti alii| e| Troja| . . . .

In tertio omnia recte se habent, quod attinet ad metrum ; sensus *ibi* pro *ubi* et *illinc* pro *illic* videtur postulare. Melius sed non necessario *cum* hiare effeceris ; post *auro* in caesura hiatur ; etiam hic thesis supprimitur :

I|bi fo|ras cum| auro| illinc| ex|ibant.

In hoc carminis loco, si recte supra p. 307 conjecimus, illi versus stabant, de Trojanorum navibus dicti :

Simul dvona eorum portant ad navis,
Multa alia in isdem inserinuntur.

Fragmenta ex interpolatore altero.

Ex codice Floriacensi.

Interpolator ad Aeneida 3,10[1] : « Amat poeta quae legit » immutata aliqua parte vel personis ipsis verbis proferre. » NAEVIUS enim inducit uxores Aeneae et Anchisae » cum lacrimis Ilium[2] relinquentes his verbis : AMBORUM » UXORES NOCTU TROIADE EXIBANT CAPITIBUS OPERTIS FLENTES » AMBAE ABEUNTES LACRIMIS CUM MULTIS. Hoc iste Aenean » eodem in tempore ejusdem rei causa inducit fecisse cum » dicit *Litora cum patriae lacrimans portusque relinquo*. » Et multi tradunt hoc in PRIMO dictum : TROJAE AB ORIS. »

1. In codice Parisiensi 7930 folio 80 verso haec tantum leguntur : « Amat » poeta permutatis personis aliquid carmini inserere. Quidam enim dicunt » uxores enee vel anchisse relinquentes patriam lacrimasse, quod iste enee » tribuit. »

2. *Illium* codex Floriacensis.

Alterum Naevii ex primo libro fragmentum ita breve est, ut de metro nihil constare possit[1]. At prius fragmentum hemistichia quinque optima efficit, modo cum Vossio Godofredoque Hermann pro *Troiade* vetus ablativum *Trojad* restitueris. In *amborum uxores* aut hiatum admittere potes aut synaloepham ; melius tamen synaloepham, quia, ubi thesis paenultima non tollitur, raro producitur antepaenultima (supra p. 181). *Lacrimis* fac anapaestus sit, non creticus (vide supra p. 71).

. . . . | { ambo|rum u|xores / amborum| u|xores }

No|ctu Tro|jad ex|ibant|, capiti|bus o|pertis,
Flen|tes am|bae, abe|untes| lacrimis| cum| multis.

Interpolator ad Aeneida 4,9. Vide infra, II, II, 6.

Interpolator ad Aeneida 8,285. Vide locum Varronis, De lingua latina 7, 26 (supra p. 247).

Interpolator ad Aeneida 9,715. Vide infra, II, II, 6.

Ex codice Lemovicensi.

Interpolator ad Georgica 1,11. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,36 (supra p. 256).

Interpolator ad Georgica 1,101. Vide locum Festi p. 93 Mueller (supra p. 295).

[Interpolator ad Vergilii Ecl. 1,20. Vide Indicem hujus voluminis sub verbis *Sed dea*].

1. Etiam certum non est quomodo intellegi scholiastae verba debeant. Nam fortasse excidit aliquid, ut in genuino textu *in primo* de Aeneide dictum fuerit, non de Bello Poenico.

§ 9. — De fragmentis a Macrobio laudatis.

Macrobii textui fontes cum deterioribus codicibus duo codices boni, Bambergensis M.L.V.5.9 saeculo nono exeunte scriptus, Parisiensis lat. 6371 saeculo undecimo; ex iis edidit Franciscus Eyssenhardt Lipsiae in Bibliotheca Teubneriana anno 1868, quem nos consuluimus, tamen codicem Parisiensem maluimus exprimere. Ceterum in Bambergensi tantummodo libri I, II cum parte libri III supersunt, itaque in posteriore Saturnaliorum parte sola codicis Parisiensis auctoritas adhibenda fuit.

Fragmenta ex codicibus Bambergensi et Parisiensi.

Macrobius, Saturnalia 1,9,14. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 246).

Macrobius, Saturnalia 1,9,15. Vide locum Varronis, De lingua latina 7, 26 (supra p. 244).

Macrobius, Saturnalia 1,12,12. Vide infra, II, II, 1.

Macrobius, Saturnalia 1,15,14. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 246).

[Macrobius, Saturnalia 1,17,15. Vide Indicem hujus voluminis sub voce *Apollo*].

Macrobius, Saturnalia 1,17,28 s. Vide locum T. Livii 25,12 (supra p. 271).

[Macrobius, Saturnalia 3,9,7. Vide Indicem hujus voluminis sub vocibus *Si deus*.]

[Macrobius, Saturnalia 3,9,10. Vide Indicem hujus voluminis sub vocibus *Dis pater*.]

Fragmenta ex solo codice Parisiensi.

Macrobius, Saturnalia 3,19,5. Vide infra § 11 locum Isidori, Origines 19,22.

Macrobius, Saturnalia 5,20,17 s. Vide locum Festi p. 93 Mueller (supra p. 295).

Macrobius, Saturnalia 6,1,37 ex codice Parisiensi 6371 folio 70 recto *a* : « *Ergo iter inceptum peragunt rumore* » *secundo*. SUEVIUS in libro quinto : REDEUNT REFERUNT » PETITA RUMORE SECUNDO. »

Primus vidit Alexander Riese (Rheinisches Museum XIX, 1864, p. 310) versum esse saturnium nomenque auctoris *Naevius* restituit. *Rumore* per arsin producitur. Hic versus ex paucis illis unus est, qui in quarta sede spondeum pro trochaeo admittunt :

Rede|unt, refe|runt pe|tita| rumo|re se|cundo.

Macrobius, Saturnalia 6,2,31. Vide infra II, II, 6.

Macrobius, Saturnalia 6,5,8 ex codice Parisiensi 6371 folio 72 recto *a* : « *Quam pius Arquitenens*. Hoc epitheto » usus est NAEVIUS BELLI PUNICI libro secundo : » DEINDE POLLENS SAGITTIS INCLITUS ARQUITENENS SANCTUS» QUE DELPHIS PROGNATUS PYTHIUS APOLLO. Idem alibi : » CUM TU ARQUITENENS SAGITTIS POLLENS DEA. Sed et Ho» stius libro secundo Belli histrici : *Dia Minerva, simul* » *autem invictus Apollo arquitenens Latonius*. » Luctatius Placidus p. 71,14 Deuerling : « PUTIUM : *Pythium*, Apol» linem. »

Placidi glossa ex quodam opere descripta videtur esse, in quo accusativo casu adhibito tale quid steterit : « *Pu-* » *tium* Naevius dixit *Pythium* Apollinem. » Certe Naevii tempore neque y littera neque adspiratio mutae juncta in usu erant, neque dubium esse omnino potest quin pro *Pythius* ille scripserit *Putius*. Locus a Macrobio prior allatus duobus constat versibus, quorum prior incorruptus, altera in *deinde* et tertia in *inclitus* syllaba per arsin producta :

Dein|de pol|lens sa|gittis| incli|tus ar|quitenens.

Alter versus nimium longus est, *que* sensu caret ; ideo Vahlen cumque Vahleno alii *Sanctus Delphis* : sed *que* unde igitur ortum ? *Delphis* autem *prognatus* quo exemplo tueri possimus? Ergo mutato *que* in *ioue*, ut perspexit esse faciendum Buecheler[1], *Delphis* quod vocis *Putius* glossema est deleto, legendum est sic :

San|ctus Jove| pro|gnatus| } Puti|us A|pollo.
San|ctus Jo|ve pro|gnatus| }

Quod confirmat quodam modo, ut idem Buecheler postea recognovit[2], versus in L. Scipionis Barbati tumulo inscriptus (supra p. 228) : *Gnaivod patre prognatus, fortis vir sapiensque.*

Hi de Apolline versus, ut agnovit Merula, olim sine dubio cum illo de Cerere (infra § 10 ex Prisciano 6,8,42) cohaerebant :

Prima incedit Cereris Proserpina puer.

Alter locus a Macrobio allatus uno constat versu. Hunc saturnium ideo judicare debemus, quia vix inde scenicos numeros possemus efficere; sed nihilominus correctionem adhibebimus. Omnino placet Alfredi Fleckeisen lectio, quam ille in opusculo Kritische Miscellen (Programm des Vitzthumschen Gymnasiums, Dresden 1864) p. 41 proponit,

1. Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXXIII (1861) p. 822.
2. Neue Jahrb. f. Philol. LXXXVII (1863) p. 328.

Deana pro *dea*. In priore hemistichio aut *tu* synaloepham patitur aut, quod propter caesurae Korschianae respectum minus crediderim, propter arsin fit inter *tu* et *arquitenens* hiatus, *sagittis* autem lege veteris pronuntiationis anapaestum efficit. In altero hemistichio thesis paenultima sublata; Dianae nomen primam productam habet, quod cum apud Horatium Vergiliumque legis cave cum viris doctis « licentiae » nescio cui tribuas : hic enim merus est ἀρχαϊσμός.

Cum tu| arquite|nens sa|gittis| }
Cum |tu ar|quitenens| sagittis| } pollens| De|ana.

Macrobius, Saturnalia 6,5,9 ex codice Parisiensi 6371 folio 72 verso *a* : « Silvicole Fauni. NEVIUS BELLI » PUNICI libro primo : SILVICOLE HOMINES BELLIQUE INHER- » TES. Accius in Bachis : *Et nunc silvicolae ignota invi-* » *sentes loca.* »

Bellique propter arsin cum hiatu producitur. *Homĭnes* servare possumus, thesi secundi trochaei sublata; quod nisi liceret, *homōnes* praesto esset. *Silüicolae*, non *silvicolae* pronuntiandum est; quod valde miror a nemine adhuc esse perspectum.

Si|lüico|lae| homines| belli|que in|ertes.

§ 10. — De fragmentis a Prisciano laudatis.

Prisciani locos hausi ex volumine editionis a Martino Hertz procuratae priore, quod Grammaticorum latinorum ab Henrico Keil editorum volumen est secundum ; ex Hertzii praefatione ea deprompsi, quae de codicibus statim dicturus sum.

Codices igitur Institutionum Prisciani Grammaticarum in universis Europae librariis servantur ad mille. Ii fere

omnes eam partem operis continent, quae locos nostros suppeditavit. Seorsim nobis considerandi sunt primum codex Parisiensis lat. 7496 et codex Bambergensis M. IV 12, dein codices his propinqui minus boni, postea codices quos recensionis scoticae vocitare licet; tacendum est de codicibus aut male adhuc notis aut parvae fidei.

Codex Parisiensis 7496, saeculo IX scriptus, omnium est optimus cum propter vetustatem tum propter egregias manus alterius fere aequalis emendationes, eas saepe ex archetypo, saepe etiam ab altero « vetusto » libro declarante ipso correctore petitas. Codex quoque Bambergensis M. IV 12 saeculi IX est. — Parisiensem contuli.

Inter codices Parisiensi et Bambergensi propinquos sed minus tamen bonos elegit Hertzius tres saeculo IX vel X scriptos, quos « ad sensim gliscentes corruptionis progressus demonstrandos » conferret. Hi sunt Bernensis 109 olim Bongarsianus, Halberstadiensis, Fragmentum Ambianense (in quo liber quintus cum partibus quarti, sexti et septimi continetur).

Tres quoque recensionis scoticae codices elegit Hertzius, id est, recensionis a monachis ex Hibernia oriundis factae. Hi sunt : codex Caroliruhensis 223, qui antecedentibus propius accedit; cum eo duo codices inter se artiore vinculo juncti quique multo plura doctrinae scoticae vestigia servant, Leidensis 67 fol. anno 838 ut videtur scriptus, Sangallensis 904 ; omnes saeculi IX.

Priscianus 3,3,20 ex codice Parisiensi 7496 fol. 23 v° : « Ut *super superus* sic *nuper nuperus* debet esse. LIVIUS » in ODISSIA : INFERUS AN[1] SUPERUS TIBI FERT DEUS FUNERA, » ULIXES? » Ex Homero κ 64 : Πῶς ἦλθες, Ὀδυσεῦ; τίς τοι κακὸς ἔχραε δαίμων;

Hexametrum hic dactylicum videmur habere; scilicet

1. An omissum, manu posteriore inter lineas additum.

fragmentum saturnium interpolatoris manum passum est. Sic infra p. 381 invenies versum heroicum *At celer hasta volans perrumpit pectora ferro* ex saturnio addita voce *volans* factum; supra p. 341 dubitatum est de Naeviano fragmento *Convenit regnum simul atque locos ut haberent.* — Recte, puto, Korschius trajectione verborum usus revocatoque tempore imperfecto ita scripsit :

.... infe|rus an| superus
Ti|bi de|us fe|rebat| fune|ra, U|lixes?

Κακός autem Livius, ut rursus Korschius animadvertit, « cum jam prope Romanus factus esset et Romanis scriberet, ad verbum exprimere religiosum esse censuit ».

Priscianus 5,3,16 ex codice Parisiensi 7496 fol. 36 v° : « *Linter* quoque, quod apud Gr[a]ecos masculinum est, » ολωυτήρ[1], apud nostros femininum est. LIVIUS in †VI[2]: » JAM IN ALTUM EXPULSA LINTRE[3]. » Ex Homero, ut videtur, μ 401 : [Ἡμεῖς δ' αἶψ' ἀνάβαντες] ἐνήκαμεν εὐρέϊ πόντῳ et 403 : Ἀλλ' ὅτε δὴ [τὴν νῆσον ἐλείπομεν, οὐδέ τις ἄλλη φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα].

Initium est versus, quod integrum hemistichium explet :

Jam in| altum ex|pulsa| lintre| ....

Priscianus 5,3,17 ex codice Parisiensi 7496 fol. 36 v° : « *Acer* et *alacer* et *saluber* et *celeber*[4], quamvis *acris* et » *alacris* plerumque faciant et *salubris* et *celebris* femi- » nina, in utraque tamen terminatione communis etiam

1. Quidam ex codd. ελωυτηρ superscripto ο, ολουντηρ, ολουθερ. Lege ὁ λουτήρ.
2. Quidam ex codicibus *VII, III, 30* pro *3°*. Sed omnes male.
3. Codices Bernensis et Halberstadiensis *lyntre*. Codex Ambianensis *expulsam lintrem.*
4. In codice Parisiensi prima *e* caudata.

» generis inveniuntur prolata. Virg[i]l[ius] in VI : Anchises » *Alacris palmas utrasque tetendit* de Anchisa dicens. Idem » in quinto *Ergo alacris cunctosque putans excedere palma.* » Terentius in Eunucho : Parmeno dicit ad C[ha]er[e]am *Quid* » *tu es tristis? quidve es alacris?* N[A]EVIUS in carmine » BELLI PUNICI : FAMES ACER[1] AUGESCIT[2] HOSTIBUS. En- » nius in XVI : *Aestatem autumnus sequitur, post acer* » *hiems.* Idem in XII : *Omnes mortales victores cordibus* » *†hujus*[3] *laetantes vino curatos somnus repente in campo* » *passim mollissimus perculit acris...* Frequentior tamen » usus in *er* profert masculina et in *is* feminina. » Idem Priscianus 6,7,40 fol. 53 v° : « Et sciendum, quod in utra- » que terminatione utriusque generis inveniuntur haec. » Virgil[ius] in VI de Anchisa dicens : *Alacris palmas* » *utrasque tetendit.* N[A]EVIUS in carmine BELLI PU- » NICI : FAMES ACER AUGESCIT[4] HOSTIBUS. Ennius in XII : » *Omnes mortales victores* e. q. s. »

Naevianum fragmentum versus initium est ; *acer* propter arsin producitur :

Fa|mes a|cer au|gescit| hosti|bus.,...

Prisciani interpolatores ad 5,3,18. Vide locum Nonii p. 116 M. (supra p. 338).

Priscianus 6,1,6 ex codice Parisiensi 7496 fol. 47 v° : « Ejusdem, id est primae[5], declinationis femininorum ge- » netivum etiam in *as* more Graeco solebant antiquissimi

1. Codex Leidensis *acer haec fames.*
2. Cod. Ambianensis *augessit*, cod. Caroliruhensis *angescit.*
3. *Imus* olim Maehly, ut video apud Hertzium II p. 380, dein anno 1878 ego (*Revue de philologie* p. 96), Machlyanae emendationis tunc ignarus.
4. Codex Bambergensis *augesc***, manu posteriore *it* additum.
5. *Id est primae* uncis includit Hertzius.

» terminare, unde adhuc *paterfamilias* et *materfa[milias]* » pro *familiae* solemus dicere, et frequens hoc habet usus. » LIVIUS in ODYSS[I]A : ATQUE ESCAS[1] HABEMUS MENTIO- » NEM[2], *escas* pro *escae*. Ibidem[3] : NAM DIVA[4] MONETAS FI- » LIAM DOCUIT, *Monetas*[5] pro *Monetae*. In eodem : MERCU- » RIUS CUMQUE EO FILIUS LATONAS, pro *Latonae*[6]. NO- » VIUS[7] in carmine BELLI PUNICI I[8] : INERANT » SIGNA EXPRESSA[9] QUO MODO TITANI[10] BICORPORE[11] GIGANTES MA- » GNIQUE[12] ATLANTES[13] RHUMCUS[14] ATQUE PUR[PUREUS[15] FILII[16] » TERRAS, pro *Terrae*. In eodem : EI VENIT[17] IN MENTEM[18] » HOMINUM FORTUNAS[19],] pro *fortunae*[19]. Ennius in XVII » annali : *Dux ipse vias*, pro *viae*. Cicero in IIII Verrina- » rum : . . . . . » Idem Priscianus 6,5,26 fol. 51 r° : « *Tita-* » *nus* quoque pro *Titan* dicebant, unde N[A]EVIUS in car-

1. Codices Parisiensis 7496 et Sangallensis *aescas*, postea *aescas pro aescae*.

2. Codex Leidensis *mentionem habemus*.

3. Codices Leidensis et Sangallensis *in eodem*.

4. Codices Sangallensis, Leidensis, Caroliruhensis *divina*, Caroliruhensis manus posterior *diva*.

5. Codex Bernensis om. *Monetas*.

6. *Latinas* (littera *o* superscripta) *pro Latonas* codex Ambianensis.

7. Manus posterior emendavit *e* pro *o*.

8. *I* omissum, manu posteriore additum.

9. Pars codicum *expraessa, expraesa*.

10. Codex Paris. 7496 *tritani*, expuncta *r* manu posteriore; Bernensis *tytanii*, Leidensis *titani*ⁱ.

11. Manus posterior *bicorpores*. Scripserat manus prior *ibi corpore*.

12. Codex Leidensis *magni***que*. In Parisiensi *m* manu posteriore nescio pro qua prioris manus littera.

13. Codices plurimi *athlantes*, Sangallensis *atlantes* manu posteriore, Parisiensi 7496 *adquelantes* correctum in *atlantes* (tamen prior e manus posterioris est), super *n* puncta duo.

14. Pars codicum *rhumcus*, *rumchus*, *rhu***cus* littera *m* superscripta.

15. Pars codicum *purporeus*, *porpureus*.

16. Codex Leidensis *fili*.

17. Pro *ei venit* codex Leidensis *evenit*, Sangallensis *evenit* ex *venit* manu posteriore factum, codex Bernensis *ei venit* ex *uvenit* manu altera factum.

18. Plurimi codices *mente*.

19. Codices Sangallensis et Leidensis *furtunas*, postea iidem cum Caroliruhensi *furtunae*. — Uncis inclusa in codice Parisiensi manu priore omissa, posteriore manu in inferiore margine adscripta sunt.

» mine BELLI PUNICI primo : INERANT[1] SIGNA[2] EXPRESSA[3] » QUO MODO TITANI[4] BICORPORES[5] GIGANTES[6] MAGNIQUE AD- » LANTES[7]. » Livii loci ex his locis Homericis : δ 213 Δόρπου δ' ἐξαῦτις μνησώμεθα [χερσὶ δ' ἐφ' ὕδωρ Χευάντων] aut (quod minus veri simile est, quia hic illud δέ deficit, quod barbare per *atque* exprimitur) κ 177 Μνησόμεθα βρώμης [μηδὲ τρυχώμεθα λιμῷ], — θ 480 οὕνεκ' ἄρα σφέας Οἴμας Μοῦσ' ἐδίδαξε, — θ 322 ἦλθ' ἐριούνης Ἑρμείας, ἦλθεν δὲ ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων.

In primo Livii Andronici loco scribi debet pro *habemus*, ut ex Homero patet, *habeamus*. Initium est versus :

At|que e|scas habe|amus] menti|onem| ...

Fortasse pes ultimus constabat voce *manibus* pro Homeri χερσί posita. In altero hemistichio caesura Korschiana deest.

In Livii Andronici loco altero *filiam* pro *filia* a librariis scriptum est; non ut Buecheler credebat pro *filia im*, nam posito *im* pro graeco σφέας claudicaret sensus. Ubi igitur nominativus substantivi defuit, unde verbum *docuit* penderet, abiit adjectivum *divina*, quod versus requirit, in substantivum *diva;* tamen in quibusdam codicibus genuina vox remansit. Saturnius hic est :

Nam| divi|na Mo|netas| fili|a| docuit.

Dixi supra p. 75 de *docŭit* vix cogitari posse.

In tertio Livii Andronici loco facile versiculus agnoscitur in initio mancus; repono cum Carolo Bartsch, quo graecum ἦλθε exprimatur, *venit :*

1. Codices Bambergensis et Ambianensis *punici. Primo inerant.*

2. Codex Bambergensis *sign***.

3. Pars codicum *expraesa.*

4. Codex Caroliruhensis *titanus* in *titani* correctum.

5. Codicis Bambergensis manus posterior *bicorpores*, codex Bernensis *bicorpore*s* manu posteriore correctum. Parisiensis *Titanibi corpores* per lineolam priore manu juncta.

6. Codices Parisiensis et Bernensis *gygantes.*

7. Codices reliqui *athlantes* vel *t* altero et *e* priore expunctis [illegible]*tentes.*

[Ve|nit] Mer|curius|, cumque eo| fili|us La|tonas.

In hemistichio priore caesura Korschiana deest.

Naevii locus prior tribus constat versibus, quos ita leges optime, si in omnibus hemistichiis caesuram Korschianam admiseris :

Ine|rant si|gna ex|pressa|, quo mo|do Ti|tani,
Bi|corpo|res Gi|gantes| magni|que A|tlantes,
Run|cus at|que Pur|pureus|, fili|i| Terras.

Quamquam in singulis hemistichiis theses paenultimas detrahens etiam sic legere posses :

Ine|rant signa| ex|pressa| ....
............| quo modo| Ti|tani
............| magnique| At|lantes.

In hoc praesertim hemistichio *magnique Atlantes*, cum producatur thesis antepaenultima, paenultimae detractio satis probabilis videri potest (vide supra p. 181). Sed scripsit Naevius haec quoque hemistichia : *belli|que in|ertes*, — *vestem|que ci|trosam* (supra p. 366, infra apud p. 402 Isidorum 19,22,20) ; minusque offendit thesis antepaenultimae productio quam inusitatior in mediis hemistichiis caesura (supra p. 215). Ceterum de *Atlantum* nomine cf. supra p. 84.

In altero Naevii loco melius *ei* disyllabum feceris quam monosyllabum ; nam perraro utrumque simul hemistichium thesin paenultimam amittit :

E|i ve|nit in |mentem| } hominum| for|tunas.
Ei| venit| in |mentem| }

Nam Theodorus Korsch audiendus non est, qui postulat in *hominum* primam syllabam produci.

Priscianus 6,3,17 ex codice Parisiensi 7496 fol. 49 v° :

« Vetustissimi tamen etiam nominativum *haec carnis* pro-
» ferebant, qui magis rationabilis est [ad[1]] genetivum. LI-
» VIUS ANDRONICUS in ODISSIA : CARNIS ait VINUM-
» QUE QUOD LIBABANT[2] ANCLABATUR[3]. Et Titus Livius..... »
Ex Homero ω 364 : Ταμνομένους κρέα πολλὰ κερῶντάς τ' αἴθοπα οἶνον.

Nihil est mutandum, quamquam Duentzer et Korsch mutaverunt. Rarior sane haec saturnii forma, in qua thesis quarti pedis producitur (supra p. 181).

Car|nis vi|numque| quod li|babant| ancla|batur.

Acute Hermann, cum illud Prisciani *ait* incommodum videretur, *carnis autem* proposuit. Quod non omnino rejici vellem ; at si id verum est, sic versus sunt constituendi :

. . . .| carnis| autem
Vi|numque| quod li|babant| anc[u]|la|batur.

Pro *ait* tamen libentius aliquod adjectivum ponerem, quod homerico πολλά responderet, quam illud Hermanni *autem*. Sunt qui putent per *t* litteram scribi debere *antlabatur*; sed hoc verbum ab *anculus*, *ancula* derivatum est, unde deminutivum fit *ancilla*. Neque in nostro loco *anclare* « haurire » significat, cum et ad vinum et ad carnem referendum sit ; nam si putaveris aliud verbum, quod de sola carne dictum fuerit, latere in illo *ait* aut excidisse, rationem reddere non possis cur Priscianus in priore versu laudando non constiterit.

Priscianus 6,4,18 ex codice Parisiensi 7496 fol. 49 v° :

1. *Ad* omissum, manu posteriore additum.
2. Codex Leidensis *libant*.
3. Graecis litteris ante *anclabatur* additur in codice Sangallensi εξανταλ.το, in Ambianensi εξηντλντον, in Bernensi εξηνταοστον litteris λ superscriptis manu posteriore.

« Quod autem *Ionis* et *Calypsonis* et *Dydonis* dicitur, » ostendit hoc etiam Caesellius Vindex in Stromatheo his » verbis : Caly[p]sonem[1], ita declinatum est apud anti- » quos. LI[VI]US[2] : APUD NYMPHAM ATLANTIS FILIAM CALY- » PSONEM[3]. In VIII Ennius[4] : *P[o]enos Didone oriundos.* » Accius in Io[n]e : *Custodem assiduum Ioni instituit vir-* » *gini.* » Livii locus ex Homero δ 557, ε 14, ρ 143 : Νύμφης ἐν μεγάροισι Καλυψοῦς.

In *nympham* altera syllaba per arsin producitur cum hiatu, nisi thesin subtrahens *Atlantis* molossum effeceris. *Calypsonem* procul dubio alteram corripit.

A|pud nym|pham A|tlantis| A|pud nympham| At|lantis|	fili|am Caly|psonem.

Fortasse, ut putat Buecheler, propter testimonium Servii ad Aen. 1,741 (cf. eundem ad 2,246), « sane *Atlas* grae- » cum est sicut et *Nilus*, nam Ennius dicit Nilum *Melonem* » vocari, Atlantem vero *Telamonem* », pro *Atlantis* scribendum est *Telamonis*.

Priscianus 6,5,26. Vide ad 6,1,6 (supra p. 370).
Priscianus 6,7,40. Vide ad 5,3,17 (supra p. 369).

Priscianus 6,8,41 s. ex codice Parisiensi 7496 fol. 53-54 : « *Puer pueri*, cujus femininum *puera*[5] dicebant an- » tiquissimi, unde [et[6]] *puerpera* dicitur quae puerum vel

1. *P* manu posteriore additum.

2. *Vi* manu posteriore additum.

3. Nullius momenti est, quod in codicibus pluribus legitur *nimiam* vel *nimeam* vel *nymphan*, *Athlantis*, *calipsonem*.

4. Manu posteriore *Ennius in* VIII.

5. *Femininum in A puera* codices Sangallensis et Leidensis.

6. *Et* manu posteriore additum.

» pueram parit ; id est *puellam*, quod est diminutivum » puerae ut *capra capella*, *tenera tenella*, *umbra umbella*. Ovidius etiam hoc adprobat, qui in V metamor» ph|os|eon de puella Proserpina narrans dicit : *Tantaque* » *simplicitas puerilibus affuit annis*. Quod derivatum non » pertineret ad feminas, nisi etiam *puera* esset dictum. » Quod tamen comprobat etiam Suetonius[1] diversos ponens » usus, in libro qui est de institutione officiorum. LIVIUS » in ODISSIA : MEA PUERA QUID VERBI EX TUO ORE SUPRA » FUGIT ? Idem[2] alibi : *Puerarum manibus confectum pul-* » *cherrim(a)e*[3]. Non est tamen ignorandum quod etiam *hic* » *puerus* et *hic* et *haec puer* vetustissimi protulisse inve» niuntur et *puellus puella*. Lucilius in XI : *Inde venit* » *Romam tener ipse etiam atque puellus*. Caecilius in » Imbris[4] : *Age age* [*i*] *puere duc*[5] *me ad patrios fines de-* » *coratum opipare*. Afranius in Incendio : *O puere puere* » *sine prospicere me mihi*. Plautus in Lenonibus geminis : » *Dolet hic puellus sese venum ducier*. Lucilius in IIII : » *Cumque hic tam formosus homo ac te dignus puellus*. » LIVIUS in ODYSSIA : SANCTA[6] PUER SATURNI FILIA RE» GINA. N|A|EVIUS in II BELLI PUNICI : PRIMA INCE-

1. Codex Parisiensis *suae tonius*.

2. Prior manus *idest*.

3 Ex hoc Prisciani loco codex Bernensis 207 in Hermanni Hagen Anecdotis helveticis quae ad grammaticam latinam spectant p. XXVI : « Possumus » dicere *pueram* sicut *puerum* et *puellum* sicut *puellam*, an non ? — » Possumus. — Unde probabis ? — LIBIUS dicit : *Puerarum manibus*. » Plautus dicit Gemini : *Dolet puellus sese venum ducier*. Lucilius ait : » *Cumque hic tam formosus homo apte dignus puellus*. » Ille versus *Puerarum manibus*, a multis, quia legitur apud Homerum η 235 τά ῥ' αὐτὴ τεῦξε σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξίν, pro saturnio ex Odyssea habitus, re vera iambicus est senarius ex aliqua Livii Andronici tragoedia ; neque cum homerico loco ipse sensus conveniret, sive hinc *puerarum* illinc αὐτὴ σὺν ἀμφιπόλοισι considerares, sive hinc numerum singularem *confectum* illinc pluralem φᾶρός τε χιτῶνά τε, εἵματα καλά. Primus quod sciam recte judicavit Buecheler, Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXXVII (1863) p. 331.

4. Codices *umbris*.

5. Codices *ducc*.

6. Prior manus *scincta* vel simile quid.

» DIT[1] CERERIS[2] PROSERPINA PUER. Varro in satura quae » inscribitur Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς : *Gravidaque*[3] *mater pe-* » *perit Jovi puellum.* » Charisius p. 84,5 ss. Keil : « *Puer* » et in femineo sexu antiqui dicebant ut Graeci ὁ παῖς καὶ » ἡ παῖς, ut in ODYSSIA vetere, quod est antiquissimum » carmen : MEA PUER QUID VERBI EX TUO ORE AUDIO? et in » Nelei carmine : *Eaque prisco* SAUCIA PUER FILIA » SUMAM[4]. Ubi tamen Varro cum A PUERA putat dictum, » sed Aelius Stilo magister ejus et Asinius contra. »

Versus Naevii (nam integer est versus) olim cum versibus cohaerebat quos Macrobius commemoravit (supra p. 365):

Deinde pollens sagittis inclitus Arquitenens,
Sanctus Jove prognatus Putius Apollo.

Puer priorem syllabam producit (supra p. 75). *Proserpina* nos quidem ita legere malumus, ut syllaba altera vi prioris corripiatur (supra p. 38) ; agnoscimus tamen pluribus modis versum feriri posse :

Pri|ma in|cedit| Cereris| } Proserpi|na| puer.
Prima| ince|dit| Cereris| }
Prima| ince|dit Cere|ris Pro|serpi|na| puer.

Livii locum *Sancta puer* male Priscianus cumque Prisciano docti viri omnes ex Odyssea ductum putaverunt, nam apud Homerum nihil tale reperire est. Ego nullo modo dubito quin hic versiculus,

San|cta pu|er, Sa|turni| fili|a, Re|gina,

1. Prior manus *primam cedit.*
2. Codex Parisiensis *ceteris*, manu posteriore *caeteris.*
3. Prior manus *gravida qua.*
4. Haec corrupta verba si vere sunt *carminis Nelei*, saturnio metro concepta esse nequeunt. Sed rectius credo (nam contra disserens non persuasit O. Ribbeck, Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXVII [1858] p. 211) quod Duentzero placuit (Zeitschrift fuer das Gymnasialwesen 1857 p. 19), scilicet ea non alia esse atque versum Livii a Prisciano allatum, *sancta puer Saturni filia Regina.* Quod si est, apparet excidisse locum carminis Nelei titulumque Liviani operis; hoc autem opus seorsim hic ab Odyssea nominatum Odyssea non fuit.

re vera steterit in Livii Andronici carmine composito in honorem Junonis Reginae, quod carmen T. Livio adhuc in manibus erat (vide infra p. 431).

Restat alter Livii Andronici locus vere translatus ex Homero, α 64 Τέκνον ἐμόν, ποιόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; Hic τέκνον ad Minervam dictum Livius verterat per *puer*, sive ut volebat Varro, quem Priscianus sequitur, per *puera*. Hoc certe Varro, quia non intellexerat *puer* olim tertiae declinationis fuisse, qua de re testimonium praebent nomina servorum composita, ut *Marci-por Marci-poris*. Novicia igitur declinatio est *puer pueri* pro *puer pueris*; contra *imber imbris* declinatur pro *imber imbri*, quod graeco ὄμβρος ὄμβρου melius responderet. Quin, nisi fallor, in ipso nominativo *puer* syllaba *er* est novicia, vocis scilicet radix *pū* vel *pou* est, quae graece formam παυ, παϝ accepit in πά|ϝ|ις; inde *pou-er-is* factum est ut *bov-er-um*; postea ex casibus obliquis *er* etiam in nominativum transiit[1]. — Versiculus noster legitimum pedum numerum haberet si sic legeretur: *Mea|pŭer* (vel *pŭera*)|, *quid verbi|ex tuo|ore|sup|e|ra| fugit*; sed vix quidquam elumbius excogitari posset, deficiente in utroque hemistichio caesura Korschiana. Neque satis placeret *Me|a pu|er, quid| verbi ex| tūo o|re suprā| fugit*, quamquam et *tuo* licet producere (supra p. 74-75) et *supra* corripere (supra pp. 32 ss.); nam synaloepha in caesura et productio thesis antepaenultimae non sine offensione sunt. Itaque cum viderem apud Charisium *audio* scriptum esse pro illo *supra fugit*, putavi Livii locum fortasse jam fuisse corruptum antequam grammaticis nostris innotesceret. Scilicet Charisius, quemve ille exscripsit, pro corrupta voce quadam, ut sensum haberet qualemcumque, posuit *audio*; Priscianus autem, ut homo doctior, graeci φύγεν memor posuit *fugit*. At *supra*, quod sensui vix aliquid conferre potest, ipsam illam vocem corruptam fuisse existimavi, in qua et Charisius et Priscianus suo uterque modo

1. Hoc si verum est, ex *puer pueri* discimus corripi *e* in *boverum*.

haeserit. His de causis ego in hoc opere recepi hanc lectionem :

Me|a pu|er, quid| verbi| ex tuo| ore| superat?

quam missam faciam libens, sicubi meliorem propositam esse videro.

Priscianus 6,9,47 ex codice Parisiensi 7496 fol. 54-55 : « Invenitur[1] tamen etiam simplex *decor decoris* p[a]enul- » tima correpta apud vetustissimos, qua[n]do[2] pro *decorus* » *decora decorum* accipitur. N[A]EVIUS in carmine BELLI » PUNICI :

MAGNAMQUE[3] DOMUM DECOREMQUE DITEM[4] VEXERANT[5].

» Aliter enim iambus stare non potest. »

Ex Prisciani verbis satis apparet ab eo versiculum laudatum esse integrum. In hoc codex Parisiensis bis peccat; nam *vexerant* mutari debet requirente et sensu et metro in *vexarant*, quod codices nonnulli deteriores praebent; *magnamque* autem, ut Theodorus Korsch vidit, ortum est ex errore librarii de heroico versu cogitantis. Memineris enim in saturnio dactylum *gnamque do* ferri nequire (supra pp. 54 et 88). *Magnam* igitur legentes bonum habemus saturnium :

Ma|gnam do|mum deco|remque| ditem| ve|xarant.

Divitem reponere volebat Korschius. Sed valde

1. Prior manus *inveniuntur*.

2. Manu posteriore *n* addita.

3. Codices Bambergensis, Sangallensis, Caroliruhensis, Leidensis *magnam*, in Leidensi et manu posteriore in Caroliruhensi *que* superadditum. Codex Parisiensis *magna quae*, manu posteriore *magnamque*.

4. Codex Bambergensis omittit *ditem*, manus posterior in margine reposuit *te*.

5. Plerique codices *vexerant*, sed *vex*rant* in *vexarant* mutatum cod. Halberstadiensis, *vexarant* plures librorum Krehlianorum.

dubito num librarii vocem rariorem *ditem* pro usitatiore *divitem* ponere potuerint.

Priscianus 6,11,58 ex codice Parisiensi 7496 fol. 56 v° : « Nam *inquies*, cujus extremam corripi dicit Probus, *in-* » *quietis* declinatur, quod trium factum est generum, ut » supra ostendimus. Cujus etiam simplex in usu inveni- » tur trium generum. N[A]EVIUS[1] in carmine BELLI » PUNICI I°[2] : JAMQUE EJUS[3] MENTEM FORTUNA[4] FECERAT[5] QUIE- » TEM. Licinius Macer in I annali : *Non minimo opere* » *milites quietes volebant esse.* Sallustius in II historia- » rum : *Quia corpore et lingua percitum et inquie-* » *tem nomine histrionis vix sani Burbulejum appel-* » *labant.* »

Naevii versus integer est ; *ejus* pyrrhichium efficit (supra pp. 24, 35, 86) :

Jamque| ejus men|tem for|tuna| fece|rat qui|etem.

Priscianus 6,12,64 ex codice Parisiensi 7496 fol. 57 v° : « *Hic* et *haec Samnis*, *hujus Samnitis*, sic Caesar De ana- » logia. Lucanus in II : *Romanaque Samnis Ultra Caudi-* » *nas speravit vulnera furcas.* Hujus neutrum N[A]E- » VIUS SAMNITE protulit in carmine BELLI PUNICI, » ad cujus similitudinem debet etiam *hoc dite* dici. » Idem Priscianus 7,12,61 fol. 76 r° : « N[A]EVIUS neutraliter

1. Inter *e* et *v* in codice Parisiensi rasura.

2. Sic codex Parisiensis cum Bamb., Bern., Halberst., Carolsruhensi, non *II*.

3. Codex Bambergensis *eis*, manu posteriore *v* addita.

4. Pars codicum *furtuna*. Codicis Parisiensis manus prior *fortunam*.

5. Codex Leidensis *fecit* inter *mentem* et *furtuna* superscriptum, *fecerat* expunctum

» *hoc* SAMNITE protulit in carmine BELLI PUNICI, ad » cujus similitudinem debet et *hoc dite* dici. »

Priscianus 7,5,18 ex codice Parisiensi 7496 fol. 68 r° : « In *us* vero terminantia, si sint propria *i* ante *us* haben- » tia, abjecta *us* faciunt vocativum, ut : *hic Virg*[*i*]*l*[*ius*], *o* » *Virgili; hic Salustius, o Salusti; hic Pompejus, o Pompei.* » Haec tamen eadem etiam in *e* proferebant antiquissimi, » *o Virgilie, Mercurie*[1] dicentes. LIVIUS ANDRONICUS » in ODISSIA : NEQUE TAMEN[2] TE OBLITUS SUM LAERTIE[3] » NOSTER. L[a]evius... » Ex Homero α 65 : πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην;

Nec *tamen* in Livii fragmento ferri potest (nam sensui vix convenit, pesque proceleusmaticus *neque tamen* quodam modo offendit, supra p. 10), neque, quod voluit Theodorus Korsch, *tam*. Servanda igitur est codicum deteriorum lectio *enim* (nisi fortasse et *tamen* et *enim* corruptelae sunt unius ejusdemque vocis, per quam graecum ἔπειτα expressum fuerat) :

Neque e|nim te ob|litus| sum, La|erti|e| noster.

Priscianus 7,5,22 ex codice Parisiensi 7496 fol. 69 r° : « Excipitur unum quod tam in *e* quam in *i* facit vocativum, » quamvis sit appellativum, *o fili*[*e*[4]] et *o fili*. LIVIUS » ANDRONICUS in ODYSSIA : PATER NOSTER[5] SATURNI[6]

1. Codicis Parisiensis manus prior *Virgiliae*, *Mercuriae*.
2. In codice Bambergensi *tamen*, postea decem fere litterae erasae; in Parisiensi *tamen*, litterae *men* expunctae ; pro *tamen* Ambianensis, Bernensis, Halberstadiensis, Sangallensis, Leidensis, Caroliruhensis exhibent *enim*.
3. Codices *laertiae*, *lertie*, *o laertiae*, in Parisiensi et Ambianensi manus posterior *laertie*.
4. *E* manu posteriore additum.
5. Codex *nostri*, id eadem manu correctum in *noster*.
6. Codex Caroliruhensis *saturi*, *n* manu posteriore addita.

» FILIE[1]. Catullus autem : *Tu praeter omnes une de cap(p)il-* » *latis Celtiberos[a]e Celtiberiae fili.* Terentianus... » Ex Homero α 45 et 81 : Ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη, [ὕπατε κρειόντων.]

Initium est saturnii Livii Andronici fragmentum :

Pa|ter no|ster, Sa|turni| fili|e ....

Priscianus 7,8,41 ex codice Parisiensi 7496 fol. 72 v° : « In *aps* unum femininum : *haec daps, hujus dapis.* Sed » nominativus in usu frequenti non est, quem LIVIUS[2] » ANDRONICUS in ḯ ODISSIAE ponit : QUAE HAEC DAPS » EST, QUI FESTUS DIES? » Ex Homero α 225 Τίς δαίς ; τίς δὲ ὅμιλος ὅδ᾽ ἔπλετο ; [τίπτε δέ σε χρεώ ;]

Nos fragmentum Livii Andronici sic ferire malumus :

Quae| haec daps| est? qui| festus| diēs?..|.., ..

Hoc enim modo optimam habemus caesuram Korschianam ; neque in *dies* correptio syllabae alterius (vel synizesis) offendere potest. At licet etiam sic legas :

Quae haec| daps est|? qui| festus| dies?..|......
Quae haec| daps est|? qui fe|stus di|es?..|... ..

Priscianus 7,11,57 ex codice Parisiensi 7496 fol. 75 v° : « *Hic* et *haec celer* vel *celeris* et *hoc celere, ab hoc* et » *ab hac celeri*... LIVIUS in ODYSSIA : AT[3] CELER » [H]ASTA[4] VOLANS PERRUMPIT PECTORA FERRO... » Haec ex Homero χ 82 : Ἰὸν ἀποπροϊεὶς βάλλε στῆθος παρὰ μαζόν, Ἐν δέ οἱ ἥπατι πῆξε θοὸν βέλος.

Satis mirum est fragmentum ex carmine Livii Andronici saturnio petitum efficere heroicum hexametrum optimum, praesertim cum saturnii pedem aequare debeat contra

1. Codices Parisiensis et Bernensis *filiae*.
2. Prior manus *Libius*.
3. Pars codicum *ad*.
4. Pars codicum *asta*. In Parisiensi *h* manu posteriore addita.

jus ac fas (supra pp. 54, 88, 150 s.) vox dactylica *pectora :*

At| celer ha|sta vo|lans per|rumpit| pecto|ra| ferro.

At nulla apud Homerum, ut Theodorus Korsch animadvertit, volatus fit mentio; itaque vix dubium est quin *volans* ab interpolatore invectum sit. Qua voce rejecta sanatur malus ille saturnius :

At| celer ha|sta per|rumpit| pecto|ra| ferro.

Priscianus 7,12,61. Vide ad 6,12,64 (supra p. 379).

Priscianus 7,16,75 ex codice Parisiensi 7496 fol. 78 v° : « Et sciendum tamen, quod rarissime haec, quae in » sola *i* finiunt ablativum, sincopam patiuntur *i* per gene- » tivum pluralem. Inveni *marum* pro *marium*[1], qui tamen » in rarost usu genetivus. Apud N[A]EVIUM in carmine » BELLI PUNICI : SENEX FRETUS PIETATI[2] DEUM ADLOCUTUS[3] » SUMMI DEUM REGIS FRATREM NEPTUNUM REGNATOREM MARUM, » pro *marium.* »

Mutilus certo est locus Naevii poetae; nam sic Priscianus scribere debuit : «...regnatorem marum ....*Marum* pro *marium.*» Fragmentum si cum versu incipit, sic feriendum est :

Se|nex fre|tus pie|tati| deum ădlo|cutus|, summi
De|um re|gis fra|trem, Ne|ptunum| regna|torem
Ma|rum.. ....

Sed versus ita discerpere vetuit Buecheler (Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXXVII, 1863, p. 335) ideo quod nus-

1. Pars codicum *marum pro marium inveni.*
2. Codices Bambergensis, Halberstadiensis, Leidensis, Caroliruhensis et manus codicis Parisiensis posterior *pietati;* Bernensis, Sangallensis, manus Parisiensis prior et Halberstadiensis posterior *pietate* vel *piaetate.*
3. Pars codicum *allocutus.*

quam alibi duas deinceps voces spondiacas, ut hic *regis fratrem*, videamus altero tertioque ictu percuti (cf. supra p. 112). Majusque etiam pondus alii rationi est, quam Buecheler afferre potuisset, male scilicet *summi* a *deum regis* divelli et *regnatorem* a *marum*. Sic igitur versus legito, memorque esto omnes voces iambicas ut poetis libeat corripi posse :

. . . .| senex fre|tus pie|tati
. . . .|. . . se|nex fre|tus pie|tati

Deum| adlo|cutus|, summi| deum re|gis| fratrem,

Ne|ptunum| regna|torem| marum. . .| . . . . .

Priscianus 8,4,18 ex codice Parisiensi 7496 fol. 85 v° : « APPIUS C[A]ECUS : AMICUM CUM VIDES OBLIVISCERE » MISERIAS. INIMICUS SI ES[1] COMMENTUS [NEC LIBENS AEQUE. » *Commentus*[2]] ceco [φισμενος[3]]

Hic de passiva quarumdam formarum significatione agitur, ut rectissime pro « *caeco* φισμενος » Hertzius σεσοφισμένος reposuerit. Ergo vox « commentus » idem valet ac *deceptus*. Nos autem pro *inimicus* levissima emendatione *inimicis* legere jubemus, quod dandi casu positum a passivo illo *commentus* pendeat; nam forte apud poetam graecum quem interpretabatur Appius vocem ἐχθροῖς passivo conjunctam invenerat. Denique *miserias*, nisi fallimur, potius pro casu genetivo singularis numeri, ut apud Livium Andronicum *Latonas*, *Monetas*, *escas*, apud Naevium poetam *fortunas*, *terras*, apud Ennium *vias*[4], quam pro accusativo pluralis accipiendum erit. Unde hic efficitur sensus : Si ab inimicis es deceptus, quamvis id aegre feras, mali tamen obliviscere ubi amicum vides. In *obliviscere*

1. Codex Halberstadiensis *sies*.
2. *Nec libens aeque. Commentus* omittunt codices praeter Bambergensem. Ea cum nota *al.* addidit in margine codicis Parisiensis manus posterior.
3. Codices praeter Bambergensem *ceco* vel *caeco*, omisso φισμενος.
4. Vide Priscianum 6,1,6 (supra p. 369).

vix paenultimam brevem percutere licet, neque bene thesis quarti pedis longa syllaba constare potest. Ergo cum Fleckeiseno scribimus *obliscere* : quo facto versus optimos habemus saturnios duos :

A|micum| cum vi|des, ob|lisce|re mi|serias,
Ini|micis si| es com|mentus|, nec li|bens| aeque.

Priscianus 8,11,60 ex codice Parisiensi 7496 fol. 94 r° :
» *Mando*, *mandis*. Ejus praeteritum perfectum quidam » [*mandi*[1]], alii *mandui*, alii *mandidi* esse voluerunt. » LIV|IU|S[2] tamen in ODISS|I|A[3] : CUM SOCIOS[4] NOSTROS[5] MAN- » DISSET IMPIUS[6] CYCLOPS[7]. A *strido* quoque alii *stridui*, alii » *stridi* protulerunt. » Ex Homero υ 19 : Ἤματι τῷ ὅτε μοι μένος ἄσχετος ἤσθιε Κύκλωψ ἰφθίμους ἑτάρους.

In fragmento Livii Andronici dubium est utrum *socios* anapaestum efficiat an forte baccheum (vide supra p. 76); neque de forma *cyclops* constat, pro qua apud Livium non modo *cuclops* vel *cucolops* stare potuit, verum etiam barbara positione *cocles* (supra p. 84). Sed hoc saltem certum videtur (quamquam aliter quidam senserunt), in *nostros* finiri versiculum, in *mandisset* alterum incipere.

. . . . { cum soci|os| nostros
{ cum so|cios| nostros
Man|disset| impi|us cy|clops. . . . .

Priscianus 9,6,33. Vide locum Diomedis p. 369,19 Keil (supra p. 353).

1. Codex Parisiensis 7496 om. *mandi*.
2. *Iu* omissa, priore manu ut videtur supra scripta.
3. *I* priore manu supra scriptum.
4. Codex Parisiensis *sociis* littera *o* manu posteriore superscripta.
5. *S* manu posteriore in eodem loco atque *s* prioris manus scripta.
6. Codicis Parisiensis manus posterior *cymbius*.
7. Codex Leidensis *ceclops*. In Parisiensi prior manus *cyclops*, posterior manus rursus in eodem loco *y* scripsit.

Priscianus 9,9,47 ex codice Parisiensi 7496 fol. 110 v° : « Vetustissimi tamen et *ausi* pro *ausus sum* et *gavisi* pro » *gavisus sum* protulerunt. Cato censorius in oratione pro » Lucio Autronio : *Beneficii postridie jussisti adesse, in* » *diem ex die non ausi recusare.* LIVIUS in ODYSSIA : » QUONIAM AUDIVI[1] PAUCIS GAVISI. L. Cassius [H]emina in II annalium : *Idque admiratum esse gavisi.* » Ex Homero π 92 : Ἦ μάλα μευ καταδάπτετ' ἀκούοντος φίλον ἦτορ.

Compluribus modis feriri potest Livii Andronici fragmentum. Nam licet non sic tantummodo scribas :

Quoni|am au|divi|, paucis| gavi|si......,

et sic :

...| .....| quoniam au|divi|, } paucis| ga|visi,
...|... quoni|am au|divi|, }

verum etiam sic :

.................| ...|quoniam au|divi,
Pau|cis ga|visi|.... ....

Haud male Duentzer pro *quoniam* conjecerat *quorum.*

Priscianus 10,8,48. Vide locum Diomedis p. 369,19 Keil (supra p. 353).

---

§ 11. — De fragmentis a reliquis scriptoribus laudatis

Ennius apud Ciceronem atque alios. Vide infra pp. 413 et 432.

---

1. Codex Bambergensis *audivit.*

[Cato, De re rustica 160. Vide Indicem hujus voluminis sub vocibus *huat* et *motas*.]

Santra apud Nonium. Vide infra p. 433.

Horatius, Carm. 4,1,28. Vide infra p. 409.

Horatius, Sat. 1,10,65 ss. de Lucilio: « Fuerit limatior » idem Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor » Quamque poetarum seniorum turba. »

Illum *rudis et Graecis intacti carminis auctorem* scriptorem carminis saturnii esse vult O. Ribbeck (Neue Jahrbuecher fuer Philologie LXXVII, 1858, p. 213) faciens cum Carolo Nipperdey (Opuscula p. 505) cumque aliis quos enumerat Teuffel (Geschichte der roemischen Literatur n° 143,6 ed. tertiae). Quod quamvis dubitationem movere possit tacere nolui.

Horatius, Epistul. 2,1,26. Vide infra p. 414.

Horatius, Epistul. 2,1,69 ss. Vide infra p. 425.

Horatius, Epistul. 2,1,86. Vide infra p. 407.

Ovidius, Fast. 1,129 s. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 244).

Ovidius, Fast. 3,259 s. et 383 ss. Vide locum Varronis, De lingua latina 6,45 (supra p. 248).

Valerius Maximus 8,14,2. Vide infra p. 423.

Probus in Vergilii Eclogas 6,31 p. 14 Keil, ex codicibus duobus saeculi xv, Parisiensi lat. 8209 et Vaticano 2930 : « Quod poeta Ennius Anchisen[1] augurii ac per hoc » divini quiddam habuisse[2] praesumit[3] sic[4]: *Doctusque Anchi-» ses[5] Venus quem pulchra dearum fari donavit, divinum » pectus habere*. NAEVIUS[6] BELLI PUNICI libro tertio sic : » POSTQUAM AVEM[7] ASPEXIT IN TEMPLO ANCHISA[8], SACRA IN » MENSA PENATIUM ORDINE PONUNTUR[9], IMMOLABAT[10] AUREAM » VICTIMAM PULCHRAM. » Ex Probo Cynthius Cenetensis, scriptor saeculi xv aequalis utriusque codicis Probi, apud Keilium laudatus : « Anchises vates fuit auctor divinandi. » Ennius : *Doctusque Anchises venis*. Et NAEVIUS » BELLI PUNICI lib. III : TEMPLO ANCHISA SACRA INMENSA » PENATIUM ORDINE PONUNTUR. » Scholia « Veronensia » in Vergilii Aeneida 2,687[11], ex codice palimpsesto Veronensi : « Peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse...... » ssunt Naev..... qui ita de eo[12] ait : *Doctus Anchisa » Venus quem pulcherrima div.. fata docet divinum ut » pectus haberet* plu...... post nox serena est. »

Auctor scholiorum Veronensium aperte confudit fragmentum Naevianum cum Enniano; itaque male egerunt Pfau et Korsch, qui ex Ennii hexametris saturnios Naevii poetae eruere conati sunt. Nobis unum Naevii poetae fragmentum respiciendum est, quod tres versus efficit. Primus multis modis feriri potest :

1. Codex Parisiensis, quem contuli, f. 7 recto : *Anchisem*.
2. Codex Paris. *quidam huisse* cum nota breviandi supra scripta.
3. Codex Paris. *presumit*.
4. Codex Vaticanus omittit *sic*.
5. Codex Paris. *Anchises que Venus quem*.
6. Codex Paris. *Nevius*.
7. Codex Paris. *avem* (non ut ait Keilius *autem*).
8. Codex Vaticanus *Anchises*.
9. In codice Paris. *sacra...ponuntur* uncis rotundis inclusa.
10. Codex Paris. *imolabat*.
11. M. Valerii Probi in Vergilii Bucolica et Georgica commentarius. Accedunt Scholiorum Veronensium et Aspri Quaestionum Vergilianarum fragmenta. Edidit Henricus Keil. Halis, Anton, 1848. Pag. 90.
12. Codex *ita deo*.

		in tem|plo|d| An|chisa
Post|quam a|vem a|spexit|		in tem|plo An|chisa
Post|quam avem| a|spexit|		in templo| An|chisa
		in|du]| templo An|chisa

tamen vix *plo An* vel *plod An* pro spondeo poni potest, ubi quartus pes trochaeus purus non est (supra p. 181). *Postquam* certo, fortasse *avem* cum hiatu producitur in arsi. In versu altero plures doctorum *Penatum* emendant, ut in caesura hietur, haud scio an recte; *ordine* in arsi producitur :

Sacra\| in men\|sa Pe\|nat(i)um\| ordi\|ne po\|nuntur.

Tertium versum desperatis remediis multi sanare voluerunt sed parum feliciter. Nos cum meminerimus in carminibus Saliorum positum esse *prae tet tremonti* pro *praetremunt te* (supra p. 252), a Festo (p. 190 Mueller) laudari ex « quibusdam precationibus » *ob vos sacro* pro *vos obsecro* et *sub vos placo* pro *vos supplico*[1], praeterea legi apud Lucretium *disjectis disque supatis*, item *indignos inque merentes*, apud Vergilium *inque salutatum linquo,* apud Horatium *argento post omnia ponas*, putamus non nimiae audaciae fore, si tmesi pariter adhibita illud *immolabat* in suas partes solverimus :

In\| aure\|am mo\|labat\| victi\|mam\| pulcram.

Pseudo-Sallustius ad Caesarem 1,1,2[2] : « Sed res docuit » id verum esse quod in CARMINIBUS APPIUS ait, » FABRUM ESSE SUAE QUEMQUE FORTUNAE. »

Multis modis, si directam facis orationem, saturnium efficere potes; sed hic nihil praeter sententiam certum. — Eodem fortasse in loco Appius id dixerat, quod rursus

1. Fortasse apud Plautum, Asin. 1,1,3, pro corrupto *ita te obtestor* legendum est *ita ob te testor.*

2. Haec ex codice Vaticano 3864 saeculi x. Repetii ex editione Orelliana anno 1840 Turici data.

expresserunt cum Plautus in Trinummi act. 2 sc. 2 v. 84 tum « sapiens poeta » apud Ciceronem Parad. 5,2,34, Cornelium Nepotem Vit. Attici 11,6, Nonium p. 526 M. : *moribus fortunam fingi.* Hic sapiens poeta non ipse Appius fuit; verba enim in Nonii codicibus trunca, a Cicerone immutata, apud optimum testem Nepotem senarium efficiunt.

Sic fortasse scripserat Appius:

Fa|ber est| ipse| sūae| quisque| for|tunae,

nam ea aetate (supra p. 75) *suus* produci poterat, vel :

.....................| quisque| fortu|naï.

Plinius, Natur. histor. 7,33,33,119. Vide infra p. 414.

Quintilianus 1,5,61. Vide locum Nonii p. 335 M. (supra p. 343).

Quintilianus 1,6,40 et 1,10,20. Vide infra pp. 407 et 406.

Quintilianus 9,4,115. Vide infra p. 413.

Plutarchus, Numa 13. Vide infra p. 407, et supra p. 248 ad locum Varronis, De lingua latina 6,45 Mueller.

Plutarchus, Quaestiones romanae 56. Vide infra p. 413.

Tacitus, « Annal. » 2,83 et 4,9. Vide infra p. 409.

Suetonius, Galba 9 : « Et confirmabatur cum secundis-
» simis auspiciis et ominibus [*tum*] virginis honestae vati-
» cinatione, tanto magis quod eadem illa carmina sacerdos
» Jovis Cluniae ex penetrali somnio monitus eruerat, ante
» ducentos annos similiter a FATIDICA PUELLA pronun-

» tiata, quorum CARMINUM sententia erat, ORITURUM QUAN-
» DOQUE EX HISPANIA PRINCIPEM DOMINUMQUE RERUM. »

Haec verba, ut Corssen optime ait « in directam orationem versa numerum Saturnium perspicue prae se ferunt». Sic fere conceptum oportuit vaticinium:

....ori|etur
Quan|doque Hi|spani|a prin|ceps domi|nusque| rerum.

Suetonius, De grammaticis. Vide infra p. 433.

Velius Longus p. 51,6 Keil. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 244).

Cassius Dio 51,20. Vide infra p. 409.

Porphyrio in Horatii Epistul. 2,1,26. Vide infra p. 414.

Terentius Scaurus p. 28,6 Keil. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,26 (supra p. 244).

Festus. Vide locos ex Verrio Flacco (supra pp. 292 ss.).

Pseudo-Censorinus p. 615 Keil. Vide locos ex Caesio Basso (supra p. 325).

Terentianus Maurus, De metris 2489 ss. Vide locos ex Caesio Basso (supra pp. 311 ss.).

Marius Plotius Sacerdos p. 531 Keil. Vide locos ex Caesio Basso (supra pp. 313 ss.).

Atilius Fortunatianus p. 283 et pp. 293 s. Keil Vide locos ex Caesio Basso (supra pp. 311 ss.).

Marius Victorinus pp. 138 ss. Keil et p. 143 Keil. Vide locos ex Caesio Basso (supra pp. 310 ss.).

Lactantius, Divin. instit. 1,6. Vide infra p. 433.

Julius Capitolinus, M. Antoninus Philosophus 4 et 21. Vide infra p. 409.

Trebellius Pollio, Triginta tyranni 8. Vide supra p. 248.

Trebellius Pollio, Claudius 7 : « Rogo, quantum pre-
» tium est clypeus in curia tantae victoriae? quantum una
» aurea statua? Dicit ENNIUS de Scipione : QUANTAM STA-
» TUAM FACIET POPULUS ROMANUS? QUANTAM COLUMNAM, QUAE
» RES TUAS GESTAS LOQUATUR? possumus dicere Flavium
» Claudium unicum in terris principem non columnis, non
» statuis, sed famae viribus adjuvari. »

De Scipione Africano majore Ennius complura scripsit. Certe in Annalibus, cum Hannibalis bellum narraret, magnis eum laudibus extulit; qui Annales hexametris versibus sunt concepti. Epigramma elegiaco metro composuit, defuncto Scipione, in sepulcro ejus incidendum; neque enim verba haec, *Hic est ille situs*, accommodari possunt ad cenota-

phium[1]. Praeterea libellum singularem fecit, cui inscriptio erat *Scipio*[2]; is tetrametris trochaicis conceptus[3]. Denique in libro Saturarum III teste Nonio p. 66 M. quaedam posuit, cum quibus si conferes quae Cicero duobus locis[4] affert, illa videbis apud Ennium certissime Africanum esse locutum, perquam probabiliter Ennium hexametris scripsisse[5]. Sed fragmentum a Trebellio Pollione laudatum neque hexametris constat neque elegiacis neque trochaicis versibus; ergo neque in *Annalibus* Ennii neque in *Epigrammate* illo neque in *Scipione* neque in illa *Saturarum* parte fuit umquam. Mihi quidem prope certum est fuisse id fragmentum (sive vere Ennii fuit sive alius poetae) ex alio quodam epigrammate Scipionis Africani depromptum, quod epigramma saturniis conceptum fuerit, neque in ipso Africani sepulcro incisum (sive corpus Literni sive alibi extra Ro-

1. De epigrammate in Africanum videantur Cicero, De legibus 2,22,57 (ubi vocis *situs* significationem urget); Tuscul. quaestt. 5,17,49; — Seneca Epistul. 18,5(108),32 ss. (qui Ennii versus non ipse ex Enniano volumine excerpit, verum ex Cicerone De re publica laudat); — Lactantius, Instit. divin. 1,18; — Claudius Mamertinus, Panegyr. Genethliac. Maximiani 16.

2. A. Gellius 4,7,3; Macrobius, Saturnalia 6,2,26 et 6,4,6.

3. Ut apparet ex fragmentis a Gellio et in priore Saturnaliorum loco a Macrobio laudatis. Quae autem altero loco Macrobius affert, *sparsis hastis longis campus splendet et horret*, ea trochaici legitimos pedes non efficiunt; sed hos Macrobius non ex ipso Ennio ut videtur, verum ex Lucilio habet; at Lucilius, cum Ennium propter illud *horret* vellet irridere (Servius ad Vergilii Aeneida 11,601 : cf. Horatii Satir. 1,10,64 sive 54), incluserat Enniana verba, quo modo nescimus immutata, in saturam hexametris scriptam. — *Scipionis* initium, nisi fallor, verba erant a Johanne Vahlen satis incommode ad Annales relata, *Scipio invicte*. In his testatur Cicero (De oratore 45,152) Ennium admisisse hiatum semel, cum Naevius crebro hiare solitus esset. Tres igitur trochaicos efficiunt pedes. Cicero, postquam duos Naevii versus integros laudaverat, cumque de suo quoque hexametrum integrum esset laudaturus, ideo ea verba sola rettulit, quod in ipso totius carminis exordio posita erant. — Fuit cum propter vocativum casum, collatis illis vocibus *res tuas gestas*, ad carmen saturnium nostrum referrem id fragmentum, *Scipio invicte*, quam rem nunc melius meditatus valde improbo.

4. De finibus 2,32,106; De oratore 3,42,167.

5. Collatis quae de *Campis Magnis* afferuntur apud Polybium 14,8,2 et apud T. Livium 30,8,3 puto equidem neque apud Ciceronem *Campi magni* neque apud Nonium *lati campi* mutari posse; itaque duos hexametros sic constituo : *Testes sunt Campi Magni...., Lati campi, quos gerit Africa terra politos.*

mam fuit inhumatum), verum, sicut reliqua Scipionum saturniis concepta elogia, in monumento huic domo proprio, in via Appia extra portam Capenam intra primum ab urbe miliarium.

Ibi enim, quamquam de hac re diversa traduntur, ipse Scipio non sepultus est (quod si fuisset factum, contraria fama oriri non potuisset); sed posita est ejus statua (T. Liv. 38,56,4). Ea nisi fallor non humi stabat, verum in columna summa; ibi incisi in lapide versus a Trebellio allati legebantur: ideo ii versus et statuae et columnae mentionem continent. Tempore autem, quo vita decessit Africanus major, nondum desierant Cornelii versibus saturniis suorum monumenta insignire, nam in elogio P. Scipionis P. f. flaminis dialis (supra p. 230) *sermonis indoles,* ut ait Mommsen (C. I. L. I p. 19*b*), *litterarumque eae sunt*, *quae recte tribuantur saeculo sexto extremo.*

Nunc videndum, utrum Ennius vere epigrammatis auctor sit necne. Negarunt complures doctorum unquam quidquam Ennium scripsisse *versibus quos olim Fauni vatesque canebant;* atque ideo non nomen quidem Ennii apud Trebellium pro corrupto neque pro falso habuerunt, verum ex ipsis versibus saturniis eruere conati sunt, omnibus machinis admotis, hexametros si dis placet Ennianos nescio quos. Mihi, ut candide quid sentiam aperiam, hoc tantae molis facinus supervacaneum videtur. Quod enim malevolus junior poeta de aemulo Naevio loquens versus ejus nimis fastidiosis verbis irrisit, quod sese gloriando memoravit hexametros in epico carmine adhibuisse Romae primum omnium, quod disticha in sepulcro Scipionis, item alia disticha in suo ipsius sepulcro[1] incidenda composuit, inde minime efficitur non potuisse eumdem, mortuo Africano a propinquis Scipionibus rogatum, iisdem numeris atque cetera ejusdem monumenti epigrammata concepta erant, elogium conscribere. Fac tamen (neque hoc in Trebellio aegre

1. Cicero, Tuscul. 1,15,34 et 1,49,117; idem Cato major 20,73.

concesserim) aliquem in loco nostro subesse errorem : is error sane non fuit ut ex versibus hexametris Ennii nescio qua mira fortuna saturnii prope integri informarentur, verum (siquidem erratum est) ut alienum opus temere tribueretur Ennio. Ansam errori dare potuit ille Ennii libellus, *Scipio* inscriptus; praeterea, quod in monumento Scipionum tres statuae dicebantur esse P. Africani, L. Asiatici, tertia Ennii poetae[1]; quodque etiam vulgo crediderunt Ennium ibi fuisse sepultum[2].

Sed ab Ennio versus nostros abjudicent, quibus placuerit; hoc rogo, ipsum textum parca manu attingant, neque verba diutius commutare, decurtare, loco demovere aggrediantur. Nam in una re aut auctor Trebellii aut ipse aut post eum aliquis librarius peccavit : scilicet, ut sensus aperte postulat atque jam dudum Duebnerus perspexit, vox *tibi* perperam omissa in priore parte restituenda est. Quo facto saturnios duos integerrimos atque optimos habemus :

Quan|tam statu|am faci|et [ti|bi] popu|lus ro|manus?
Quan|tam co|lumnam|, quae res| tuas ge|stas lo|quatur?

Prior ita etiam (melius fortasse) legi potest :

Quan|tam statu|am| faciet| tibi po|plus ro|manus.

Hic non possum, quin horum versuum argumentum prope idem esse adnotem, atque illud quod Ennius (in principio *Scipionis*, ut licet conjiciamus) de Africano loquens adhibuerat. Illic enim praedicitur, neque hanc statuam neque hanc columnam, quae ante legentis oculos posita sit, tanto viro esse dignam. In Ennii loco, quem Suidas graece refert, similiter propter modestiam de ingenio suo poeta loquebatur : Σκιπίωνα γὰρ ᾄδων καὶ ἐπὶ μέγα ἐξᾶραι τὸν ἄνδρα βουλόμενός φησι μόνον ἂν Ὅμηρον

1. T. Liv. 38,56,4; Cicero, Pro Archia 9,22; Ovidius, Ars amat. 3,410; Valerius Maximus 8,14,1; Plinius, Histor. natur. 7,30,31,114.

2. Hieronymus, Chronic. Euseb. ad olymp. 153,1, ex Suetonio.

ἐπαξίους ἐπαίνους εἰπεῖν Σκιπίωνος[1]. Unde mihi (quamquam tali rationi non nimium tribui debet) veri similius aliquanto videtur, Ennium vere, ut Trebellius testatur, saturniorum nostrorum auctorem esse.

[Philargyrius in Vergilii Ecl. 1,20. Vide Indicem hujus voluminis sub verbis *Sed dea.*]

Scholia Veronensia in Vergilii Aeneida 2,687. Vide locum Probi in Vergilii Eclogas 6,31 p. 14 Keil (supra p. 387).

Pseudo-Asconius in Ciceronis actionem I in Verrem, 10,29. Vide locos grammaticorum de Naevio et Metellis ex Caesio Basso (supra p. 320).

Symmachus, Epistul. 3,44. Vide infra p. 407.
Symmachus, Epistul. 4,34. Vide infra p. 414.

Aelii Donati qui fertur commentarius in Terentii Andriam 1,1,28 ex codice Parisiensi lat. 7920 saeculi XI[2] fol. 10 verso : « plerique omnes f.[3] A. P. XAICMOC[4] est. Nam erat[5] » qui plerique prologum[6] intellegit[7] aut qui sub distinguit[8]

1. Suidas sub voce Ἔννιος.
2. Reliqui omnes Donati codices, exempli gratia Parisiensis lat. 7921, a me inspectus saeculi sunt quinti decimi, orti ab uno fonte, scilicet a codice nunc deperdito quem anno 1433 Moguntiae Johannes Aurispa invenerat. Inde et editio princeps quae Romae anno 1472 apud Conradum Sweynheym et Arnoldum Pannartz prodiit : haec judice Augusto Reifferscheid (Index scholarum Vratislav. in hiemem 1874-1875, ubi insunt ejus recensione Euanthius et Donati commentum de comoedia) libros manu scriptos integritate longe antecedit.
3. Ed. princeps et codex Parisiensis 7921 fol. 12 verso *faciunt.*
4. 7921 *archaismos.*
5. 7921 *erant.* Lege *errat.*
6. 7921 *apollogum*, ed. princeps *apologum.*
7. Ed. princeps et 7921 *intelligunt.*
8. Ed. princeps *subdistingunt*, 7921 *sub distingunt*

» plerique et nunc[1] infert[2] omnes hoc enim pro una parte » crationis[3] dixerunt[4] veteres eodem modo quod[5] greci » panpolla[6], et latini plus satis; NEC UNUS[7] in BELLO » PUNITO[8] PLERUMQUE[9] OMNES SUBIGUNTUR[10] SUB UNUM[11] JU- » DICIUM figurat[12] terentium e. q. s. »

Cum editione principe legendum est *Naevius*, *punico*, *plerique*, *suum*. At in tertia fragmenti Naeviani voce « plerique omnes », ut cum Terentio loquar, legunt cum codice 7920 *subiguntur* : cui voci quis sensus inesse possit equidem prorsus ignorare confiteor. Contra *subigunt*, quod codex 7921 editioque princeps habent, et sensum optimum praebet et optimum versum saturnium :

Ple|rique o|mnes| subigunt| sub su|um ju|dicium.

Mallius Theodorus p. 594 Keil. Vide locos ex Caesio Basso (supra p. 312).

Grammaticus apud Heusingerum in editione Mallii Theodori anni 1755 p. 94 et anni 1766 p. 95. Vide infra p. 399 adnot. 1.

[Orosius 4,1. Vide Indicem hujus voluminis sub vocibus *qui invicti*.]

---

1. Ed. princeps et codex Parisiensis lat. 7921 *sic*.
2. Ed. princeps et 7921 *inferunt*.
3. 7921 *arationis* (*a* vel *o* ex *c* factum). Ed. princeps *orationis*.
4. 7921 *alexere*. Ed. princeps *dixere*.
5. 7921 *quam*. Ed. princeps hanc vocem omittit.
6. Ed. princeps et 7921 om. *panpolla*.
7. Pro *Nec unus* 7921 *He uius*. Ed. princeps *Nevius*.
8. 7921 *punico* nisi fallor. Ed. princeps *punico*.
9. Ed. princeps et 7921 *plerique*.
10. Ed. princeps et 7921 *subigunt*.
11. Ed. princeps et 7921 *suum*.
12. Ed. princeps et 7921 *figurate*.

Sidonius Apollinaris, Epistul. 8,16. Vide infra p. 408.

Pseudo-Victor, De origine gentis romanae 4. Vide locum Varronis, De lingua latina 7,36 (supra p. 256).

Pseudo-Victor, De origine gentis romanae 10. Vide infra p. 434.

Pseudo-Acro ad Horatii Epist. 2,1,158 ex codicibus Parisiensibus lat. 7971 saeculi x folio 148 verso et lat. 7974[1] fol. 109 r° : « *Saturnium* vocabatur[2] metrum quo usi sunt Latini » veteres sub Saturno rege et postea longo[3] tempore, » quod *horridum*, hoc est non bene compositum. » Cf. supra pp. 247, 256, 310 locos Varronis, Festi et scriptorum ex Caesio Basso.

Luctatius Placidus p. 32 Deuerling (Lipsiae, Teubner, 1875). Vide locum Festi p. 67 Mueller (supra p. 294).

Luctatius Placidus p. 44 et 51 Deuerling. Vide Addenda.

Luctatius Placidus p. 56 Deuerling. Vide infra p. 436.

Luctatius Placidus p. 73 Deuerling. Vide locum Festi p. 190 Mueller (supra p. 300).

Luctatius Placidus p. 74 Deuerling. Vide locum Macrobii, Saturnalia 6,5,8 (supra p. 364).

Luctatius Placidus p. 74 Deuerling. Vide locum Nonii p. 544 M. (supra p. 350).

Luctatius Placidus p. 75 Deuerling. Vide locum Nonii p. 368 M. (supra p. 345).

Glossae variae de verbo *ir*. Vide locum Nonii p. 116 M. (supra p. 338).

---

1. Deest hic locus in codice Parisiensi 7975 fol. 97 v°; Horatii epistulas non praebet codex 7973; nec magis hanc partem commentarii habet codex 7972 fol. 111 r°.

2. *Vocabat* codex 7971.

3. *Longuo* codex 7974.

« Isidori » glossae. Vide infra p. 402 ad locum Isidori Originum 19,22,20.

Isidorus Hispalensis, De natura rerum 44 : « In Pra- » tis... Tranquillus sic adserit dicens: *Externum*[1] *mare* » oceanus est, *internum* quod ex oceano fluit, *superum* et » *inferum* quibus Italia adluitur; ex his superum et » *Adriaticum* dicitur et *Tuscum* inferum. *Fretum*, angu- » stum quasi fervens mare, ut Siculum et Gaditanum. » *Aestuaria*, stagna[2] per quae mare vicissim tum accedit » tum recedit. *Altum*, proprie mare profundum. *Vada*, » quibus in mari potest stari; quae Vergilius brevia appel- » lat, quae eadem Graeci βραχέα. *Sinus* majores recessus » maris dicuntur, ut Caspius, Arabicus, Indicus; minores » autem *anguli*, ut Paestanus, Amyclanus et ceteri simi- » les[3]. *Flustrum*[4], motus maris sine tempestate fluctuantis. » NAEVIUS[5] in BELLO POENICO sic[6] ait : HONERARIAE » HONUSTAE STABANT IN FLUSTRIS, ut[7] si diceret in salo[8]. » Festi epitome p. 89 Mueller : « *Flustra* dicuntur quum » in mari fluctus non moventur, quam[9] Graeci[10] μαλακίαν » vocant. »

1. Codices *extremum*. Lectiones unius et alterius codicis, quae nobis minimi sunt momenti, hic praetermittimus. Isidori opusculum edidit Gustavus Becker (Berolini apud Weidmannos, 1857), a quo nostra sumpsimus.

2. Codices *omnia* vel *sunt omnia;* conjecit *sunt stagna*, ut videtur, Langensiepen; putamus *sunt* ex *st* et *omnia* ex *agna* vel *anna* esse factum.

3. Codex Oxoniensis *similes nomina maris dixerunt. Flustra.*

4. *Flustra sunt* codices Oxoniensis, Basileensis F III 15[a], Bruxellanus, *frustra sunt* Basileensis F III 15[f], *flustrum* Bambergensis H.I.IV 17.

5. Codices Bambergensis H.I.IV 17 et Bernensis 610 *vel Nevius in bello poni*, addito prius *vel*, omissis deinde *-co sic ait honerariae honustae stabant in flustris ut si diceret in salo*, pro quibus in Bambergensi spatium duodecim elementorum vacuum; in Bernensis margine nota respiciendi (*r* cum lineola) apposita est. *Naevius* Oxoniensis, reliqui *Nevius*.

6. *Pontifico sic* Bruxellanus, *punico sic* Basileenses F III 15[a] et 15[f], *pontico in inscriptione quod* Oxoniensis; restituit *Poenico* Jac. Gronovius.

7. Codex Oxoniensis *ac*.

8. Codex Oxoniensis *sola*.

9. Codex Monacensis om. *quam*.

10. *Greci* codex Tricassinus fol. 56 v°, teste H. d'Arbois de Jubainville.

Hic fortasse Festus et ipse Naevii poetae versum afferebat; quod fecerat sine dubio Verrius Flaccus, ex quo ut agnovit O. Mueller sua Tranquillus sumpsit ille ab Isidoro laudatus, scilicet Suetonius.

Saturnius integer hic est Naevii poetae. *Honerariae* propter arsin synaloepham non patitur. Thesis paenultima sublata est.

Hone|rari|ae ho|nustae| stabant| in| flustris.

Isidorus[1] Hispalensis, Origines, 6,8,12, ex codicibus Parisiensibus latt. 7582 saec. IX fol. 98 v°, 10291 saec. IX fol. 34 v°, 10292 saec. IX fol. 53 v°, 7583 saec. X fol. 55 v°, 7584 saec. X fol. 40 v°, 7670 saec. X fol. 80 v°, 10293 saec. X fol. 59 r°, 14085 saec. X fol. 58 v°, 17159 saec. X fol. 31 r° :
« Primus autem praecepta apud Hebr[a]eos[2] Moyses scripsit[3],
» apud Latinos[4] MARCIUS[5] vates primus PRAECEPTA[6]
» composuit[7]. Ex quibus est illud: POSTREMUS DICAS, PRIMUS
» TACEAS[8].

Marciorum vatum reliqua fragmenta (falsa an genuina, nihil refert) cum saturnio metro concepta sint, etiam hoc pro frustulo saturnii versus habebimus. Aut exitus est versus:

1. Vulgo laudant grammaticum incertum, ex codice Mallii Theodori Guelferbytano (supra p. 312), in Heusingeri editione Mallii Theodori anni 1755 p. 94 (quam non vidi) inque editione anni 1766 p. 95. Ibi pro *dicas* positum est *loquaris*.

2. *Hebreos* codices quos vidi; e altera caudata in solo 14085.

3. *Scribit* codex 7584.

4. *Latin'* (id est *latinus*) codex 7584.

5. *Marcius* codices 7582, 7670, 10293, 14085, 17159, *Martius* 10291, 10292, 7583, 7584.

6. *Precepta* codices 10292, 7670.

7. *Conposuit* codices plerique, *composuit* 7583, 10293, praepositio per notam expressa in codicibus 7584, 17159.

8. *Taces* supra scripta *a* codex 7670. — In codice 7584 in fine versus vates p[i], altero versu *trem' dica prim a staceas*.

...|......|.. po|stremus| dicas|, primus| taceas,

aut, quod magis probaverimus, versus est initium:

Po|stremus| dicas|, primus| taceas|....|........;

in quarta enim sede trochaeus fere purus est, nisi paenultima thesis tollatur (supra p. 181).

Isidorus Hispalensis, Origines 19,4,9 ex codicibus Parisiensibus latt. 13028 saec. VIII fol. 90 v°, 10291 s. IX fol. 215 r°, 13027 s. IX fol. 93 r°, 7583 s. X fol. 185 v°, 7584 s. X fol. 124 v°, 10293 s. X fol. 189 r°, 14085 s. X fol. 209 v°, 17159 s. X fol. 84 r° : « *Struppi*[1] vincula loro vel lino facta » quibus remi ad scalmos[2] alligantur[3]. De quibus LIVIUS[4]: » TUMQUE[5] REMOS[6] JUSSIT RELIGARE[7] STRUPPIS[8] ». Ex Homero, ut volunt, β 422 et ο 287: Τηλέμαχος δ' ἑτάροισιν ἐποτρύνας ἐκέλευσεν Ὅπλων ἅπτεσθαι.

Deligare quo jure Arevalus exhibeat nescio; hoc ad metrum melius conveniret quam *rĕligare*. Sed nihil impedit, quominus credamus a Livio Andronico, quamquam is *religare*

1. *Stru*pi* una littera erasa codex 13028, *struppi* manuque posteriore *a* pro *i* codex 10291, *struppi* codices 13027, 7583, 10293, 17159, *strupi* 14085, *strupi* supra scripta *p* codex 7584.

2. *Scalmus* codex 13027, *iscalmos* 7583.

3. Cf. Vitruvius 10,8,6 p. 254,18 Rose : « remi circa scalmos *strophis* religati ». C. Gracchus apud A. Gellium 10,3,5 : « *stuppis* quibus lectica deligata erat ». *Aligantur* codex 13027.

4. *Libius* codices 10291, 7583, *Li*vius* una littera erasa codex 7584.

5. *Tuncque* codex 10293. Quod vix pronuntiari possit.

6. *Remus* codex 13027.

7. *Religari* codex 7583. *Deligare* editio Arevali.

8. *Strup* in rasura codex 10291, *pis* extra rasuram. In codice 7584 rasura inter *strup* et *pis*. 17159 *stuppis*.

scripserit, pronuntiatum esse *relligare*. Nam Romani tunc temporis in scribendo consonantes non geminabant[1].

Sed hoc ipsum ambigitur, utrum Andronici re vera nostrum fragmentum sit; nam Homeri locus qui cum eo collatus est haud ita bene convenit. Itaque non spernendum est quod adnotavit Godofredus Hermann in *Elementis doctrinae metricae* pag. 620 : « Petrus tamen Scriverius » in exemplo Collectaneorum suorum, quod possideo, ad p. » 6 de h. l. haec adscripsit: *haec Livii Patavini esse, non* » *Andronici, persuadet amicus noster eruditiss. Io.* » *Isac. Pontanus. Vide eius Epistolam* ». Tamen cum voces ab Isidoro laudatae sponte in formam saturnii coeant, argumentum praeterea minus historiae aptum videatur quam epico carmini, nos hoc fragmentum post multos alios in Odyssea barbara recepimus :

Tum|que re|mos| jussit| re|l|li|gare| struppis.

Rĕligare si servassemus, caesura Korschiana hemistichium alterum non careret; sed parum placet gemina detractio thesis :

Tum|que re|mos| jussit| religa|re| struppis.

Isidorus Hispalensis, Origines 19,22,20 ex codicibus Parisiensibus latt. 13028 saec. VIII fol. 105 r°, 10291 s. IX fol. 221 r°, 13027 s. IX fol. 102 v°, 7583 s. X fol. 190 r°, 7584 s. X fol. 128 r°, 10293 s. X fol. 194 r°, 14085 s. X fol. 214 v°, 17159 s. X fol. 87 v°: « *Citrosa* quasi concrispa[2]

1. Cave autem putes *relligare* a Livio scribi debuisse. Nam in senatus consulto de Bacchanalibus pro *occulto* legitur *oquoltod*, non *ohquoltod*; in aliis titulis vide Huebneri Indicem in C.I.L. I p. 602 *adiciat* non *addic.*, *atingat* non *adt.*, *difeidens* non *disf.*, *ocludito*, *oficeis*, *opidum*, *oqupatum*, *poloucta*, *refere*, *sufragium*, *surupuerit*.

2. Quae sequuntur omissa sunt in codice 7583.

» ad similitudinem citri. N[A]EVIUS[1] : PULCHRAQUE[2] EX[3] » AURO[4] VESTEMQUE CITROSAM[5]. » Macrobius, Saturnalia 3,19,5 ex codice Parisiensi 6371 fol. 55 r° b : « Hinc et » N[A]EVIUS poeta in BELLO PUNICO ait CITROSAM VE- » STEM. » Festi epitome p. 42 Mueller : « *Citrosa* vestis appel- » lata est a similitudine citri. »

Positum pro *pulchra* ab Arevalo *pulchram*, quod quantum sciam omnes editores servaverunt, sensu haud minus quam ipsum *pulchra* caret. Terminatio *-am* si reponi debet, licet conjicias *caluptram*, quod genus quoddam mitrae fuit, graece καλύπτραν. Ex Naevio poeta igitur, nisi fallor, ductum est illud in epitome Festi p. 47 Mueller « *Caliptra* genus » est vestimenti quo capita operiebant », quodque in « *Isidori glossis*[6] » collato Festi loco emendatum est « *Calestra* » genus mitrae ». Propter arsin *vestemque* et fortasse *caluptramque* producitur :

Ca|*lup*tram|que ex| auro| }
Ca|*lup*tramque| ex| auro| } vestem|que ci|trosam.

Scriptor de dubiis nominibus p. 591,12 Keil. Vide locum Festi p. 317 (supra p. 303).

Scholia in Persium 3,16[7] ex editione Jahnii anni 1843 :

1. *Citrinevius* codex 10293, *citrine hujus* 13027, 17159, *citrine huî* 7584, *citrinae. Nevius* 10291, *citri. Nevius hᵛius* (sed *Nevius hᵛ* in rasura) 13028, *citri. Nevius hujus* 14085.

2. *Pulchramque* editio Arevali, *pulchraque* codices 13028, 13027, 14085, idem per e caudatam 7584, 17159, *pulchroque* 10291, *pulcreq* 10293.

3. *Ex* omissum in codice 7584.

4. *Auro c vestemque* codex 13027. De littera *c* similiter inter binas voces addita vide Aemilium Chatelain, *Revue de philologie*, 1877, p. 159.

5. *Citrose* correctum in *-a* per manum posteriorem codex 7584, *citroso* 17159.

6. Hae glossae *Scaligeri* dici deberent potius quam Isidori. Videatur Gustavi Loewe *Prodromus corporis glossariorum latinorum* p. 37.

7. Hic locus ex iis unus est, quos a Scaligero excerptos primus Pithoeus edidit; quae *Glossae Pithoeanae* vocantur.

« quae infantibus, ut dormiant, solent dicere saepe:
» LALLA, LALLA, LALLA, AUT DORMI AUT LACTE[1]. »

Saturnius fortasse hic versus est :

Lal|la lal|la| lalla| { aut dor|mi aut| lacte.
aut dormi| aut| lacte.

---

1. Haec Persius 3,16 ss. : « At cur non potius, teneroque columbo Et similis regum pueris, papare minutum Poscis et iratus mammae lallare recusas». Ubi scholiasta: «...nobilium puerorum... voces mutilas imitaris, ut *pappare* pro comedere et *lallare* pro velle dormire ».

LIBER ALTER

DE RELIQUIIS

§ I. — Carmina Saliorum et carmen fratrum Arvalium.

Carmina Saliorum.

Testimonia.

De Numa Pompilio auctore.

Varro, De lingua latina 7,3 Mueller : « *At*[1] hoc quid ad verborum » poeticorum aetatem? quorum si Pompili regnum fons in carminibus » Saliorum, neque ea ab superioribus accepta, tamen habent DCC » annos. Quare quor scriptoris industriam reprehendas qui herois » tritavum, atavum non potuerit reperire, quom ipse *t*ui[2] tritavi

1. Codex *ad*.

2. Traditur *avi* (*aui*); *tui* editiones veteres, quam emendationem editores recentiores injuria contempserunt; nam de permutatis *a* et *t* litteris vide supra p. 250 adnot. 2.

» matrem non possis dicere? quod intervallum multo tanto propius » nos quam hinc ad initium Saliorum, quo Romanorum prima verba » poetica dicunt latina. »

Cicero, De oratore 3,51,197 : « Nihil est autem tam cognatum » mentibus nostris quam numeri atque voces; quibus et excitamur » et incendimur et lenimur et languescimus et ad hilaritatem » et ad tristitiam saepe deducimur; quorum illa summa vis carmini- » bus est aptior et cantibus, non neglecta ut mihi videtur a » Numa rege doctissimo majoribusque nostris, ut epularum sol- » lemnium fides ac tibiae Saliorumque versus indicant, maxime autem » a Graecia vetere celebrata. »

Horatius, Epistul. 2,1,86 : « saliare Numae carmen. » Cf. infra p. 407.

T. Livius 1,20,4, de Numa : « Salios[1] item xii Marti Gradivo » legit.....; caelestiaque arma quae *ancilia* appellantur ferre, ac » per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu » jussit. »

Quintilianus, 1,10,20 : « Sed veterum quoque Romanorum epulis » fides ac tibias adhibere moris fuit; versus quoque Saliorum habent » carmen. Quae cum omnia sint a Numa rege instituta, faciunt mani- » festum, ne illis quidem qui rudes ac bellicosi videntur curam » musices quantam illa recipiebat aetas defuisse. »

Terentius Scaurus p. 28,9 Keil (cf. supra p. 244) : « ut Numa in » saliari carmine. »

Diomedes p. 476,15 Keil, de spondio : « Numam Pompilium[2] » †divinare[3] praeditum hunc pedem *pontificium* appellasse memorant, » cum Salios juniores aequis gressibus circulantes induceret[4] [*et*] » spondeo melo patrios placaret indigetes. »

1. Codex Parisiensis lat. 5725 *alios*, in margine *salios*.

2. Codex Parisiensis lat. 7494 fol. 97 r° *pampilium*. In codice 7493 totus locus deest : magnus enim inter folia 82 et 83 hiatus.

3. Post *divinare* spatium in codice Parisiensi 7494.

4. *Inducere* codex Parisiensis 7494.

Contra Festus p. 329 Mueller : «... Polemon ait Arcada quendam » fuisse nomine *Salium* quem Aeneas a Mantinea in Italiam de- » duxerit, qui juvenes Italicos ἐνόπλιον[1] saltationem docuerit. At » Critolaus Saonem ex Samothrace, cum Aenea deos penates qui » Lavinium transtulerit, saliare genus saltandi instituisse... » — Conferantur Plutarchus, Numa 13, et pseudo-Servius in Vergilii Aeneida 8,285 (supra p. 217).

De sermone pervetusto et obscuro.

Varro, De lingua latina 7,2. Vide infra p. 408.

Horatius, Epistul. 2,1,85 : « Jam saliare Numae carmen qui lau- » dat, et illud Quod mecum ignorat solus volt scire videri, Ingeniis » non ille favet plauditque sepultis, Nostra sed inpugnat, nos nostra- » que lividus odit. »

Quintilianus 1,6,40, de verbis a vetustate repetitis : « Sed opus » est modo ut neque crebra sint haec nec manifesta, quia nihil est » odiosius adfectatione, nec utique ab ultimis et jam oblitteratis repe- » tita temporibus, qualia sunt *topper* et *antegerio* et *exanclare* et » *prosapia* et Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intel- lecta. ».

Julius Capitolinus, M. Antoninus Philosophus 4 : « Octavo aetatis » anno in Saliorum collegium [*Hadrianus Marcum*] rettulit.... Fuit » in eo sacerdotio et praesul et vates et magister, et multos inaugu- » ravit atque exauguravit nemine praeeunte, quod ipse carmina » cuncta didicisset. »

Symmachus, Epistul. 3,44 : « Vis epistulis nostris more majorum » nuda nomina praeferantur? Si tibi vetustatis tantus est amor, par » studio in verba prisca redeamus quibus Salii canunt et augures » avem consulunt et decemviri tabulas condiderunt. »

1. Codex εναπαιον.

Sidonius Apollinaris, Epistul. 8,16 : « Unde enim nobis illud » loquendi tetricum genus ac perantiquum? unde illa verba saliaria » vel sibyllina vel Sabinis abusque Curibus accita, quae magistris » plerumque reticentibus promptius fetialis aliquis aut flamen aut » veternosus legalium quaestionum aenigmatista patefecerit? »

De studiis L. Aelii Praeconini Stilonis.

Varro, De lingua latina 7,2 Mueller : « Aelii, hominis in primo in » litteris latinis exercitati, interpretationem carminum Saliorum vi- » debis et exili littera expedita[*m*], et praeterita obscura multa. »

Festus p. 141 Mueller, ex codicis apographis (cf. supra p. 246) : « Idem Aelius in explanatione carminum saliarium. » — P. 146, ex codicis apographis (cf. supra p. 245) : « *Manuos* in carminibus » †saecularibus Aelius Stilo significare ait bonos », ubi Epitome : » *Manues* Aurelius significare ait bonos. » — P. 210, ex codicis apographis (supra p. 247) : « *Pescia* in saliari carmine Aelius Stilo dici » ait.... » — P. 329, ex ipso codice : « *Salias* virgines Cincius ait esse » conducticias, quae ad Salios adhibeantur cum apicibus paludatas; » quas Aelius Stilo scribsit sacrificium facere in Regia cum Pontifice » paludatas cum apicibus in modum Saliorum. »

De argumento carminum.

Festi epitome p. 3 Mueller : « *Axamenta* dicebantur carmina Salia- » ria[1], quae a Saliis sacerdotibus canebantur[2] in universos †homines » composita, nam in deos singulos versus facti[3] a nominibus eorum » appellabantur, ut *Januli*, *Junonii*, *Minervii*[4]. »

Macrobius, Saturnalia 1,12,12 ex codice Parisiensi 6371 fol. 36 r° b : « Sed Cingius in eo libro quem de festis reliquit ait imperite quos- » dam opinari aprilem mensem antiquos a Venere dixisse, cum nullus » dies festus nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem » a majoribus institutum sit, sed ne in carminibus quidem Saliorum » Veneris ulla ut caeterorum caelestium laus celebretur. »

1. *Salaria* teste Roserot codex Tricassinus.
2. Traditur *componebantur*. Sic etiam codex Tricassinus.
3. *Facti* codex Monacensis; Guelferbytanus et Tricassinus *ficti*.
4. *Minervi* codex Tricassinus.

De modo canendi.

Cicero, De oratore 3,51,197 (cf. supra p. 406).

T. Livius 1,20,4 (cf. supra p. 406) : « ... per urbem ire canentes » carmina cum tripudiis sollemnique saltatu... »

Horatius, Carm. 4,1,28 : « In morem Salium ter quatient humum. »

Quintilianus 1,10,20 (cf. supra p. 406) : « versus quoque Saliorum » habent carmen. »

Diomedes p. 476,15 Keil (cf. supra p. 406).

De additamentis tempore principum factis.

Cassius Dio 51,20, de Augusto : « ... ἔς τε τοὺς ὕμνους αὐτὸν ἐξ ἴσου » τοῖς θεοῖς ἐσγράφεσθαι... ». Monumentum Ancyranum, lat. 2,21 et graec. 5,16 : « [...*incl*]usum est in saliare carmen ... T[ὸ ὄνομά μο]υ συνκλήτου δόγματι ἐνπεριελήφθη εἰς [τοὺ]ς Σαλίων ὕμνους. ».

Tacitus, « Annal. » 2,83 : « Honores, ut quis amore in Germanicum » aut ingenio validus, reperti decretique : ut nomen ejus saliari » carmine caneretur... » Cujus senatus consulti fragmenta habes in Corpore inscriptionum latinarum t. VI n° 911.

Tacitus, « Annal. » 4,9 : « Memoriae Drusi eadem quae in Ger» manicum decernuntur, plerisque additis... » Senatus consulti fragmenta in Corpore inscriptionum latinarum t. VI n° 911.

Julius Capitolinus, M. Antoninus Philosophus 21 : « Sub ipsis » profectionis diebus... filium nomine Verum... septennem amisit. » Quem non plus quinque diebus luxit... ; et quia ludi Jovis Optimi » Maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit, jussitque ut » statuae tantummodo filio mortuo decernerentur et imago aurea » circensibus per pompam ferenda, et ut saliari carmini nomen » ejus insereretur. »

Fragmenta (vide supra pp. 243 ss.).

Ex Varrone, numeris adhuc ignotis (supra pp. 243 s., 249 ss.).

Cozev*i*, *a*doriose, †omnia vero ad ; patul*ti*, oe*nus*
[Sensus :] *Consivi, adoriose, ... tod ; Patulti, unus*

es ; jancus, Jan[*e*], es ; dvonus Cerus es ; †dun; Janus
es ; janitor, Jane, es ; bonus Cerus es ; .... Janus

†vevet ; po meliose *i*m recum........
...... ; « potissimum », meliorem eum regum ....

Ex Varrone (supra pp. 244, 250 s.).

Divum em p*a* cante, divum deo supplic*a*te.
Divorum eum patrem canite, divorum deo supplicate.

Ex Scauro (supra pp. 244, 252 s.).

Cume *t*onas, Leuce*tie*, prai̇̈ tet tremonti
Cum tonas, Luceti, praetremunt te

Quot[i] ibe tet *viri* *audeïsunt* tonare.
quot ibi te viri audierunt tonare.

Ex Varrone, Festo et Servio.

Alesus[1].
. . . . . (p. 247).

asenam[1].
arenam (p. 244).

Cerus manus[1].
Cerus bonus (p. 245).

f[*o*]edesum.
foederum (p. 244).

insecta[1] caro[1].
insecta caro (p. 247).

Lucia Volaminia.
. . . . (p. 249)

1. Ubi hic numerus «[1]» appositus, ignoratur utrum ipsa forma an alius ejusdem vocis casus in carminibus steterit.

manuos[1] *vel* manues[1].
bonos (p. 245).

molucrum[1].
molucrum (p. 246).

pen(n)atas[1], impen(n)atas[1], agnas[1]
cum aristis, sine aristis, spicas (p. 255)

? perfines.
perfringas (p. 246).

pescia[1].
capitia (p. 247).

? pesnis[1].
pennis vel potius *penis* (p. 254).

? petilam suram[1].
. . . . . . p. 246.

pilumnoe poploe.
. . . . . . *populi* (nom. pl., p. 246).

plisima.
plurima (pp. 244 ss., p. 249 adn. 4).

? polet.
pollet (p. 245).

? praeceptat.
saepe praecipit (p. 245).

? praedopiont.
praeoptant (p. 254).

? privicloes.
* *priviculis* (p. 246).

promeneruat.
« *promonet* » (p. 254).

? promerion.
. . . . . . (p. 246).

p[*ro*] olteo.
pro ulteriore (p. 245).

prospices.
prospice (p. 245).

Sateurnus[1].
Saturnus (pp. 253 s.).

« Extremo carmine », ex Ovidio et aliis (supra pp. 247 s.).

Mamuri veturi.
. . . .

---

1. Ubi hic numerus «[1]» appositus, ignoratur utrum ipsa forma an alius ejusdem vocis casus in carminibus steterit. — Ubi hoc signum « ? » appositum, non aperte dicitur apud Festum vocem laudatam ex carminibus Saliaribus esse haustam. Tamen nullam formam hic attulimus, de cujus fonte judex cautus dubitare possit.

Carmen
vel melius versiculi singulares
fratrum Arvalium,

ex lapide anni post Christum natum 218 (supra p. 218).

E nos, Lases, juvate. (*Ter*).
[Sensus:] *E! nos, Lares, juvate.*

Ne velueris[1], Marmars[2], incurrere[2] in pleoris. (*Ter*).
[Sensus:] *Ne volueris, Mamers, incurrere in plures.*

Satur fu, fere [*Mar*]mars; *nive*[3] ensali; sta... (*Ter*).
[Sensus:] *Satur esto, fere Mamers; neve insili; sta....*

Semunis alternei advocapit conctos. (*Ter*).
[Sensus:] ?*Semones alterne advocabit cunctos.*

E nos, Marmars[4], juvato. (*Ter*).
[Sensus:] *E! nos, Mamers, juvato.*

Triŭmpe, triŭmpe, triūmpe,
Triŭmpe, triŭmpe, [*triūmpe*].

[Sensus:] *Triumphe.*

1. Traditur *uelueruε.*

2. Traditur *Marmarsinsincurrere.* — P. 218 debebamus *Marmars* non per *Mars,* verum per *Mamers* exprimere. Quod teste Festo in epitome p. 131 Mueller osce pro *Mars* dicebatur. *Mamers* (per *a*, puto, productam, ut *Māmercus* et *Māmertinus*) ex *Mărmărs* factum (cf. *pēdo* ex *pĕrdo,* graece πέρδω, et supra pp. 26 s. exempla vocalis *ă* in *e* mutatae). At *Mars* ortum est ex *Māvors* atque ante *r* vocalem servat productam ut ostendunt apices, C.I.L. I el. XXII p. 283, Inscr. regni Neapolit. 2189, Wilmannsii Exempl. inscriptionum 2210, C.I.L. V 7430.

3. Traditur *Marslimensali.*

4. Traditur *Marmor.*

§ 2. — Vaticinia.

Testimonia de vatibus.

De Fauno seu Faunis et de Carmenti.

Ennius apud Ciceronem in Bruto 19,76 et 18,71, de Naevio: « Scri- » psere alii rem Vorsibus quos olim Fauni vatesque canebant Cum » neque Musarum scopulos quisquam superarat Nec dicti studiosus » erat. » Ipse Cicero 19,75 : « ...illius, quem in vatibus et Faunis » annumerat Ennius, Bellum Punicum... » — Varro, De lingua latina 7,36 Mueller (Varronem Servii interpolator laudat, supra p. 256) : « *Versibus quos olim Fauni vatesque canebant.* Fauni dei Latinorum, » ita ut Faunus et Fauna sit. Hos versibus quos vocant Saturnios » in silvestribus locis traditum est solitos fari futura, a quo fando » Faunos dictos. » — Festus p. 325 Mueller: « Versus quoque anti- » quissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Satur- » nii appellantur. » — Ennii versus *Versibus ...canebant* laudatur etiam a Cicerone, (De div. 1,50,114 [cf. infra] et Orator 51,171), vocesque *Fauni vatesque canebant* a Quintiliano 9,4,115; praeterea Varronem et judice Vahlen Festum expilavit scriptor libelli De orig. gentis rom. cap. 4 (supra p. 256). De Ennii testimonio vide infra p. 432. — Plutarchus, Quaestt. rom. 56: ἐμμέτρους δὲ χρησμοὺς ᾄδουσαν, ὑπὸ τῶν Λατίνων Καρμένταν ὀνομάζεσθαι· τὰ γὰρ ἔπη κάρμινα καλοῦσιν, etc. Similia alii scriptores.

De Marciis et Publicio.

Cicero, De divinatione 1,40,89 : « Quid? Asiae rex Priamus » nonne et Helenum filium et Cassandram filiam divinantes habebat, » alterum auguriis, alteram mentis incitatione et permotione divina? » quo in genere Marcios quosdam fratres nobili loco natos apud » majores nostros fuisse scriptum videmus. » 1,50,114 s. : « Multos » nemora silvaeque, multos amnes aut maria commovent, quorum » furibunda mens videt ante multo quae sint futura; quo de genere » illa sunt : *Eheu videte, judicabit inclitum judicium inter deas tris » aliquis, quo judicio Lacedaemonia mulier furiarum una adveniet.* » Eodem enim modo multa a vaticinantibus saepe praedicta sunt, » neque solum verbis sed etiam *Versibus quos olim Fauni vatesque » canebant.* Similiter Marcius et Publicius vates cecinisse dicuntur, » quo de genere Apollinis operta prolata sunt... ». Ibid. 2,55,113 : « Eodemque modo nec ego Publicio nescio cui nec Marciis vatibus » nec Apollinis opertis credendum existimo, quorum partim ficta » aperte, partim effutita temere, numquam ne mediocri quidem » cuiquam, non modo prudenti, probata sunt. »

Horatius, Epistul. 2,1,26 : « Annosa volumina vatum ». Ibi Porphyrio : « Veteris Marcii vatis Sibyllaeque et similium ».

T. Livius 25,12,2 ss. (cf. supra p. 270), anno ab urbe condita 542, ante Christum natum 212 : « Religio deinde nova objecta est ex » carminibus Marcianis. Vates hic Marcius inlustris fuerat, et cum » conquisitio priore anno ex sc. talium librorum fieret, in M. Aemilii » pr. urbani qui eam rem agebat manus venerant; is protinus novo » praetori Sullae tradiderat. Ex hujus Marcii duobus carminibus » alterius post rem factam editi comprobata auctoritas eventu alteri » quoque, cujus nondum] tempus venerat, adferebat fidem...»

Plinius, Natur. histor. 7,33,33,119 : « Divinitas et quaedam caeli» tum societas nobilissima ex feminis in Sibylla fuit, ex viris in » Melampode apud Graecos, apud Romanos in Marcio. »

Festus p. 165 Mueller (cf. supra p. 297) : « *Negumate* in carmine Cn. » Marci vatis ». — P. 326 (cf. supra p. 272), de Verrio : « Refert Sinni » Capitonis verba, quibus eos ludos Apollinares Claudio et Fulvio » cos. factos dicit, ex libris Sibyllinis et vaticinio M. vatis institutos. »

Servius in Vergilium, ex cod. Paris. lat. 7959 folio 155 recto. Aeneid. 6,70 (cf. supra p. 272) : « Ludos Apollinares[1], qui secundum quosdam » bello punico secundo instituti sunt, secundum alios tempore Syl» lano[2], ex responso Marciorum fratrum, quorum exstabant[3] Sybil» lina responsa ». — 6,72 : « Qui libri in templo Apollinis servaban» tur : nec ipsi tantum, sed et Marciorum et Begoes[4] nymphae... »

Macrobius, Saturnalia 1,17,28 (supra p. 271) : « Fertur autem in » carminibus Marcii vatis, cujus duo volumina inlata sunt in sena» tum, inventum esse.... »

Symmachus, Epistul. 4,34 : « Itane me ludos facis, ut quae apud » te incuriosius loquor in stili caudices aut tiliae pugillares censeas » transferenda, ne facilis senectus papyri scripta corrumpat? » Et Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata » est; monitus Cumanos lintea texta sumpserunt : tu etiam sericis » voluminibus Achemenio more infundi litteras meas praecipis? »

1. *Dicit* addit ed. Danielina cum codice Parisiensi 7929 et cod. Cassellano.
2. In margine additur *sybillano*.
3. *Ut* addit ed. Daniel. cum cod. Paris. 7929 et codice Cassellano.
4. *Bygois* ed. Daniel. cum cod. Paris. 7929.

Vaticinia Marciis attributa.

Marcii, ex T. Livio (supra p. 270).

Amnem, Trojugena[1], fuge Cannam, ne te alienigenae
Cogant manus[2] in campo Diomedis conserere.
Sed neque credes tu mihi, donec compleris sangui[3]
Campum, milliaque multa[4] occisa tua
[*Citu'*] deferet amnis in pontum magnum
Ex terra frugifera; piscibus atque avibus
Ferisque quae incolunt terras, iis fuat esca
Caro tua; nam mihi ita Juppiter fatust[5].

Marcii, ex T. Livio et Macrobio (supra p. 271).

In hoc carmine thesis cujusque versus paenultima sublata est.

Hostem[6], Romani, si ex agro[6] pellere[7] vultis,
Vomicam quae gentium venit [*ea*] longe,
Apollini vovendos censeo[8] ludos.
[9] Quotannis comiter Apollini fiant;
Cum[*e*] populus dederit ex publico partem,
Privati uti conferant pro se[*d*] atque suis[10];
Iis[11] ludis faciendis praeerit[11] praetor
Qui jus populo plebeique is[12] dabit summum;
Decemviri graeco ritu hostiis[13] faciant.
Hoc si recte facitis[14], gaudebitis semper
Fietque res melior[15], nam is divus exstinguet
Vestros qui campos pascunt placide perdvelles[16].

1. Traditur *Trojugena Romane fuge.*
2. Traditur *alienigenae cogant in campum Diomedis conserere manus.*
3. Traditur *sanguine.* 4. Trad. *multaque millia.* 5. Trad. *fatus est.*
6. Livius *hostis.* Idem omittit *ex agro.* 7. Traditur *expellere.*
8. Macrobius *censeo vovendos.* 9. Traditur *ludos qui quotannis.*
10. Voces *cum populus .... pro se atque suis* desunt apud Macrobium.
11. Macrobius *his.* Idem *praeterit.*
12. Liv. *praetor is qui j. p.p. dabit s.*, Macrob. *is praetor qui j.p.p. dabit s.*
13. Traditur *hostiis sacra faciant.* 14. Traditur *facietis.*
15. Macrobius *res publica melior*, Livius *res vestra melior.*
16. Traditur *perdvelles vestros qui vestros campos p. placide.*

Marcii, ex Festo (supra p. 298).

Ne ninculus mederi queat.......

Cn. Marcii, ex Festo (supra p. 297).

Quamvis *n*oventium[1] dvonum negumate.

Marcii, ex Isidoro (supra p. 399).

... postremus dicas, primus taceas.

Reliqua vaticinia.

Ex T. Livio (supra p. 263).

Romane, aquam Albanam cave lacu contineri,
Cave in mare manare suo flumine si*ris*[2];
Manu emissam per agros rigabis [*rivis rite,*
Rite] disque[3] sipatam rivis exstingues :
Tum tu insiste audax hostium muris,
Memor, quam per tot annos obsides urbem,
Ex ea tibi, his quae nunc panduntur fatis,
Victoriam datam; *dü*ello[4] perfecto
Donum amplum victor ad mea templa portato,
Sacraque patria, quorum o[*m*]missa[5] cura,
E*a*[6] in[*du*]staurata, ut assolet, facito.

Ex Suetonio (supra p. 390).

. . . . orietur
Quandoque Hispania princeps dominusque rerum[7].

1. Traditur *moventium*. Buecheler *noventium*, id est *nuntium*. V. Addenda.
2. Traditur *sinas*. 3. Trad. *dissipatamque*. 4. Trad. *bello*.
5. Traditur *omissa*, sed pronuntiari debet o[*m*]*missa*, quod vellem supra p. 267 jussissem. Sic apud Plautum *po*[*l*]*lentarium* Curc. 2,3,16; *cu*[*c*]*culus* (graece κόκκυξ per duplex κ) Trin. 2,1,19. Nam *omitto* ex *ommitto* factum est ut *mamilla* ex *mammilla*, *ofella* ex *offella; farina, curulis* ex *farrina, currulis; quasillus, pusillus*, ex *quassillus*, *pussillus; cotidie* ex *cottidie* et *coturnix* ut puto ex *cotturnix; oportet* ex *opportet; aperio, operio* ex *apperio, opperio;* ne de *hodie* pro *hoddie* loquar (Mémoires de la société de linguistique IV p. 229) et de *idem* pro *iddem*. 6. Traditur *est*.
7. Traditur oratione obliqua : *oriturum qu. ex Hisp. princ. dominumque r.*

§ 3. — Carmina sepulcralia et votiva.

Carmina sepulcralia.

A. — Elogia Scipionum et Calatini.

Scipionis Barbati titulus vetustior, in lapide erasus (supra p. 224).

[*Honc oino ploirume cosentiont Romai*
Dvonoro optumo fuise viro.]

L. Scipionis, Barbati f., titulus, ex lapide (supra p. 221).

Honc oino ploirume cosentiont R[*omai*]
Dvonoro optumo fuise viro,
Luciom Scipione, filio[1] Barbati.
Consol, censor, aidilis hic fuet a[*pud vos*].
Hec cepit Corsica Aleriaque urbe [*clasid*].
Dedet Tempestatebus aide mereto[*d votam*].

Calatini titulus, a Cicerone bis laudatus (supra p. 222).

Un*um* complurimae[2] consentiunt gentes
Populi primarium fuisse virum.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

1. Lapis *filios*.
2. *Uno cum plurimae* codices Quaestt. Tuscul., *unicum plurimae* codd. Catonis majoris.

Scipionis Barbati titulus recentior, ex lapide (supra p. 228).

Cornelius Lucius Scipio Barbatus,
Gnaivod patre prognatus, fortis vir sapiensque,
Quojus forma virtutei parisuma fuit,
Consol, censor, aidilis quei fuit apud vos;
Taurasia, Cisauna Samnio cepit.
Subigit omne Loucanam opsidesque abdoucit.

P. Scipionis Africani majoris laus Ennio attributa, ex Trebellio Pollione (supra p. 391).

. . . .
Quantam statuam faciet [*tibi*] populus romanus,
Quantam columnam, quae res tuas gestas loquatur?
. . . .

P. Scipionis P. f. titulus, ex lapide (supra p. 230).

[versus recentior :]
Quei apice insigne dialis flaminis gesistei,
[versus vetustiores :]
Mors perfecit tua, ut essent omnia brevia,
Honos, fama virtusque, gloria atque ingenium.
Quibus sei in longa licuiset tibe utier vita,
Facile facteis superases gloriam majorum.
Qua re lubens te in gremiu, Scipio, recipit
Terra, Publi, prognatum Publio, Corneli.

L. Scipionis Cn. f. Cn. n. titulus, ex lapide (supra p. 231).

Magna sapientia multasque virtutes
Aetate quom parua posidet hoc saxsum,
Quoiei vita defecit, non honos, honore.
Is hic situs, quei nunquam victus est virtutei.
Annos gnatus *viginti*[1] is l[*oc*]eis mandatus:
Ne quairatis honore, quei minus sit mandatus.

1. Lapis xx.

Ignoti Scipionis titulus, ex lapide (supra p. 232).

. . . . s.
. . . . [Sci]pionem.
. . . . [qu]oad veixei.

B. — Incerti ducis titulus, opus fortasse Naevii poetae,
ex Diomede et Atilio (supra pp. 314 s.).

Summas opes qui regum regias refregit.

Naevii poetae a se compositum titulum vide infra p. 439.

C. — M. Caecilii titulus, ex lapide (supra p. 237).

Hoc est factum monumentum Maarco Caicilio.
Hospes, gratum est, quom apud meas restitistei seedes.
Bene rem geras et valeas, dormias sine qura.

D. — Eurysacis et uxoris tituli,
ex saturniorum frustulis male conflati,
ex lapidibus (supra p. 237).

Est hoc monimentum Marcei Vergilei Eurysacis,
pistoris redemptoris : apparet.

Fuit Atistia uxor mihei ; femina opituma veixsit;
Quojus corporis reliquiae quod superant sunt in hoc panario.

Unde talia reficere licet :

Est hoc monimentum. . . . .

Fuit uxor mi; femina optuma veixsit;
Quojus reliquiae quot superant sunt in hoc [*sepulcro*].

E. — Alia carmina sepulcralia,

ex lapidibus (supra p. 239).

Quojus forma..... vicerunt mores,
Fi.......... ....

.... heic sepulta est,
Amantissuma suis, fide maxsuma, pia.

Heis sunt duo concordes ....

Rogo te, mi viator, noli mi nocere.

Carmina votiva.

A. — Titulus votivus T. Quinctii dictatoris.

Ex T. Livio (supra p. 268).

Jovis pater[1] atque divi omnes hoc dederunt
Ut[*i*] Titus Quinctius dictator. . . . . .
. . . .

Ex Festo (supra p. 268).

. . . .
Trientem tertium pondo coronam aur*i*[2]
. . . . Jovi dedit donum[3].

1. Traditur *Juppiter*.
2. Traditur *auream*.
3. Oratione obliqua traditur *dedisse se Jovi donum*.

B. — Tabulae triumphales.

Glabrionis tabula, ex Caesio Basso (supra p. 316.

Fundit, fugat, prosternit maximas legiones.

Incerti ducis tabula, ex pseudo-Censorino (supra p. 325)

Magnum numerum triumphat hostibus devictis.

Regilli tabula, ex T. Livio (supra p. 280);
versiculus *Dvello....* etiam ex Caesio Basso (supra p. 314).

L. Aemil*i* M. f.[1] cos[2].

Duct*u*[3] auspicio imperio felicitate ejus
Classis regis Antiochi ante Asi*ae*[4] [*litus*],
Inter [*Myonnesum*,] Ephesum, Samu[*m*] Ch[*i*]umque[5],
Inspectante ipso Antiocho, exercitu omni,
Equitatu elephantisque, cum omnibus sociis[6],
Victa, fusa, contusa, [......] fugat*a*[7] est;
Ibique eo die naves longae [*numero*
Demersae, incensae,] captae *duae quadraginta*[8].
Ea pugna pugnata rex Antiochus regnumque
[*Ejusque*.....................]
Dvello magno dirimendo, regibus subigendis,
Caput patrandae pacis haec pugna exeunti[9]:
[.......................]
Ejus rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.

1. Traditur *Aemilio M. Aemilii filio;* dativus ex vicino *exeunti* exortus, cf. adnot. 9. 2. *Cos* om., ex errore post *inspectante* repositum.

3. Traditur *ductuque*, idque post *felicitate* positum.

4. Versiculus inter *elephantisque* et *victa* ex errore pro *cum o. sociis* positus. Traditur *antea sic.* 5. Trad. *Camuchumque.*

6. Voces *cum o. sociis* inter *longae* et *captae* ex errore pro omissis ibi vocibus positae. 7. Trad. *fugataque.* 8. Trad. LXII, sed v. p. 283.

9. *Dvello m. d. r. subigendis* Caesius. Apud Livium verba *dvello magno regibus dirim. caput subigendis patrandae p. h. p. exeunti* ante inscriptionem posita, unde factum ut *Aemilio* et *filio* casu dandi scriberetur.

Gracchi tabula, ex T. Livio (supra p. 287).

Ti. Semproni Gracchi cos.
[*Ductu*] imperio auspicioque legio exercitusque
Populi romani [*ejus*] Sardiniam subegit.
In ea provincia caesa hostium[1] aut capta
Supra octoginta milia, [*opsidesque abducti.*]
Re*d*[2] felicissime gesta, [*insula pacata,*
Sociis populi servatis] adque liberatis,
[*Stipe,*] vectigalibus, [*tributis*] restitutis,
Exercitum [*integrum*] saluomque atque incolumem
Plenissimum praeda domum reportavit.
Iterum triumphans in urbem Romam redi[*i*]t,
Cujus rei ergo hanc tabulam Jovi dedit donum[3].

Mummianae tabulae exemplum corruptum,
ex lapide (supra p. 235).

L. Mummi L. f. cos.
Ductu auspicio imperioque ejus Achaja capta;
Corinto deleto Romam redieit triumphans.
Ob hasce res bene gestas, quod in bello vo*ra*t[4],
Hanc aedem et signu Herc*l*is[5] Victoris imperator
†dedicat.

De D. Junii Bruti Gallaeci tabula ab Accio scripta.

Scholia Bobiensia in Ciceronem Pro Archia 11,27, p. 359 Orelli : « Hic Brutus Gallaecus fuit cognomento ob res in Hispania non » minus strenue quam feliciter gestas. Ejus etiam nomine *****1 poetae » tragici exstat liber qui plurimos versus quos *saturnios* appella- » verunt vestibulo templi Martis superscripsit Brutus. » Ipse Cicero eo loco : « Decimus quidem Brutus, summus vir et imperator, Accii, » amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus » exornavit suorum. » Valerius Maximus 8,14,2 : « Similiter honoratus » animus erga poetam Accium D. Bruti, suis temporibus clari ducis, exti- » tit. Cujus familiari cultu et prompta laudatione delectatus, versibus » ejus templorum aditus, quae ex manubiis consecraverat, adornavit. »

1. Traditur *hostium caesa*. 2. Trad. *rep.* 3. Trad. *donum Jovi dedit.*
4. Lapis *voverat.* 5. Lapis *Herculis.*

C. — Titulus votivus privatus.

Dedicatio Sorana, ex lapide (supra p. 233).

M. P. Vertulejeis C. f.

Quod, re sua difeidens   aspere afleicta,
Parens timens heic vovit,   voto hoc soluto,
Decuma facta poloucta,   leibereis lubentes
Donu danunt Herc*l*ei[2]   maxsume mereto.
Semol te orant, se voti   crebro condemnes.

1. « Spatium in codice non patitur nisi quinque ferme litteras. »
2. Lapis *Hercolei*.

§ 1. — Ap. Claudii Caeci Sententiae.

Ap. Claudius Caecus fuit censor anno ab urbe condita 442, ante Christum natum 312, consul anno 307, consul iterum anno 296; anno 280 et vivebat adhuc et inclitam illam adversus regem Pyrrhum orationem fecit. Laborem sapientiae versibus declarandae non suo Marte suscepisse videtur, verum barbare aut vertisse aut imitatus esse illa Graecorum Χρυσᾶ ἔπη, quae a Pythagora conscripta esse ferebantur[1].

Testimonia de Sententiis.

Cicero, Tusculanae quaestiones 4,2,4: « Mihi quidem etiam Appii » Caeci carmen, quod valde Panaetius laudat epistula quadam quae » est ad Q. Tuberonem, Pythagoreorum videtur. »

Pseudo-Sallustius ad Caesarem 1,1,2 (cf. supra p. 388): « Quod in » carminibus Appius ait... »

Festus p. 317 Mueller (cf. supra p. 302): « In Appi sententis. »

Fragmenta Sententiarum.

Ex Festo (supra p. 302).

[*Magister*, *doceat*] qui animi conpotem esse,
Ne quid fraudis stuprique ferocia pariat.

Ex Prisciano (supra p. 383).

Amicum cum vides, obl*i*scere[2] miserias,
Inimic*is*[3] si es commentus, nec libens aeque.

Ex pseudo-Sallustio (supra p. 388), oratione obliqua :

« *Fabrum esse suae quemque fortunae.* »

Unde talis versus refici potest :

Faber est [*ipse*] suae quisque fortunae.

1. Patin, Études sur la poésie latine I p. 333. Qui igitur Χρυσᾶ ἔπη ab Hierocle collecta aut ab aliis passim laudata edituri vel commentaturi sunt, ad Appianarum Sententiarum fragmenta respiciant oportet.

2. Traditur *obliviscere*. 3. Traditur *inimicus*.

§ 5. — Saturnia Livii Andronici fragmenta.

A. — Odyssea.

Testimonia.

Cicero Brutus 18,71, de Ennio : «...nec mentitur in gloriando, » sic enim sese res habet. Nam et Odyssia latina est sic tamquam » opus aliquod Daedali, et Livianae fabulae non satis dignae quae » iterum legantur. »

Horatius, Epistul. 2,1,69 ss. : « Non equidem insector delendave » carmina Livi Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo Orbi- » lium dictare ; sed emendata videri Pulchraque et exactis minimum » distantia miror, Inter quae verbum emicuit si forte decorum, Si » versus paulo concinnior unus et alter, Injuste totum ducit ven- » ditque poema. »

A. Gellius 18,9,5 (cf. supra p. 333) : « Offendi enim in bibliotheca » Patrensi librum verae vetustatis Livii Andronici, qui inscriptus » est Ὀδύσσεια, in quo...»

Fragmenta.

« Liv. Andr.; — Ὀδ.; — versus primus. »
Ex Gellio (supra p. 333).
α 1 : Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον.

Virum mihi, Camena, insece versutum.

« Liv. Andr. in Od. » Ex Prisciano (supra pp. 380 s.).
α 45 et 81 : Ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη, |ὕπατε κρειόντων.|

Pater noster, Saturni filie . . .

« In Od. vetere », « Liv. in Od. »
Ex Charis. et Prisc. (supra pp. 375 s.).
α 64 : Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων ;
« Livius Andronicus in Od. » Ex Prisciano (supra p. 380).
α 65 : Πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην ;

Mea puer[1], quid verbi ex tuo ore *superat*[2].
Neque enim[3] te oblitus sum, Laertie noster.

« Livius. » Ex Nonio (supra p. 349).
α 136 : Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος,
Νίψασθαι.

Argenteo polubro, aureo et glutro.

« Livius. » Ex Nonio (supra p. 348).
α 224 (et 169, 206 ; praeterea δ 486, θ 572, λ 140, 170, 370, 457, ο 383, π 137, ω 256, 287) :
Ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον.
« Liv. Andr. in I. Odyssiae. » Ex Prisciano (supra p. 381).
α 225 : Τίς δαὶς, τίς δὲ ὅμιλος ὅδ' ἔπλετο ; [τίπτε δέ σε χρέω ;]

Tuque mihi narrato omnia disertim.
Quae haec daps est ? qui festus dies ? . . .

« Livius. » Ex Festo (supra p. 301).
α 248 : Τόσσοι μητέρ' ἐμὴν μνῶνται.

Matrem [*meam*] prŏcitum plurimi venerunt.

« Liv.; — ex 'Οδ. » Ex Gellio (supra p. 331).
β 99 : ....εἰς ὅτε κέν μιν
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

Quando dies adveniet quem profata Morta est.

« Liv. in Od. » Ex Festo (supra p. 299).
β 317 : Ἠὲ Πύλονδ' ἐλθὼν, ἢ αὐτοῦ τῷδ' ἐνὶ δήμῳ.

[*Aut*] in Pylum advenie[*n*]s, aut ibi ommentans.

1. *Puer* Charisius Aelium et Asinium, *puera* Priscianus Varronem secutus.
2. *Ore supra fugit* Priscianus, *ore audio* Charisius.
3. Traditur modo *enim* modo *tamen*.

« Livius. » Ex Isidoro (supra p. 400).
? β 422, ο 287 : Τηλέμαχος δ' ἑτάροισιν ἐποτρύνας ἐκέλευσεν
Ὅπλων ἅπτεσθαι.

Tumque remos jussit re[l]ligare struppis.

« L. Liv. in Od. » Ex Gellio (supra p. 331).
γ 110 : Ἔνθα δὲ Πάτροκλος, θεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος.

Ibidemque vir summus, adprimus, Patr*ic*[*o*]les.

« Liv. in Od. » Ex Prisciano (supra p. 370).
δ 213 : Δόρπου δ' ἐξαῦτις μνησώμεθα, | χερσὶ δ' ἐφ' ὕδωρ — Χευάντων. |
κ 177 : Μνησόμεθα βρώμης, | μηδὲ τρυχώμεθα λιμῷ. |

Atque escas habe[*a*]mus mentionem. . .

« Liv. in Od. » Ex Festo (supra p. 297).
? δ 498 : Εἷς δ' ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέϊ πόντῳ.

Partim errant, nequinont Graeciam redire.

« Livius. » Ex Prisciano (supra p. 374).
δ 557, ε 14, ρ 143 (cf. α 52) : .....νύμφης ἐν μεγάροισι Καλυψοῦς.

Apud nympham Atlantis filiam Calypsonem.

« Liv. in Od. » Ex interpolatore Servii (supra p. 359).
ε 297 : Καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ·

Igitur demum Ulixi cor frixit prae pavore.

« Apud Livium. » Ex Festo (supra p. 299).
? ε 411 : Ἔκτοσθεν μὲν γὰρ πάγοι ὀξέες, ἀμφὶ δὲ κῦμα
Βέβρυχεν ῥόθιον, λισσὴ δ' ἀναδέδρομε πέτρη,
Ἀγχιβαθὴς δὲ θάλασσα.

Celsosque ocris, arüaque putria, et mare magnum.

« Libius in Od. » Ex Diomede (supra p. 354).
ζ 142 : Ἢ γούνων λίσσοιτο λαβὼν εὐώπιδα κούρην.

Utrum genua amploctens virginem oraret.

« Livius. » Ex Charisio (supra p. 351).

ζ 295 : Ἔνθα καθεζόμενος μεῖναι χρόνον, εἰσόκεν ἡμεῖς
Ἄστυδε ἔλθωμεν καὶ ἱκώμεθα δώματα πατρός.

Ibi manens sedeto, donicum videbis
Me carpento vehente *in*[1] domum venisse.

« Liv. in Od. » Ex Festo (supra p. 298).

θ 88 : Δάκρυ' ὀμορξάμενος, κεφαλῆς ἄπο φᾶρος ἕλεσκεν.

Simul ac lacrimas de ore noegeo detersit.

Naevio male adscriptum. Ex Festo (supra p. 306).

θ 138 : Οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι κακώτερον ἄλλο θαλάσσης
Ἄνδρα γε συγχεῦαι, εἰ καὶ μάλα κάρτερος εἴη.

Namque n*ih*ilum[2] pejus macerat h*o*m*o*nem[3]
Quamde mare saevum; vir[*es*] et cui sunt magnae,
Topper [*virum*] confringent inportunae und[*a*]e.

« Liv. in Od. » Ex Prisciano (supra p. 370).

θ 322 : . . . . ἦλθ' ἐριούνης
Ἑρμείας, ἦλθεν δὲ ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων.

[*Venit*] Mercurius, cumque eo filius Latonas.

« Liv. in Od. » Ex Diomede et Prisciano (supra p. 353).

θ 378 : Ὠρχείσθην δὴ ἔπειτα ποτὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ταρφέ' ἀμειβομένω.

Nexabant multa inter se flexu nodum[4] dubio.

« Liv. in Od. » Ex Prisciano (supra p. 370).

θ 480 : . . . . οὕνεκ' ἄρα σφέας
Οἴμας Μοῦσ' ἐδίδαξε.

Nam divina Monetas fili*a*[5] docuit.

« Liv. in Od. » Ex Prisciano (supra p. 367).

κ 64 : Πῶς ἦλθες, Ὀδυσεῦ; τίς τοι κακὸς ἔχραε δαίμων;

. . . . inferus an superus
Tibi deus[6] fer[*eba*]t funera, Ulixes?

1. Traditur *vehementem*.
2. Traditur *nullum*.
3. Traditur *humanum*.
4. Traditur *nodorum*.
5. Traditur *filiam*.
6. Traditur *fert deus*.

« In Odyssia vetere. » Ex Festo (supra p. 306).

κ 395 : Ἄνδρες δ' ἄψ ἐγένοντο.

Topper facit homines, ut [*p*]rius fuer*unt*[1].

Ex Festo (supra p. 306).

κ 445 : « Ἡμῖν δ' ἡγεμόνευ' ἱερὰ πρὸς δώματα Κίρκης. »
Ὣς φάμενοι παρὰ νηὸς ἀνήϊον ἠδὲ θαλάσσης,
Οὐδὲ μὲν Εὐρύλοχος κοίλῃ παρὰ νηῒ λέλειπτο
Ἀλλ' ἕπετ', ἔδδεισεν γὰρ ἐμὴν ἔκπαγλον ἐνιπήν.
[*Hic versiculum suum perspicuitatis causa inseruit Livius.*]
Τόφρα δὲ τοὺς ἄλλους ἑτάρους ἐν δώμασι Κίρκη
Ἐνδυκέως λοῦσέν τε καὶ ἔχρισεν λίπ' ἐλαίῳ.

Topper citi ad aedis venimus Circae.

« Livius in VI (*quidam codd.* in VII, in III) ».
Ex Prisciano (supra p. 368).

μ 401 : . . . . ἐνήκαμεν εὐρέϊ πόντῳ.
403 : Ἀλλ' ὅτε δὴ [τὴν νῆσον ἐλείπομεν. . . .]

Jam in altum expulsa lintre . . . . .

« Liv. Od. » Ex Nonio (supra p. 348).

? ν 40 : Ἤδη γὰρ τετέλεσται ἅ μοι φίλος ἤθελε θυμός.

. . . . sic[2] quoque fitum est.

« Liv. in Od. » Ex Gellio (supra p. 331).

? ? ξ 91 : . . . . ἔκηλοι
Κτήματα δαρδάπτουσιν ὑπέρβιον, οὐδ' ἔπι φειδώ.

. . . . . . parcentes praemodum. . .

« Livius. » Ex Festo (supra p. 293).

ο 373 : Τῶν ἔφαγόν τ' ἔπιόν τε καὶ αἰδοίοισιν ἔδωκα.

. . . . affatim edi, bibi, lusi.

« Liv. in Od. » Ex Prisciano (supra p. 385).

π 92 : Ἦ μάλα μευ καταδάπτετ' ἀκούοντος φίλον ἦτορ.

Quoniam[3] audivi, paucis gavisi. . . . .

1. Traditur *utrius fuerint*.
2. Traditur *fit*.
3. Fortasse cum Duentzero scribendum est *Quorum*.

« Livius. » Ex Festo (supra p. 309).
ρ 248 : ...... οἷον ἔειπε κύων ὀλοφώϊα εἰδώς.

. . . . vecorde et   malefica *vacerra*[1].

« Titus Livius. » Ex Nonio (supra p. 344).
τ 225 : Χλαῖναν πορφυρέην οὔλην ἔχε δῖος Ὀδυσσεὺς
Διπλῆν.

[*Erat Ulixi*] vestis   pulla, purpurea, ampla.

« Apud Livium. » Ex Festo (supra p. 294).
τ 439 : Ἔνθα δ' ἄρ' ἐν λόχμῃ πυκινῇ |κατέκειτο μέγας σῦς.|

Dusmo in loco. . .   . .

« Liv. in Od. » Ex Prisciano (supra p. 384.)
υ 19 : Ἤματι τῷ ὅτε μοι μένος ἄσχετος ἤσθιε Κύκλωψ
Ἰφθίμους ἑτάρους.

. . . . . .   cum socios nostros
Mandisset impius   Cyclops. . . . .

« Liv. in Od. » Ex Prisciano (supra p. 381).
χ 82 : Ἰὸν ἀποπροϊεὶς βάλλε στῆθος παρὰ μαζὸν
Ἐν δέ οἱ ἥπατι πῆξε θοὸν βέλος.

At celer hasta[2] perrumpit   pectora ferro.

« Liv. Andr. in Od. » Ex Prisciano (supra p. 373).
ω 364 : Ταμνομένους κρέα πολλὰ κερῶντάς τ' αἴθοπα οἶνον.

Carnis vinumque quod   libabant anclabatur.

« Laberius in Odyssia. » Ex Nonio (supra p. 348).
ω 534 : Τῶνδ' ἄρα δεισάντων ἐκ χειρῶν ἔπτατο τεύχεα..

Deque manibus dextrabus   . . . . .

---

1. Traditur *vecordia*. Sed haec sub voce *vacerra*.
2. Traditur *hasta volans perrumpit*.

B. — Carmen in Junonem Reginam.

Testimonia.

T. Livius 27,37,7 ss., anno ab urbe condita 547, ante Christum natum 207 : « Decrevere item pontifices ut virgines ter novenae per » urbem euntes carmen canerent. Id cum in Jovis Statoris aede discerent » conditum ab Livio poeta carmen, tacta de caelo aedes in Aventino » Junonis Reginae; prodigiumque id |*ad*| matronas pertinere haru- » spices cum respondissent donoque divam placandam esse, aedilium » curulium edicto in Capitolium convocatae, quibus in urbe Romana » intraque decimum lapidem ab urbe domicilia essent, ipsae inter se » quinque et viginti delegerunt, ad quas ex dotibus stipem confer- » rent; inde donum pelvis aurea facta lataque in Aventinum; pure » casteque a matronis sacrificatum. Confestim ad aliud sacrificium » eidem divae ab decemviris edicta dies, cujus ordo talis fuit. Ab » aede Apollinis boves feminae albae duae porta Carmentali in urbem » ductae; post eas duo signa cupressea Junonis Reginae portaban- » tur; tum septem et viginti virgines longam indutae vestem car- » men in Junonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan » laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens et reconditum si refe- » ratur; virginum ordinem sequebantur decemviri coronati laurea » praetextatique. A porta Jugario vico in forum venere; in foro » pompa constitit |*et*|, per manus reste data, virgines sonum vocis « pulsu pedum modulantes incesserunt. Inde vico Tusco Velabroque » per Boarium forum in clivum Publicium atque aedem Junonis » Reginae perrectum. Ibi duae hostiae ab decemviris immolatae et » simulacra cupressea in aedem illata. »

Festus p. 333 Mueller : « ... cum Livius Andronicus bello Punico » secundo scribsisset carmen, quod a virginibus est cantatum quia » prosperius resp. populi R. geri coepta est, publice adtributa est » *ei*[1] in Aventino aedis Minervae, in qua liceret scribis histrionibusque » consistere ac dona ponere. in honorem Livi, quia *is*[2] et scribebat » fabulas et agebat. »

Fragmentum,

Odysseae male adscriptum.

Ex Prisciano (supra p. 375).

Sancta puer, Saturni filia, Regina.

1. Codex *et*.
2. Codex *his*.

§ 6. — Saturnia Cn. Naevii poetae fragmenta et saturnius Metellorum versus.

A. — Naevii poetae Bellum Poenicum.

Testimonia.

Ennius apud Ciceronem atque alios (vide infra), de bello punico primo : « Scripsere alii rem Versibus quos olim Fauni vatesque » canebant Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat Nec » dicti studiosus erat. »

Varro, De lingua latina 5,43 Mueller[1] : « *Aventinum* aliquot de » causis dicunt : N[*a*]evius ab *avibus*, quod eo se ab Tiberi ferrent » aves; alii ab.... » — 5,53[1]: « Quartae regionis Palatium... Eundem » hunc locum a pecore dictum putant quidam, itaque Naevius » *Balatium* appellat. » — 7,39, de Cornelii commentario, et Virgilii. V. supra p. 257.

Cicero in Bruto 18 s., 71 ss. : « Quid, nostri veteres versus ubi » sunt, *quos olim Fauni vatesque canebant Cum neque Musarum* » *scopulos quisquam superarat Nec dicti studiosus erat? — Ante hunc*, » ait ipse de se, nec mentitur in gloriando, sic enim sese res » habet.........Tamen illius, quem in vatibus et Faunis annume- » rat Ennius, Bellum Punicum quasi Myronis opus delectat. Sit » Ennius sane, ut est certe,perfectior : qui si illum ut simulat con- » temneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acer- » rimum bellum reliquisset. Sed ipse dicit cur id faciat : *Scripsere* » inquit *alii rem Vorsibus*. Et luculente quidem scripserunt, etiam » si minus quam tu polite. Nec vero tibi aliter videri debet, qui a » Naevio vel sumpsisti multa si fateris, vel si negas surripuisti. » Ennii versus *Versibus quos olim Fauni vatesque canebant* laudatur etiam ab ipso Cicerone aliis locis et ab aliis scriptoribus (supra p. 413). Cic., Cato maj. 14,50, de scriptoribus senibus : « Quam gaudebat Bel- » lo suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus, quam Pseudolo! »

Santra apud Nonium. Vide infra p. 433.

Festi epitome p. 20 Mueller (supra p. 343): « *Aenesi* dicti sunt » comites Aeneae... *Aenariam* appellavere locum ubi Aeneas clas-

1. Verba Varronis in locis 5,43 et 5,53 petita ex Henrici Jordan *Topographie der Stadt Rom im Alterthum* II p. 599 et 602 s. Fragmentum Casinense (de quo supra p. 240) sic in § 43 habet: « Aventinũ appellatur » pluribus nominibus. ab avibus quod eo se ab tiberi ferrent avec. et ab... » In § 53 locus de Naevio poeta omissus.

» sem a Troja veniens appulit. » — Apud Festum p. 262 Mueller in loco mutilato de voce *runa* superest nomen « Naevi ». — Item p. 310 in loco de voce *supparus* haec supersunt : « [...*vo*]cat Nevi de [*bello puni*]co.»

Suetonius, De grammaticis 2 : « Primus...studium grammaticae » in urbem intulit Crates Mallotes........Nostris exemplo fuit ad » imitandum, hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divol- » gata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probas- » sent diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris » nota facerent; ut C. Octavius Lampadio Naevii Bellum Punicum, » quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in » septem libros; ut postea Q. Varguntejus......» — Nonius p. 170 M.[1] : « *Septemfariam* ut *multifariam.* Santra, De verborum antiqui- » tate *III*[2] *: Quod volumen unum nos lectitavimus, et postea inve-* » *nimus septemfariam divisum.*»

A. Gellius 5,12,7 ex cod. Paris. 5765 fol. 99 verso *b* : « *Lucetium* » autem Jovem G.N. Nevius in libris Belli Penici appellat.» — 17,21,45 ex cod. Paris. 8664 fol. 41 verso *b* (ibi lib. XVIIII, non XVII): « eodemque » anno G. Nevius poeta fabulas apud populum dedit, quem M. Varro » in libris de poetis primo stipendia fecisse ait Bello Poenico primo idque » ipsum Nevium dicere in eo carmine quod de eodem bello scripsit. »

Nonius p. 170 M. Vide supra.

Lactantius, Divin. institution. 1,6 : « M. Varro..... in libris rerum » divinarum quos ad C. Caesarem pontificem maximum scripsit, cum » de quindecimviris loqueretur Sibyllinos libros ait non fuisse unius » Sibyllae; sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminae » vates Sibyllae sint a veteribus nuncupatae... Ceterum Sibyllas decem » numero fuisse... Primam fuisse de Persis, cujus mentionem fecerit » Nicanor....; secundam Libyssam, cujus meminerit Euripides...; » tertiam Delphida, de qua Chrysippus loquitur... ; quartam Cimme- » riam in Italia, quam Naevius in libris Belli Punici, Piso in anna- » libus nominat; quintam Erythraeam ... » e. q. s.

Servii interpolator Fuldensis in Vergilii Aeneida 1,170 : « Novam » tamen rem Naevius Bello Punico dicit, unam navem habuisse » Aeneam, quam Mercurius fecerit. » — 1,198 : « Et totus hic locus » de Naevio Belli Punici libro translatus est. » — 1,273 : « Naevius et » Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt.» — Servii interpolator alter in Aen. 4,9, *Anna soror* : « Cujus filiae » fuerint Anna et Dido, Naevius dixit. » In 9,715, de insula Prochyta : » Hanc[3] Na[e]vius in primo Belli Punici de cognata Aeneae nomen

1. Deest hic locus in codd. Paris. 7665 et 7666. 2. Trad. *in*.
3. *Hunc* codex Parisiensis 7929 fol. 67 v°.

» accepisse dicit[1]. » Pseudo-Victor, De origine gentis romanae 10 : » Addunt praeterea quidam Aeneam....venisse eo sciscitatum de » statu fortunarum suarum; aditisque fatis vetitum ne is †cognitam » in Italia sepeliret Prochytam cognatione sibi conjunctam, quam » incolumem reliquerat; et postquam ad classem rediit reperitque » mortuam, in insula proxima sepelisse, quae nunc quoque eodem » est nomine, ut scribunt Vulcatius et Acilius Piso. »

Macrobius, Saturnalia 6,2,31 ex codice Parisiensi 6371 fol. 71 r° *b* de Vergilii Aeneidos principio : « Hic locus totus sumptus a N|a|evio » est ex primo libro Belli Punici. Illic enim aeque Venus Trojanis » tempestate laborantibus cum Jove queritur et sequuntur verba » Jovis filiam consolantis spe futurorum. »

Fragmenta libro I attributa.

Ex Servio (supra p. 360).

Cf. infra p. 439 versus *Simul dvona*... et *Multa alia*...

Eorum sectam sequuntur multi mortales.
*I*bi[2] foras cum auro illi[*n*]c exibant.
Multi alii e Troja strenui viri.

Ex Prisciano (supra p. 379).

Jamque ejus mentem fortuna fecerat quietem.

Ex Prisciano, duobus locis (supra p. 370).

Inerant signa expressa, quo modo Titani,
Bicorpores Gigantes magnique Atlantes,
Runcus atque Purpureus, filii Terras.

Ex Charisio (supra p. 351).

. . . . M*anius*[3] Valerius consul partem
Exerciti in ex- -peditionem ducit.

Ex Macrobio (supra p. 366).

Silüicolae homines bellique inertes.

Ex Servii interpolatore Danielino (supra p. 361).

? Trojae ab oris ?

1. Cf. supra (p. 344) quae Buecheler de insula Aenaria apud Naevium nominata statuit. 2. Traditur *ubi*. 3. Traditur *M*.

Fragmenta libro II attributa.

Ex Nonio, duobus locis (supra p. 343).

Blande et docte percontat, Aeneas[1] quo pacto
Trojam urbem liquerit . . . .

Ex Prisciano (supra pp. 375 s.) et Macrobio (supra p. 364).

Prima incedit Cereris Proserpina puer;
Deinde pollens sagittis inclitus Arquitenens,
Sanctus *Jo*ve[2] prognatus Putius Apollo.

Fragmenta libro III attributa.

Ex Nonio (supra p. 338).

I*r*que[3] susum ad caelum sustulit su*um* re*x*[4]
. . . . . Ammullus ; gratulaba*t*[5] divis.

Ex Probo (supra p. 387).

